572/3

119

OFFICIA PROPRIA

SANCTORUM

ARCHIDIŒCESIS HISPALENSIS,

AUCTORITATE SUMMI PONTIFICIS LEONIS XIII.
ANNO MDCCCLXXXI. APPROBATA.

RATISBONÆ, NEO-EBORACI & CINCINNATII.
SUMPTIBUS, CHARTIS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,
S. SEDIS APOST. ET S. RIT. CONGR. TYPOGRAPHI.
MDCCCLXXXIX.

FR. ZEPHYRINUS

DIVINA MISERATIONE S. R. E. PRESBYT. CARDINALIS GONZALEZ

TIT. STÆ. MARIÆ SUPRA MINERVAM ORDINIS PRÆDICATORUM

ARCHIEPISCOPUS HISPALENSIS &c.

Per præsentes facultatem facimus typographo Ratisbonensis civit. Fr. Pustet ut prælo mandare possit in qualibet editionis forma Officia propria Sanctorum hujus Nostræ Hispalen. Archidiœc. dummodo cum exemplaribus Nostra auctoritate approbatis exacta servetur concordia.

Datis Hispali die 5. Julii 1889.

✠ Fr. Z. Card. Gonzalez
Archiepiscopus Hispalensis.

(L. S.)


De mand. Em̃i ac Rm̃i Dñi mei Card. Archiepiscopi
Dr. Franciscus García Sarmiento
Can. Srius.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 1. Septembris 1889.

G. Erlenborn, Vic. in Spirit. Gener.

Index alphabeticus.



OFFICIA PROPRIA
SANCTORUM
ARCHIDIŒCESIS HISPALENSIS.

PARS HIEMALIS.

Die 8. Decembris.
In Solemnitate
Immac. Concept. B. Mariæ V.
Hispan. Regni præcipuæ Patr.
Duplex 1. class. cum Oct. privilegiata.
Omnia ut in Breviario.

Die 9. Decembris
Secunda die infra Octavam
Immac. Concept. B. Mariæ V.
Semiduplex.

Omnia ut in Festo, præter Lectiones, quæ dicuntur ut infra.

In I. Noct. Lect. de Script. occurr.

In II. Nocturno.

Ex libro sancti Ansélmi Epíscopi de Excelléntia Vírginis.

Lectio iv.

Summa Dei sapiéntia nullam in massa creatiónis humánæ viam invénit, per quam (ut disposúerat) in mundum véniens, tam luctuósæ perditióni subveníret, donec ad istam, de qua lóquimur, Vírginem ventum esset. Sed hæc, mox ubi in mundum per humánæ generatiónis líneam venit, tanta omnis boni virtúte et constántia perfécte resplénduit, ut eam ipsa sapiéntia Dei vere dignam judicáret, per quam in hómine véniens, non modo reátum primórum hóminum, sed et totíus mundi peccáta deléret, et diábolum sui óperis inimícum cum suis elíderet, necnon damna cœléstis pátriæ illuc hóminem deducéndo redintegráret. ℟. Ego ex ore Altíssimi.

Ex libro ejúsdem de Concéptu Virgináli.

Lectio v.

Decébat, ut Christi concéptio de Matre puríssima fíeret. Nempe decens erat, ut ea puritáte, qua

major sub Deo nequit intélligi, Virgo illa nitéret: cui Deus Pater únicum Fílium suum, quem de corde suo æquálem sibi génitum tamquam seípsum diligébat, ita dare disponébat, ut naturáliter esset unus idémque commúnis Dei Patris, et Vírginis Fílius, et quam ipse Fílius substantiáliter fácere sibi Matrem eligébat, et de qua Spíritus sanctus volébat, et operatúrus erat, ut conciperétur, et nascerétur ille, de quo procedébat.

℟. Nihil inquinátum.

Ex Presbýteris Acháiæ, ut refert Aloýsius Lipománnus.

Lectio vi.

Ex dictis diversorum sanctorum.

Andréas Apóstolus: Quómodo de immaculáta terra factus fúerat homo primus, necessárium fuit, ut de immaculáta Vírgine natus Christus, vitam ætérnam, quam omnes perdíderant, reparáret. Augustínus: Sicut primus Adam de limi matéria figurátus est, ita secúndus Adam, quasi de intácta ac rudi terra, de Vírginis carne formátus est. Hierónymus: Hæc est hortus conclúsus, fons signátus, púteus aquárum vivéntium, ad quam nulli potuérunt doli irrúmpere, nec præváluit fraus inimíci, sed permánsit sancta mente et córpore, multis donórum privilégiis sublimáta. Idem in Psalmos: Pulchre Prophéta appéllat Vírginem nubem diéi. Nubes enim illa non fuit in ténebris, sed semper in luce. Ansélmus: O benedícta super mulíeres, quæ Angelos vincis puritáte, et sanctos súperas pietáte.

℟. Signum magnum.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 1.

In illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilǽæ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 2. in Lucam.

Latent quidem divína mystéria, nec fácile, juxta prophéticum dictum, quisquam hóminum potest scire consílium Dei. Sed tamen ex céteris factis atque præcéptis Dómini Salvatóris póssumus intellígere, et hoc propensióris fuísse consílii, quod ea potíssimum elécta est ut Dóminum páreret, quæ erat desponsáta viro. Cur autem non ántequam desponsarétur impléta est? Fortásse ne dicerétur, quod concéperat ex adultério.

℟. Hortus conclúsus.

Lectio viii.

Et ingréssus ad eam Angelus. Disce vírginem móribus, disce vírginem verecúndia, disce oráculo, disce mystério. Trepidáre vírginum est, et ad omnes viri ingréssus pavére, omnes viri affátus veréri. Discant mulíeres propósitum pudóris imitári. Sola in penetrálibus, quam nemo virórum víderit, solus Angelus repérerit: sola sine cómite, sola sine teste, ne, quo degénere depravarétur affátu, ab Angelo salutátur.

℟. Magníficat ánima.

Lectio ix.

Tanti namque mandáti mystérium non hómini fuit, sed Angeli ore proméndum. Hódie primum audítur: Spíritus sanctus supervéniet in te. Et audítur, et créditur. Dénique: Ecce, inquit, ancílla Dómini, contíngat mihi secúndum verbum tuum. Vide humilitátem, vide devotiónem. Ancíllam se dicit Dómini, quæ Mater elígitur: nec repentíno exaltáta promísso est.

Te Deum laudámus.

Die 10. Decembris.

Tertia die infra Octavam

Immac. Concept. B. Mariæ V.

Semiduplex.

Omnia ut in Breviario die 9. Dec.

Die 11. Decembris.

Quarta die infra Octavam

Immac. Concept. B. Mariæ V.

Semiduplex.

Omnia ut in Breviario die 10. hujus.

Die 12. Decembris.

Quinta die infra Octavam

Immac. Concept. B. Mariæ V.

Semiduplex.

Omnia ut in Breviario die 12. hujus.

Die 13. Decembris.

Sexta die infra Octavam

Immac. Concept. B. Mariæ V.

Semiduplex.

Omnia ut in Breviario die 14. hujus.

Dominica infra Octavam

Immac. Concept. B. Mariæ V.

Fit de Dominica Adventus cum commem. Oct. in quamcumque diem Octavæ inciderit. Post Dominicam vero continuantur dies infra Octavam eodem ordine quo notantur, perinde ac si Dominica non intercessisset.

Die 15. Decembris.

Octava

Immac. Concept. B. Mariæ V.

Duplex.

Omnia ut in Brev., sub die 15. Decembris, nisi venerit in Dominica, quo casu Lectiones II. et III. Nocturni leguntur ut in die septima.

Die 17. Decembris.

Ss. Carpophori Archiepiscopi et **Abundii** Archidiac. Mart.

Duplex 2. classis.

Omnia de Communi plurim. Mart. 1. loco.

Oratio.

Deus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Carpóphori et Abúndii solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

Die 19. Decembris.

Translationis

Almæ Domus Lauretanæ B. M. V.

Duplex majus.

Omnia ut in fine Brev. die 10. Dec.

Die 22. Decembris.

S. Luciæ Virg. et Mart.

Duplex.

Omnia ut in Breviario die 13. hujus.

Die 23. Decembris.

B. Nicolai Factoris Conf.

Duplex.

Omnia ut in Proprio Hispaniæ, præter Lectiones I. Nocturni de Scriptura occurrente, vel si occurrat in Quatuor Temp. **Beátus vir.** de Comm. 2. loco.

Die 16. Januarii.

S. Fulgentii Episcopi Astigitani, Conf. et Doct.

Duplex 2. classis.

Omnia de Communi Doct.; sed Lectiones II. et III. Nocturni ut in Proprio Hispan.

Die 19. Januarii.

S. Archadii Ursaonensis Mart. Archidiac.

Duplex majus.

Omnia de Communi unius Mart. 1. loco; sed Lectiones I. Noct. **Fratres: Debitóres.** de Communi plurim. Mart.

Oratio.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus: ut qui beáti Archádii Mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

Die 20. Januarii.

Ss. Fabiani et **Sebastiani** Mart.

Duplex 2. classis.

Omnia ut in Breviario; sed Lectiones I. Noct. **Fratres: Debitóres.** de Communi plurim. Mart.

Die 22. Januarii.

S. Vincentii Levitæ et Mart.

Duplex 2. classis.

Omnia ut in Proprio Hispaniæ.

Die 29. Januarii.

Octava

S. Vincentii Levitæ et Mart.

Duplex.

(Ubi sit Patr. vel Titul.)

Omnia ut in Proprio Hispaniæ.

Die 3. Februarii.

(Dies assig. ex 4. Jan.)

S. Titi Episc. et Confessoris.

Duplex.

Ut in Breviario die 6. Febr.

Die 11. Februarii.

(Dies assig. ex 29. Jan.)

S. Francisci Salesii Episc. Conf. et Eccl. Doct.

Duplex.

Omnia ut in Breviario die 29. Jan.

Die 14. Februarii.

B. Joannis Baptistæ a Conceptione Confessoris.

Duplex.

Omnia ut in Propr. Hisp. ead. die.

Die 16. Februarii.

(Dies assig. ex 22. Jan.)

S. Anastasii Martyris.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius Mart. non Pont., præter sequentia.

Oratio.

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris: ut, qui ex iniquitáte nostra reos nos esse cognóscimus, beáti Mártyris tui Anastásii intercessióne liberémur. Per Dóminum nostrum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadrag. **Fratres: Debitóres.** de Communi plurim. Mart.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Anastásius Persa, insígnis præstigiatóris fílius, ineúnte ætáte mágicis ártibus sub iníquo parénte óperam dedit. Sed animadvértens prodígia, quæ sacrosáncta Christi Crux in Pérsidem a Chósroa rege transportáta operabátur, abjécto milítiæ cíngulo, et diabólicis præstígiis abjurátis, una cum sócio quem étiam ad martýrii corónam perdúxit, Hierosólymis sacro fonte lustrátus, mónachum índuit; brevíque ádeo

in religiósæ vitæ stúdio profécit, ut ómnibus esset admiratióni, et exémplo. Ubi incredíbile est, quot dæmonum tentaménta pertúlerit, et constantíssime superáverit.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Divínæ caritátis igne succénsus, nihil áliud habébat in votis, quam pro Christi fide ánimam pónere, mortémque, quam Salvátor noster dignátus est pro nobis pati, réddere Salvatóri. Ardens hoc martýrii desidérium mirífice accéndit vísio illa, qua nocte quadam aúreus gemmísque intertéxtus calix, qui procul dúbio Passiónis cálicem designábat, suavíssimo liquóre plenus offérri sibi visus est: quo prægustáto, mira dulcédine et fortitúdine se prǽditum sensit. Id vero Cenobiárchæ réferens, et monachórum précibus se commméndans, progressúrus in arénam, Cæsaréam Palæstínæ conténdit. Ubi nonnúllis e Persárum gente repértis, qui dæmonum præstígiis addícti erant, eos ácriter reprehéndit. Ab his autem tamquam explorátor hábitus, in arctíssimam tráhitur custódiam, omni pene victu per tríduum interdícto.

℟. Desidérium ánimæ.

Lectio vi.

Deínde ad Marzabánum nequíssimum Persárum ducem addúctus, ab eóque plúries accersítus, et objurgátus, ad saxa ferénda damnátur: quo in labóre incredíbile est, quanta a suis, quanta a Bárbaris patientíssime pertúlerit. Revocátus dénuo ad tribúnal, minásque contémnens, diríssime clavæ íctibus contúnditur. Quo in supplício, et tenéri a lictóribus nóluit, et nudári hábitu pétiit, ǽgrius ferens hábitus monástici laniatiónem, quam nudáti córporis discissiónem. Redúctus in cárcerem, angélicis visiónibus confortátus, virgis acérrime cæsus, tibiísque lígneis instruméntis horréndo cruciátu compréssus, iterátis clavæ íctibus appetítus, manu suspénsus, ligatóque ad pedem peringénti saxo; tandem septuagínta sóciis, quos verbo et exémplo in Fide firmáverat, in propínquo flúmine præfocátis, secúri percússus, ad optatíssimam martýrii palmam gloriόse pervénit. Sacrum ejus corpus inhumátum projéctum, nec a cánibus nec a feris læsum fuit; sed et lucidíssimum sidus super illud effúlsit. Quod Hierosólymam primo, deínde Romam ad Aquas Sálvias, postrémo ad Sancta Sanctórum delátum, ibídem honoríﬁce asservátur.

℟. Stola jucunditátis.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Si quis venit. de Comm. unius Mart. 1. loco.

Die 23. Februarii.

S. Florentii Hispalensis Conf.

Duplex 2. classis.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., 1. loco.

Oratio.

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris, quas in beáti Floréntii Confessóris tui solemnitáte deférimus; ut qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus, ejus, qui tibi plácuit, précibus adjuvémur. Per Dóminum.

Die 25. vel 26. Februarii.

B. Sebastiani ab Apparicio

Confessoris.

Duplex.

Omnia ut in Proprio Hispaniæ eadem die.

Die 26. vel 27. Februarii.

B. Joañis de Rivera Patriarchæ Antiocheni, et Archiep. Valentini.

Duplex majus.

Omnia de Communi Conf. Pontif., præter sequ.; sed in Hymno dicitur: **Méruit suprémos.**

Oratio.

Deus, qui beátum Joánnem Confessórem, atque Pontíficem, pastoráli sollicitúdine, et divíni Sacraménti Córporis, et Sánguinis tui dilectióne admirábilem effecísti: quǽsumus; ut ejus intercessióne, redemptiónis tuæ fructus nos júgiter fácias esse partícipes: Qui vivis et regnas.

In I. Nocturno Lect. **Fidélis sermo.** de Communi.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Joánnes de Rivéra, Híspali natus anno millésimo quingentésimo trigésimo secúndo, accéptum ex claríssima família decus non solum retínuit, sed quam plúrimum étiam suis ipse virtútibus auxit. Ejus adhuc púeri innocéntia, et pudor, et grávitas quædam morum ádeo exsplendescébat, ut, eo præsénte, omnes vereréntur, ne quid indecóre dícerent, aut fácerent. Cum apud patrem humanióribus fuísset lítteris egrégie instrúctus, Salmánticam ad severióres disciplínas, ea in Academía doctíssimis viris affluénte, addiscéndas fuit missus. Ubi cum integritáte cunctis exémplo esset, videretúrque, ut magíster ejus dicébat, ad corrigéndos, et componéndos condiscipulórum suórum mores venísse, tam eos fecit in stúdiis progréssus, ómnium ut ora in se unum convérteret. Itaque Theologíæ doctóris laúrea ei rite decréta, factúsque ipse Présbyter, dignus est hábitus, quem Póntifex Máximus, postulánte Philíppo Secúndo Rege, vel ante legítimam trigínta annórum ætátem, Epíscopum Pacénsem creáret.

℟. **Invéni David.**

Lectio v.

Quo in múnere talem se præstitit qualem Timótheum Epíscopum étiam júvenem Apóstolus Paulus instítuit, ita ut, magna cum auctoritáte, Episcopórum offícia in Concílio Compostelláno explicáre potúerit. Qua profécto re permótus sanctus Pius Quintus Póntifex Máximus eum, paucis post annis, in Cardinálium cœtu públice, et magnificentíssime laudátum, Patriárchæ Antiochéni dignitáte auxit, nec multos post menses eúmdem ad Valéntiæ Archiepiscopátum invítum tránstulit, Valentínis quidem, ob ejus advéntum, lætítia, Pacénsibus vero, ob ipsíus discessiónem mœróre summo affectis. Gregem suum, quoad vixit, omni ratióne pavit verbo, scriptis, Sacramentórum administratióne, Concíliis hábitis: eum sæpe circumíbat, ad necessitátes ejus omnes præsto erat, immáne pecúniæ pondus tum in iis sublevándis, tum in plerísque Templis, ac Cœnóbiis, vel condéndis, vel instruéndis collocásse

quotánnis repértus est. Accessióne poténtiæ ei facta ex Prorégis múnere, quod subeúndum ipsi fuit in Valéntiæ regno, Philíppo Tértio cogénte, ea est usus ad vítia magis excindénda, Christianásque virtútes látius suo in pópulo disseminándas. Ejus consílio, diligéntiæ, diuturnóque labóri, et óperæ tribuéndum est, quod Mauriscórum pestis ex Valéntiæ regno fúerit depúlsa, atque exhaústa.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Cum virtútibus ipse ómnibus floréret, tum præcípua, ac mirífica prorsus ejus éxstitit erga Sanctíssimum Eucharístiæ Sacraméntum píetas, quo coram complúres quotídie horas venerabúndus transigébat in tanta occupatióne vitæ: nec ullum intermísit diem, quin Sacrifícium perágeret; quo témpore vim lacrimárum singulári incénsus caritáte profundébat. Atque ut ad Mystérium illud amóris divíni justis laúdibus prosequéndum exsuscitáret hómines, indulgentiárum ei rei præmium quoddam a Pontífice Máximo propóni impetrávit. In claríssimum Collégium, quod Córporis Christi vóluit nominári, constituéndum inque ejus ædes, et Ecclésiam magnífice ædificándum, hæreditátem, quæ, patre mórtuo, sibi obvénit, valde opímam cóntulit. Quibus in ædibus sedem sibi ipse delégit, ibíque, Episcopátus labóribus quadragínta novem annos fortíssime perlátis, tandem defúnctus, die, quem prædíxerat, prídie Nonas Januárii anni millésimi sexcentésimi undécimi, ómnibus Ecclésiæ Sacraméntis instrúctus, Jesum ter clara voce appéllans, ánimam suavíssime efflávit. Magna fuit in existimatióne apud Príncipes viros, Reges, Antístites, ipsósque ádeo Pontífices Máximos, sanctum Pium Quintum, Cleméntem Octávum, ac Paulum Quintum, summáque necessitúdine conjúnctus cum ómnibus fere qui ea ætáte sanctimónia excelluérunt, in quibus sanctus Cárolus Borromæus quam eum habéret carum, testimónio sunt eæ epístolæ, quas ad illum dedit. Sepúlchro illátus est in Ecclésia ipsa Collégii a se cónditi, ejúsque præstántibus virtútibus, miraculísque, eo deprecatóre, factis, dénique probátis, Pius Sextus Póntifex Máximus eum Beátum rite pronuntiávit décimo quarto Kaléndas Octóbris anni millésimi septingentésimi nonagésimi sexti. ℟. Iste est qui.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Homo **péregre.** de Communi.

Die 27. vel **28. Februárii.**

(Dies assig. ex 23. hujus.)

S. Petri Damiani Episc. Conf. et Doctoris.

Duplex. **(m. t. v.)**

Omnia ut in Breviario die 23. Febr.

Die 28. vel **29. Februárii.**

B. Mariæ V. de Guadalupe.

Duplex majus.

Omnia ut in Proprio Hispaniæ in fine partis Hiemalis.

Die 1. Martii.

Ss. Leonis, Donati, Nicephori, Abundantii et aliorum Mart. Ursaonensium.

Duplex majus.

Omnia de Comm. plur. Mart. 1. loco, præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Leónis, et Sociórum ejus, natalítia cólere; da nobis, in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Die 2. Martii.

B. Petri de Zuniga Hispalensis Martyris.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Petrum Mártyrem tuum gloriósi certáminis triúmpho decorásti: concéde propítius; ut ipsíus vestígiis inhæréntes, in fide júgiter inveniámur stábiles, et in ópere efficáces. Per Dóminum nostrum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadrag. **Fratres: Debitóres.** de Communi plurim. Mart.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Petrus de Zúniga Hispalénsis, Marchiónis Alvari Manríquez Prorégis Méxici fílius, post suscéptum in pátria hábitum Ordinis Eremitárum sancti Augustíni, tanto fídei propagándæ zelo exársit, ut nullis neque précibus neque lácrimis dimovéri potúerit, quin ad ínsulas Philippínas Evangélii prædicándi causa proficiscerétur. Quo appúlsus, per decem círciter annos infidélium conversióni sédulam navávit óperam; sed uberióris evangélicæ messis spe excitátus in Japóniam tránsiit. Post vária discrímina in hæréticos pirátas íncidit, qui eum cum sócio Ludovíco Flores ex Ordine Prædicatórum Japonénsibus tradidérunt.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Nangasáchium ambo perdúcti, in víncula conjécti, multis vexáti torméntis, lento igni comburéndi tradúntur, quo in supplício exánimes corruéntes, Creatóri puríssimam reddidérunt ánimam. Horum córpora flexis génibus, ac in cœlum convérsa fácie mirabíliter quatríduum remansére: póstea circa ipsórum túmulum ingens e cœlo splendor illúxit, ac suavíssimus odor effúsus est. Duo isti una cum áliis martýribus sive cœnobítis, sive e sæculárium cœtu, quinque ac bis centum a Pio Papa Nono anno millésimo octingentésimo sexagésimo séptimo Nonis Júlii, cum sæculária Apostolórum Príncipum solémnia ageréntur, in Beatórum album reláti sunt.

℟. Desidérium ánimæ.

De expositióne sancti Ambrósii Epíscopi in Psalmum centésimum décimum octávum.

Lectio vi. Sermo 21.

Príncipes persecúti sunt me grátis, et a verbis tuis trepidávit cor meum. Bene hoc Martyr dicit, quod injúste persecutiónum torménta sustíneat, qui nihil rapúerit, nullum violéntus opprésserit, nullíus sánguinem fúderit, nullíus torum putáverit esse violándum: qui nihil légibus débeat, et gravióra latrónum sustinére cogátur supplícia: qui loquátur juste, et non audiátur: qui loquátur plena salútis,

et impugnétur: ut possit dícere: Cum loquébar illis, impugnábant me gratis. Gratis ígitur persecutiónem pátitur, qui impugnátur sine crímine: impugnátur ut nóxius, cum sit in tali confessióne laudábilis: impugnátur quasi venéficus, qui in nómine Dómini gloriátur, cum píetas virtútum ómnium fundaméntum sit.

℟. Stola jucunditátis.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Si quis venit. de Communi 1. loco.

Die 11. Martii.

Dedicat. Ecclesiæ Metropolit. ac Patriarch. Hispalensis.

Duplex 1. classis.

Omnia ut in Communi Dedicationis Ecclesiæ præter Lect. II. Nocturni.

In II. Nocturno.

Ex Hispániæ Históriis et Ecclésiæ Hispalénsis monuméntis.

Lectio iv.

Cum Ferdinándus Castéllæ, et Legiónis Rex, qui, ob virtútum præstántiam, Sancti cognómen est adéptus, magnam Bœ́ticæ partem in suam ditiónem recepísset, Híspalim ejus Províncíæ Príncipem urbem magnis ex Hispánia fere nobilitáte contráctis cópiis obsédit, ad eam expeditiónem per visiónem a sancto Isidóro (ut fertur) incitátus. Quod scílicet sanctíssimus Præsul suam Ecclésiam tot sǽculis jam ab infidélibus profanátam Christo restituéndam curáret. Constánti étiam traditióne recéptum est, pium Regem cum álias, tum in eo bello, Deíparæ Vírginis (cujus sacram venerándæ majestátis Imáginem, quocúmque iret, in exércitu secum ducébat, ac mira devotióne, et honóre prosequebátur) præséntem opem non semel sensísse. Capta ergo urbe, Bárbaris ex pacto quo vellent abíre permíssis, Ferdinándus felícem victóriam, non sibi, sed Deo ejúsque sanctíssimæ Matri accéptam réferens, dictam Imáginem triumphánti spécie ornatíssimo férculo impósitam, ad Templum, quod ejus nómine dedicándum erat, deférri jubet. ℟. Orántibus.

Lectio v.

Hac celebritáte triúmphi éadem sacratíssimæ Vírginis Imágo, cum spléndida Episcopórum et Sacerdótum processióne signis, ac legiónibus præcedéntibus, sequénte postrémum Rege, et Prócerum comitátu, in urbem deláta, et in Templo collocáta est, quod jam a Guttérrio Archiepíscopo Toletáno a superstitiónis sórdibus fúerat expurgátum, et Christiáno cúltui restitútum. Tum vero idem Toletánus Præsul, Ecclésiam, præséntibus Epíscopis, et innumerábili populórum multitúdine, solémni cæremónia, Deo in títulum, et honórem Beatíssimæ Vírginis Maríæ dedicávit. Cujus venerándam Imáginem cum multis Sanctórum relíquiis ibídem Rex repóni curávit.

℟. O quam metuéndus est.

Lectio vi.

Adjécit mox ánimum Rex ad res novæ Ecclésiæ per Philíppum fílium eléctum Archiepíscopum ordinándas, institúto Canonicórum cum Præbéndis, et Dignitátibus honestíssimis nobilíssimo collégio: cui ex régia liberalitáte largi census cum multis prærogatívis accessére. Cujus religiónis, ac largi-

Oratio.

Deus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Leónis, et Sociórum ejus, natalítia cólere; da nobis, in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Die 2. Martii.

B. Petri de Zuniga Hispalensis Martyris.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Petrum Mártyrem tuum glorióSi certáminis triúmpho decorásti: concéde propítius; ut ipsíus vestígiis inhæréntes, in fide júgiter inveniámur stábiles, et in ópere efficáces. Per Dóminum nostrum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadrag. **Fratres: Debitóres.** de Communi plurim. Mart.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Petrus de Zúniga Hispalénsis, Marchiónis Alvari Manríquez Prorégis México fílius, post suscéptum in pátria hábitum Ordinis Eremitárum sancti Augustíni, tanto fídei propagándæ zelo exársit, ut nullis neque précibus neque lácrimis dimovéri potúerit, quin ad ínsulas Philippínas Evangélii prædicándi causa proficiscerétur. Quo appúlsus, per decem círciter annos infidélium conversióni sédulam navávit óperam; sed uberióris evangélicæ messis spe excitátus in Japóniam tránsiit. Post vária discrímina in hæréticos pirátas íncidit, qui eum cum sócio Ludovíco Flores ex Ordine Prædicatórum Japonénsibus tradidérunt.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Nangasáchium ambo perdúcti, in víncula conjécti, multis vexáti torméntis, lento igni combuséndi tradúntur, quo in supplício exánimes corruéntes, Creatóri puríssimam reddidérunt ánimam. Horum córpora flexis génibus, ac in cœlum convérsa fácie mirabíliter quatríduum remansére: póstea circa ipsórum túmulum ingens e cœlo splendor illúxit, ac suavíssimus odor effúsus est. Duo isti una cum áliis martýribus sive cœnobítis, sive e sæculárium cœtu, quinque ac bis centum a Pio Papa Nono anno millésimo octingentésimo sexagésimo séptimo Nonis Július, cum sæculária Apostolórum Príncipum solémnia ageréntur, in Beatórum album reláti sunt.

℟. Desidérium ánimæ.

De expositióne sancti Ambrósii Epíscopi in Psalmum centésimum décimum octávum.

Lectio vi. Sermo 21.

Príncipes persecúti sunt me gratis, et a verbis tuis trepidávit cor meum. Bene hoc Martyr dicit, quod injúste persecutiónum torménta sustíneat, qui nihil rapúerit, nullum violéntus opprésserit, nullíus sánguinem fúderit, nullíus torum putáverit esse violándum: qui nihil légibus débeat, et gravióra latrónum sustinére cogátur supplícia: qui loquátur juste, et non audiátur: qui loquátur plena salútis,

et impugnétur: ut possit dícere: Cum loquébar illis, impugnábant me gratis. Gratis ígitur persecutiónem pátitur, qui impugnátur sine crímine: impugnátur ut nóxius, cum sit in tali confessióne laudábilis: impugnátur quasi venéficus, qui in nómine Dómini gloriátur, cum píetas virtútum ómnium fundaméntum sit.

℟. Stola jucunditátis.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Si quis venit.** de Communi 1. loco.

Die 11. Martii.

Dedicat. Ecclesiæ Metropolit. ac Patriarch. Hispalensis.

Duplex 1. classis.

Omnia ut in Communi Dedicationis Ecclesiæ præter Lect. II. Nocturni.

In II. Nocturno.

Ex Hispániæ Históriis et Ecclésiæ Hispalénsis monuméntis.

Lectio iv.

Cum Ferdinándus Castéllæ, et Legiónis Rex, qui, ob virtútum præstántiam, Sancti cognómen est adéptus, magnam Bœ́ticæ partem in suam ditiónem recepísset, Híspalim ejus Províncíæ Príncipem urbem magnis ex Hispánia fere nobilitáte contráctis cópiis obsédit, ad eam expeditiónem per visiónem a sancto Isidóro (ut fertur) incitátus. Quod scílicet sanctíssimus Præsul suam Ecclésiam tot sǽculis jam ab infidélibus profanátam Christo restituéndam curáret. Constánti étiam traditióne recéptum est, pium Regem cum álias, tum in eo bello, Deíparæ Vírginis (cujus sacram venerándæ majestátis Imáginem, quocúmque iret, in exércitu secum ducébat, ac mira devotióne, et honóre prosequebátur) præséntem opem non semel sensísse. Capta ergo urbe, Bárbaris ex pacto quo vellent abíre permíssis, Ferdinándus felícem victóriam, non sibi, sed Deo ejúsque sanctíssimæ Matri accéptam réferens, dictam Imáginem triumphánti spécie ornatíssimo férculo impósitam, ad Templum, quod ejus nómine dedicándum erat, deférri jubet. ℟. Orántibus.

Lectio v.

Hac celebritáte triúmphi éadem sacratíssimæ Vírginis Imágo, cum spléndida Episcopórum et Sacerdótum processióne signis, ac legiónibus præcedéntibus, sequénte postrémum Rege, et Prócerum comitátu, in urbem deláta, et in Templo collocáta est, quod jam a Guttérrio Archiepíscopo Toletáno a superstitiónis sórdibus fúerat expurgátum, et Christiáno cúltui restitútum. Tum vero idem Toletánus Præsul, Ecclésiam, præséntibus Epíscopis, et innumerábili populórum multitúdine, solémni cæremónia, Deo in títulum, et honórem Beatíssimæ Vírginis Maríæ dedicávit. Cujus venerándam Imáginem cum multis Sanctórum relíquiis ibídem Rex repóni curávit.

℟. O quam metuéndus est.

Lectio vi.

Adjécit mox ánimum Rex ad res novæ Ecclésiæ per Philíppum fílium eléctum Archiepíscopum ordinándas, institúto Canonicórum cum Præbéndis, et Dignitátibus honestíssimis nobilíssimo collégio: cui ex régia liberalitáte largi census cum multis prærogatívis accessére. Cujus religiónis, ac largi-

tátis exémplis, pósteri Reges magnis ornaméntis, et nonnúlli étiam cum eódem sancto Rege sumptuósis sepúlchris eam honestárunt. Augescénte autem posterióribus sæculis pópuli multitúdine, et religióne, Ecclésia púnicæ structúræ ædifício multis pártibus vítium faciénte in pulchriórem, atque ampliórem formam a fundaméntis in eódem situ instauráta est. Cujus dedicatiónem, atque instauratiónem uno die, quinto scílicet Idus Mártii, majóribus nostris plácuit celebrári. ℟. Mane surgens.

Die 13. Martii.

S. Leandri Archiep. Hispalensis, Conf. et Doct.

Duplex 2. classis.

Omnia de Communi Conf. Pontif., præter sequentia.

Ad Magnif. Ant. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Leánder, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

Oratio.

Deus, qui Ariánam pravitátem doctrína sancti Confessóris tui atque Pontíficis Leándri, ex Hispánia propulísti: da plebi tuæ, ut ejúsdem méritis, et précibus ab omni errórum, ac vitiórum labe semper líbera conservétur. Per Dóminum nostrum.

In I. Nocturno Lect. **Sapiéntiam.** de Communi Doct.

In II. Nocturno.

Ex B. Isidóro et Sanctórum Hispániæ históriis.

Lectio iv.

Leánder Archiepíscopus Hispalénsis, patre Severiáno viro caríssimo, et matre Theodóra Carthåginis Spartáriæ Dóminus ortus est. Fratres hábuit Isidórum, Hispalénsem Archiepíscopum, et Fulgéntium, Epíscopum Astigitánum, doctrína, et sanctitáte præstantíssimos, et Florentínam vírginem religiosíssimam. Quos ipse major natu accuratíssime in omni virtútum, et disciplinárum cultu instrúxerat: lucébat enim in eo jam a téneris annis castíssimæ vitæ intégritas, et morum grávitas máxime venerábilis, quam incomparábilis divinárum humanarúmque litterárum doctrína illustrábat. Gliscénte eo témpore in servos Dei hæreticórum furóre, sub Visigóthis Princípibus, qui cum império Ariánam impietátem in Hispániam invéxerant, et ejus Ecclésias mísere vexábant, públicæ vitæ pertǽsus in religiósum secéssum se recépit, ut in propósito perfectióris institúti sánctius Deo inservíret, et piis stúdiis, et meditatiónibus in tranquíllo sese exercéret. Sed nóluit Deus claríssimam pietátis lucérnam in occúlto delitéscere, sed in fastígio Ecclésiæ pósitam toti Hispániæ prælucére. Nam clero, et pópulo exposcénte, e monastério extráctus, Archiepíscopus Hispalénsis creátus est.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Suscéptam Ecclésiam omni cura, et sollicitúdine gubernávit, et ut perítus magíster navem in médiis tempestátibus salvam semper, et incólumem ab omni impietátis erróre conservávit. Cleri, et pópuli mores ad severiórem disciplínam corréxit. Solémnia Ecclésiæ

offícia, hymnódiam, sacræ Missæ ritus, precésque, quibus eo témpore omnes Hispániæ Ecclésiæ utebántur, ordinávit, et auxit. Mónachis, et sacris virgínibus præcépta dedit. Rebus Ecclésiæ ita compósitis, Constantinópolim pro causis fídei Visigothórum Legátus proféctus est: ubi ob exímiam religiónem, et doctrínam multis in magna fuit existimatióne, sancto Gregório præcípue tunc Románi Pontíficis Apocrisário, quocum magna ei necessitúdo, et familiáritas jam inde intercéssit. A quo póstea ad Románam Sedem assúmpto, ipse in Ecclésiam suam revérsus frequéntes lítteras, eásque benevoléntiæ plenas, et pállii ornaméntum, et moráles in Job commentários, suo rogátu conscríptos accépit. ℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Cum autem Hermenegíldus Leovigíldi Regis fílius, Leándri sermónibus convérsus fídei confessiónem glorióso sánguinis testimónio confirmásset, inflammátus novo furóre pater, Ecclésias facultátibus, et pastóribus orbávit, Leándro in primis (cujus esset major in propagánda religióne auctóritas, et ópera) et áliis Epíscopis exsílio mulctátis. Nec tamen in ipso exsílio déstitit cum fídei hóstibus líbere decertáre, éditis doctíssimis libris quibus eórum perfídiam confutávit. Affúlsit tamen Ecclésiæ post illam nubem optáta serénitas. Rex enim cum in morbum incidísset, sub mortem in meliórem mentem revérsus, Leándrum cum áliis Epíscopis ab exsílio revocári jussit, eíque Recarédi fílii curam dedit, fílio étiam Ecclésias instauráre, Leándri consíliis ómnia fácere imperávit. Quæ defúncto patre pius Rex Recarédus Leándro auctóre perfécit; cujus efficáci doctrína Gothis ad fidem convérsis, Hispániæ Epíscopos in Toletánam Sýnodum ejus étiam ópera conveníre fecit. In qua sanctus Doctor elegantíssima concióne congratulátus est, múltaque ad fidem et disciplínam Ecclésiæ sanciéndum, tum in ea Sýnodo, tum in áltera, quam póstea Híspali celebrávit, constituénda curávit. Demum religióne restitúta, et Ecclésiæ pace firmáta, jam octogenário major, cum Ecclésiam quadragínta, et ámplius annos rexísset, sancto, et admirábili vitæ, ac mortis exémplo, tértio Idus Mártii migrávit ad Dóminum. Sepúltus est in Basílica sanctárum vírginum Justæ, et Ruffínæ: póstea ejus corpus in Hispalénsem Ecclésiam translátum est. ℟. Iste est qui.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 5.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ: quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras, et conculcétur ab homínibus. Et réliqua.

Homilía S. Isidóri Archiepíscopi Hispalénsis.

Ex lib. 3. Sententiarum.

Tam doctrína, quam vita clarére debet Ecclesiásticus Doctor. Nam doctrína sine vita arrogántem reddit: vita sine do-

ctrína inútilem facit. Sacerdótis prædicátio opéribus confirmánda est, ita ut quod docet verbo, ínstruat exémplo. Vera est illa doctrína, quam vivéndi séquitur forma. Nam nihil túrpius est, quam si bonum, quod quisque sermóne prædicat, explére ópere négligat. Tunc enim utíliter prædicátio profértur, quando efficáciter adimplétur. Unusquísque Doctor, et bonæ actiónis, et bonæ prædicatiónis habére debet stúdium; nam álterum sine áltero non facit perféctum. Sed præcédat justus bene ágere, ut sequéntem possit bene docére.

℟. Amávit eum.

Lectio viii.

Omnis útilis Doctor plébibus subjéctis ita se præstáre debet, atque insístere doctrínæ, ut quanto claret verbo, tanto claréscat et mérito. Nam quod Apóstolus Timótheo præcipit, cum omni império docére, non hortátur ad tumórem supérbiæ; sed ad bonam actiónem, et vitæ auctoritátem: vidélicet ne libertátem pérderet prædicándi, si bene docéret, et male víveret. Unde et Dóminus: Qui sólverit unum de mandátis istis mínimis, et sic docúerit, mínimus erit in regno cœlórum. Vides quod auctoritáte magistérii caret, qui quod docet, non facit. Sicut in numísmate metállum, figúra, et pondus inquíritur, ita in omni Doctóre Ecclesiástico quid sequátur, quid dóceat, quómodo vivat. Per qualitátem ígitur metálli doctrína, per figúram similitúdo Patrum, per pondus humílitas designátur. Quod vero ab his tribus discrepáverit, non metállum, sed terra erit.

℟. In médio Ecclésiæ.

Lectio ix.

Qui præfícitur ad régimen, táliter erga disciplínam subjectórum præstáre se debet, ut non solum auctoritáte, verum étiam humilitáte claréscat. Sed tamen ita erit in eo virtus humilitátis, ne dissolvátur vita subditórum in vítiis: atque ita auctóritas áderit potestátis, ne per tumórem cordis sevéritas exsístat imoderatiónis. Hæc est enim in Dei Sacerdótibus vera discrétio, qua nec per libertátem supérbi, nec per humilitátem remíssi sint. Hinc est, quod Sancti cum magna constántia redarguérunt étiam Príncipum vítia, in quibus cum summa esset humílitas, loco tamen necessário líbere transgressóres justítiæ increpábant. Aliquándo súbditis non opórtet ánimo esse humilióres; quóniam facta subditórum judicántur a nobis, nostra vero Deus júdicat. Agnóscat Epíscopus, se esse consérvum plebis, non dóminum verum: Hoc cáritas, non condítio éxigit.

Te Deum laudámus.

Suffragia Sanctorum,

quæ dicuntur in fine Vesperarum et Laudum, in Dominicis, Feriis et Festis semiduplicibus exceptis infra Oct.) ab Octava Epiphaniæ usque ad Dominicam Passionis exclusive, et ab Octava Pentecostes usque ad Adventum etiam exclusive.

De sancta Maria.

Quamvis in Choro recitatum fuerit ejus Officium parvum, quia est Patrona Hispaniæ.

Ad Vesp. et Laud. Ant. **Sancta María, succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro Clero, intercéde pro devóto femíneo sexu; séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam commemoratiónem.'**

℣. **Ora pro nobis, sancta Dei Génitrix.** ℟. **Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.**

Orémus.

Concéde nos fámulos tuos, quǽsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére: et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia.

Ab Oct. Epiph. usque ad Purificationem dicitur:

℣. **Post partum, Virgo, invioláta permansísti.** ℟. **Dei Génitrix, intercéde pro nobis.**

Orémus.

Deus, qui salútis ætérnæ beátæ Maríæ virginitáte fœcúnda, humáno géneri prǽmia præstitísti: tríbue, quǽsumus; ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ suscípere Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

De S. Joseph,

Sponso B. M. V. Eccl. Patr.

Ante alios, exceptis Angelis et S. Joanne Baptista.

Ad Laudes. Ant. **Ipse Jesus erat incípiens, quasi annórum trigínta, ut putabátur fílius Joseph.**

℣. **Os justi meditábitur sapiéntiam.** ℟. **Et lingua ejus loquétur judícium.**

Ad Vesperas. Ant. **Ecce fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam.**

℣. **Glória et divítiæ in domo ejus.** ℟. **Et justítia ejus manet in sǽculum sǽculi.**

Orémus.

Deus, qui ineffábili providéntia beátum Joseph sanctíssimæ Genitrícis tuæ Sponsum elígere dignátus es: præsta quǽsumus; ut quem protectórem venerámur in terris, intercessórem habére mereámur in cœlis.

De Ss. Apostolis.

Ad Laudes. Ant. **Gloriósi Príncipes terræ, quómodo in vita sua dilexérunt se, ita et in morte non sunt separáti.**

℣. **In omnem terram exívit sonus eórum.** ℟. **Et in fines orbis terræ verba eórum.**

Ad Vesp. Ant. **Petrus Apóstolus, et Paulus Doctor Géntium, ipsi nos docuérunt legem tuam, Dñe.**

℣. **Constítues eos Príncipes super omnem terram.** ℟. **Mémores erunt nóminis tui Dómine.**

Orémus.

Deus, cujus déxtera beátum Petrum ambulántem in flúctibus ne mergerétur, eréxit, et coapóstolum ejus Paulum tértio naufragántem de profúndo pélagi liberávit: exaúdi nos propítius et concéde; ut ambórum méritis æternitátis glóriam consequámur.

De S. Jacobo Apostolo.

Ad Laudes. Ant. Visitávit nos per sanctum suum Apóstolum, et fecit salútem de inimícis nostris Dóminus Deus noster.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Vesperas. Ant. O beátum Apóstolum, qui inter primos eléctus, primus ómnium Apostolórum Dómini cálicem bíbere méruit! O gloriósum Hispániæ Regnum, tali pígnore ac Patróno munítum, per quem fecit illi magna, qui potens est! Allelúja.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Orémus.

Esto, Dómine, plebi tuæ sanctificátor, et custos: ut beáti Jacóbi Apóstoli tui muníta præsídiis, et conversatióne tibi pláceat, et secúra mente desérviat.

De S. Isidoro.

Ad Laudes. Ant. Euge serve bone, et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Vesperas. Ant. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Isidóre, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

℣. Justum dedúxit Dóminus. ut supra.

Orémus.

Intervéniat pro nobis, quǽsumus, Dómine, beátus Póntifex, et Hispániæ Doctor Isidórus: ut ejus intercessióne ad ætérna prǽmia perveníre mereámur.

De Pace.

Ad Vesp. et Laud. Ant. Da pacem Dómine in diébus nostris, quia non est álius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster.

℣. Fiat pax in virtúte tua. ℟. Et abundántia in túrribus tuis.

Orémus.

Deus, a quo sancta desidéria, recta consília, et justa sunt ópera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; ut et corda nostra mandátis tuis dédita, et hóstium subláta formídine, témpora sint tua protectióne tranquílla. Per Dóminum.


Commem. de Cruce,
in feriali tantum Officio.

Ad Vesp. et Laud. Ant. Per signum Crucis de inimícis nostris líbera nos, Deus noster.

℣. Omnis terra adóret te, et psallat tibi. ℟. Psalmum dicat nómini tuo, Dómine.

Orémus.

Perpétua nos, quǽsumus, Dómine, pace custódi, quos per lignum sanctæ Crucis redímere dignátus es.



OFFICIA PROPRIA
SANCTORUM
ARCHIDIŒCESIS HISPALENSIS.

PARS VERNA.

Die 11. Februarii.

(Dies assig. ex 29. Jan.)

S. Francisci Salesii Episc. Conf. et Eccl. Doct.

Duplex. (m. t. v.)

Ad Magnificat Ant. O Doctor óptime.

Oratio.

Deus, qui ad animárum salútem beátum Francíscum, Confessórem tuum atque Pontíficem, ómnibus ómnia factum esse voluísti: concéde propítius; ut caritátis tuæ dulcédine perfúsi, ejus dirigéntibus mónitis, ac suffragántibus méritis, ætérna gaúdia consequámur. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lect. Sapiéntiam. de Communi Doct.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Francíscus in óppido Salésio, unde famíliæ cognómen, piis et nobílibus paréntibus natus, a téneris annis futúræ sanctitátis indícia præbuit, morum innocéntia et gravitáte. Adoléscens liberálibus disciplínis erudítus, mox philosophíæ ac theologíæ Parísiis óperam dedit; et ne quid sibi deésset ad ánimi cultúram, juris utriúsque laúream summa cum laude Patávii obtínuit. In sacra æde Lauretána perpétuæ virginitátis votum, quo pridem Parísiis se obstrínxerat, innovávit: a cujus virtútis propósito nullis umquam dæmonum fraúdibus, nullis sénsuum illécebris pótuit dimovéri.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Recusáta in Sabaúdiæ senátu amplíssima dignitáte, clericáli milítiæ nomen dedit: tum sacerdótio initiátus, et Genevénsis ecclésiæ præpositúram adéptus, ejus múneris partes ádeo perfécte explévit, ut eum Granérius epíscopus vindicándis ab hǽresi Calviniána Chaballicénsibus aliísque Genévæ finítimis pópulis, divíni verbi præcónem destinárit. Quam expeditiónem álacri ánimo suscípiens, aspérrima quæque perpéssus est, sæpe ab hæréticis conquisítus ad necem, variísque calúmniis et insídiis vexátus. Sed inter tot discrímina et agónes, insuperábilis ejus constántia semper enítuit: Deíque ope protéctus, septuagínta duo míllia hæreticórum ad cathólicam fidem reduxísse dícitur, inter quos multi nobilitáte et doctrína insígnes numerántur.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Mórtuo Granério, qui eum sibi coadjutórem decérni curáverat, epíscopus consecrátus, sanctitátis suæ rádios circumquáque diffúdit, zelo ecclesiásticæ disciplínæ, pacis stúdio, misericórdia in paúperes, omníque virtúte conspícuus. Ad divíni cultus augméntum novum Ordinem sanctimoniálium instítuit, a Visitatióne beátæ Vírginis nuncupátum, sub régula sancti Augustíni; cui áddidit constitutiónes sapiéntia, discretióne, et suavitáte mirábiles. Suis étiam scriptis cœlésti doctrína refértis, Ecclésiam illustrávit, quibus iter ad christiánam perfectiónem tutum et planum demónstrat. Annum dénique agens quinquagésimum quintum, dum e Gállia Annésium regréditur, post Sacrum in die sancti Joánnis Evangelístæ Lugdúni celebrátum, gravi morbo corréptus, sequénti die migrávit in cœlum, anno Dómini millésimo sexcentésimo vigésimo secúndo. Ejus corpus Annésium delátum, in ecclésia moniálium dicti Ordinis honorífice cónditum fuit, cœpítque statim miráculis claréscere. Quibus rite probátis, ab Alexándro séptimo Pontífice Máximo in sanctórum númerum relátus est, assignáta ejus festivitáti die vigésima nona Januárii, et a Summo Pontífice Pio nono, ex Sacrórum Rítuum Congregatiónis consúlto, universális Ecclésiæ Doctor fuit declarátus.

℟. Iste est qui.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Vos estis sal terræ. de Comm. 1. loco.

Die 14. Februarii.

B. Joannis Baptistæ a Conceptione Confessoris.

Duplex.

Omnia ut in Propr. Hisp. ead. die.

Die 16. Februarii.

(Dies assig. ex 22. Jan.)

S. Anastasii Martyris.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius Mart. non Pont., præter sequentia.

Oratio.

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris: ut, qui ex iniquitáte nostra reos nos esse cognóscimus, beáti Mártyris tui Anastásii intercessióne liberémur. Per Dóminum nostrum.

In I. Nocturno Lectiones in Quadrages. **Fratres: Debitóres.** de Comm. plurim. Mart.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Anastásius Persa, insígnis præstigiatóris fílius, ineúnte ætáte mágicis ártibus sub iníquo parénte óperam dedit. Sed animadvértens prodígia, quæ sacrosáncta Christi Crux in Pérsidem a Chósroa rege transportáta operabátur, abjécto milítiæ cíngulo, et diabólicis præstígiis abjurátis, una cum sócio quem étiam ad martýrii corónam perdúxit, Hierosólymis sacro fonte lustrátus, mónachum índuit; brevíque ádeo in religiósæ vitæ stúdio profécit, ut ómnibus esset admiratióni, et exémplo. Ubi incredíbile est, quot dæmonum tentaménta pertúlerit, et constantíssime superáverit.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Divínæ caritátis igne succénsus, nihil áliud habébat in votis, quam pro Christi fide ánimam pónere, mortémque, quam Salvátor noster dignátus est pro nobis pati, réddere Salvatóri. Ardens hoc martýrii desidérium mirífice accéndit vísio illa, qua nocte quadam aúreus gemmísque intertéxtus calix, qui procul dúbio Passiónis cálicem designábat, suavíssimo liquóre plenus offérri sibi visus est: quo prægustáto, mira dulcédine et fortitúdine se prǽditum sensit. Id vero Cenobiárchæ réferens, et monachórum précibus se commméndans, progressúrus in arénam, Cæsaréam Palæstínæ conténdit. Ubi nonnúllis e Persárum gente repértis, qui dǽmonum præstígiis addícti erant, eos ácriter reprehéndit. Ab his autem tamquam explorátor hábitus, in arctíssimam tráhitur custódiam, omni pene victu per tríduum interdícto.

℟. Desidérium ánimæ.

Lectio vi.

Deínde ad Marzabánum nequíssimum Persárum ducem addúctus, ab eóque plúries accersítus, et objurgátus, ad saxa feréndа damnátur: quo in labóre incredíbile est, quanta a suis, quanta a Bárbaris patientíssime pertúlerit. Revocátus dénuo ad tribúnal, minásque contémnens, diríssime clavæ íctibus contúnditur. Quo in supplício, et tenéri a lictóribus nóluit, et nudári hábitu pétiit, ǽgrius ferens hábitus monástici laniatiónem, quam nudáti córporis discissiónem. Redúctus in cárcerem, angélicis visiónibus confortátus, virgis acérrime cæsus, tibiísque lígneis instruméntis horréndo cruciátu compréssus, iterátis clavæ íctibus appetítus, manu suspénsus, ligatóque ad pedem peringénti saxo; tandem septuagínta sóciis, quos verbo et exémplo in Fide firmáverat, in propínquo flúmine præfocátis, secúri percússus, ad optatíssimam martýrii palmam gloriósе pervénit. Sacrum ejus corpus inhumátum projéctum, nec a cánibus nec a feris læsum fuit; sed et lucidíssimum sidus super illud effúlsit. Quod Hierosólymam primo, deínde Romam ad Aquas Sálvias, postrémo ad Sancta Sanctórum delátum, ibídem honoríficе asservátur.

℟. Stola jucunditátis.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Si **quis venit.** de Comm. unius Mart. 1. loco.

Die 23. Februarii.

S. Florentii Hispalensis Conf.

Duplex 2. classis.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., 1. loco.

Oratio.

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris, quas in beáti Floréntii Confessóris tui solemnitáte deférimus; ut qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus, ejus, qui tibi plácuit, précibus adjuvémur. Per Dóminum.

Die 25. vel 26. Februarii.

B. Sebastiani ab Apparicio Confessoris.

Duplex.

Omnia ut in Proprio Hispaniar. eadem die.

Die 26. vel 27. Februarii.

B. Joañis de Rivera Patriarchæ Antiocheni, et Archiep. Valentini.

Duplex majus.

Omnia de Communi Conf. Pontif., præter sequ.; sed in Hymno dicitur: **Méruit suprémos.**

Oratio.

Deus, qui beátum Joánnem Confessórem, atque Pontíficem, pastorâli sollicitúdine, et divíni Sacraménti Córporis, et Sánguinis tui dilectióne admirábilem effecísti: quǽsumus; ut ejus intercessióne, redemptiónis tuæ fructus nos júgiter fácias esse partícipes: Qui vivis et regnas.

In I. Nocturno Lect. **Fidélis sermo.** de Communi.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Joánnes de Rivéra, Híspali natus anno millésimo quingentésimo trigésimo secúndo, accéptum ex claríssima família decus non solum retínuit, sed quam plúrimum étiam suis ipse virtútibus auxit. Ejus adhuc púeri innocéntia, et pudor, et grávitas quædam morum ádeo exsplendescébat, ut, eo præsénte, omnes vereréntur, ne quid indecóre dícerent, aut fácerent. Cum apud patrem humanióribus fuísset lítteris egrégie instrúctus, Salmánticam ad severióres disciplínas, ea in Academía doctíssimis viris affluénte, addiscéndas fuit missus. Ubi cum integritáte cunctis exémplo esset, videretúrque, ut magíster ejus dicébat, ad corrigéndos, et componéndos condiscipulórum suórum mores venísse, tam eos fecit in stúdiis progréssus, ómnium ut ora in se unum convérteret. Itaque Theologíæ doctóris laúrea ei rite decréta, factúsque ipse Présbyter, dignus est hábitus, quem Póntifex Máximus, postulánte Philíppo Secúndo Rege, vel ante legítimam trigínta annórum ætátem, Epíscopum Pacénsem creáret.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Quo in múnere talem se prǽstitit qualem Timótheum Epíscopum étiam júvenem Apóstolus Paulus instítuit, ita ut, magna cum auctoritáte, Episcopórum offícia in Concílio Compostelláno explicáre potúerit. Qua profécto re permótus sanctus Pius Quintus Póntifex Máximus eum, paucis post annis,

in Cardinálium cœtu públice, et magnificentíssime laudátum, Patriárchæ Antiochéni dignitáte auxit, nec multos post menses eúmdem ad Valéntiæ Archiepiscopátum invítum tránstulit, Valentínis quidem, ob ejus advéntum, lætítia, Pacénsibus vero, ob ipsíus discessiónem mœróre summo afféctis. Gregem suum, quoad vixit, omni ratióne pavit verbo, scriptis, Sacramentórum administratióne, Concíliis hábitis: eum sæpe circumíbat, ad necessitátes ejus omnes præsto erat, immáne pecúniæ pondus tum in iis sublevándis, tum in plerísque Templis, ac Cœnóbiis, vel condéndis, vel instruéndis collocásse quotánnis repértus est. Accessióne poténtiæ ei facta ex Prorégis múnere, quod subeúndum ipsi fuit in Valéntiæ regno, Philíppo Tértio cogénte, ea est usus ad vítia magis excindénda, Christianásque virtútes látius suo in pópulo disseminándas. Ejus consílio, diligéntiæ, diuturnóque labóri, et óperæ tribuéndum est, quod Mauriscórum pestis ex Valéntiæ regno fúerit depúlsa, atque exhaústa.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Cum virtútibus ipse ómnibus floréret, tum præcípua, ac mirífica prorsus ejus éxstitit erga Sanctíssimum Eucharístiæ Sacraméntum píetas, quo coram complúres quotídie horas venerabúndus transigébat in tanta occupatióne vitæ: nec ullum intermísit diem, quin Sacrifícium perágeret; quo témpore vim lacrimárum singulári incénsus caritáte profundébat. Atque ut ad Mystérium illud amóris divíni justis laúdibus prosequéndum exsuscitáret hómines, indulgentiárum ei rei præmium quoddam a Pontífice Máximo propóni impetrávit. In claríssimum Collégium, quod Córporis Christi vóluit nominári, constituéndum inque ejus ædes, et Ecclésiam magnífice ædificándum, hæreditátem, quæ, patre mórtuo, sibi obvénit, valde opímam cóntulit. Quibus in ædibus sedem sibi ipse delégit, ibíque, Episcopátus labóribus quadragínta novem annos fortíssime perlátis, tandem defúnctus, die, quem prædíxerat, prídie Nonas Januárii anni millésimi sexcentésimi undécimi, ómnibus Ecclésiæ Sacraméntis instrúctus, Jesum ter clara voce appéllans, ánimam suavíssime efflávit. Magna fuit in existimatióne apud Príncipes viros, Reges, Antístites, ipsósque ádeo Pontífices Máximos, sanctum Pium Quintum, Cleméntem Octávum, ac Paulum Quintum, summáque necessitúdine conjúnctus cum ómnibus fere qui ea ætáte sanctimónia excelluérunt, in quibus sanctus Cárolus Borromǽus quam eum habéret carum, testimónio sunt eæ epístolæ, quas ad illum dedit. Sepúlchro illátus est in Ecclésia ipsa Collégii a se cónditi, ejúsque præstántibus virtútibus, miraculísque, eo deprecatóre, factis, dénique probátis, Pius Sextus Póntifex Máximus eum Beátum rite pronuntiávit décimo quarto Kaléndas Octóbris anni millésimi septingentésimi nonagésimi sexti. ℟. Iste est qui.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Homo péregre. de Communi.

Die 27. vel **28. Februarii.**
(Dies assig. ex 23. hujus.)
S. Petri Damiani Episc. Conf. et Doctoris.
Duplex. **(m. t. v.)**
Omnia ut in Breviario die 23. Febr.

Die 28. vel **29. Februarii.**
B. Mariæ V. de Guadalupe.
Duplex majus.
Omnia ut in Proprio Hispaniar. in fine partis Vernæ.

Die 1. Martii.
Ss. Leonis, Donati, Nicephori, Abundantii et aliorum Mart. Ursaonensium.
Duplex majus.
Omnia de Comm. plur. Mart. 1. loco, præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Leónis, et Sociórum ejus, natalítia cólere; da nobis, in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Die 2. Martii.
B. Petri de Zuniga Hispalensis Martyris.
Duplex.
Omnia de Communi unius Mart., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Petrum Mártyrem tuum glorióși certáminis triúmpho decorásti: concéde propítius; ut ipsíus vestígiis inhæréntes, in fide júgiter inveniámur stábiles, et in ópere efficáces. Per Dóminum nostrum.

In I. Nocturno Lectiones in Quadrages. **Fratres: Debitóres.** de Communi plurim. Mart.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Petrus de Zúniga Hispalénsis, Marchiónis Alvari Manríquez Prorégis México fílius, post suscéptum in pátria hábitum Ordinis Eremitárum sancti Augustíni, tanto fídei propagándæ zelo exársit, ut nullis neque précibus neque lácrimis dimovéri potúerit, quin ad ínsulas Philippínas Evangélii prædicándi causa proficiscerétur. Quo appúlsus, per decem círciter annos infidélium conversióni sédulam navávit óperam; sed uberióris evangélicæ messis spe excitátus in Japóniam tránsiit. Post vária discrímina in hæréticos pirátas íncidit, qui eum cum sócio Ludovíco Flores ex Ordine Prædicatórum Japonénsibus tradidérunt. ℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Nangasáchium ambo perdúcti, in víncula conjécti, multis vexáti torméntis, lento igni comburéndi tradúntur, quo in supplício exánimes corruéntes, Creatóri puríssimam reddidérunt ánimam. Horum córpora flexis génibus, ac in cœlum convérsa fácie mirabíliter quatríduum remansére: póstea circa ipsórum túmulum ingens e cœlo splendor illúxit, ac suavíssimus odor effúsus est. Duo isti una cum áliis martýribus sive cœnobítis, sive e sæculárium cœtu, quinque ac bis centum a Pio Papa Nono anno millésimo octingentésimo sexagésimo séptimo Nonis Júlii, cum sæculária Apostolórum Príncipum solémnia ageréntur, in Beatórum album reláti sunt.

℟. Desidérium ánimæ.

De expositióne sancti Ambrósii Epíscopi in Psalmum centésimum décimum octávum.

Lectio vi. Sermo 21.

Príncipes persecúti sunt me gratis, et a verbis tuis trepidávit cor meum. Bene hoc Martyr dicit, quod injúste persecutiónum torménta sustíneat, qui nihil rapúerit, nullum violéntus opprésserit, nullíus sánguinem fúderit, nullíus torum putáverit esse violándum: qui nihil légibus débeat, et gravióra latrónum sustinére cogátur supplícia: qui loquátur juste, et non audiátur: qui loquátur plena salútis, et impugnétur: ut possit dícere: Cum loquébar illis, impugnábant me gratis. Gratis ígitur persecutiónem pátitur, qui impugnátur sine crímine: impugnátur ut nóxius, cum sit in tali confessióne laudábilis: impugnátur quasi venéficus, qui in nómine Dómini gloriátur, cum píetas virtútum ómnium fundaméntum sit.

℟. Stola jucunditátis.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Si **quis venit.** de Communi 1. loco.

Die 11. Martii.

Dedicat. Ecclesiæ Metropolit. ac Patriarch. Hispalensis.

Duplex 1. classis.

Omnia ut in Communi Dedicationis Ecclesiæ præter Lect. II. Nocturni.

In II. Nocturno.

Ex Hispániæ Históriis et Ecclésiæ Hispalénsis monuméntis.

Lectio iv.

[redacted]um Ferdinándus Castéllæ, et Legiónis Rex, qui, ob virtútum præstántiam, Sancti cognómen est adéptus, magnam Bœticæ partem in suam ditiónem recepísset, Híspalim ejus Províncíæ Príncipem urbem magnis ex Hispánia fere nobilitáte contráctis cópiis obsédit, ad eam expeditiónem per visiónem a sancto Isidóro (ut fertur) incitátus. Quod scílicet sanctíssimus Præsul suam Ecclésiam tot sǽculis jam ab infidélibus profanátam Christo restituéndam curáret. Constánti étiam traditióne recéptum est, pium Regem cum álias, tum in eo bello, Deíparæ Vírginis (cujus sacram venerándæ majestátis Imáginem, quocúmque iret, in exércitu secum ducébat, ac mira devotióne, et honóre prosequebátur) præséntem opem non semel sensísse. Capta ergo urbe, Bárbaris ex pacto quo vellent abíre permíssis, Ferdinándus felícem victóriam, non sibi, sed Deo ejúsque sanctíssimæ Matri accéptam réferens, dictam Imáginem triumphánti spécie ornatíssimo féreulo impósitam, ad Templum, quod ejus nómine dedicándum erat, deférri jubet.

℟. Orántibus in loco isto.

Lectio v.

Hac celebritáte triúmphi éadem sacratíssimæ Vírginis Imágo, cum spléndida Episcopórum et Sacerdótum processióne signis, ac legiónibus præcedéntibus, sequénte postrémum Rege, et Prócerum comitátu, in urbem deláta, et in Templo collocáta est, quod jam a Guttérrio Archiepíscopo Toletáno a superstitiónis sórdibus fúerat expurgátum, et Christiáno cúltui restitútum. Tum vero idem Toletánus Præsul, Ecclésiam, præséntibus Epíscopis, et innumerábili

populórum multitúdine, solémni cæremónia, Deo in títulum, et honórem Beatíssimæ Vírginis Maríæ dèdicávit. Cujus venerándam Imáginem cum multis Sanctórum relíquiis ibídem Rex repóni curávit.

℟. O quam metuéndus est.

Lectio vi.

Adjécit mox ánimum Rex ad res novæ Ecclésiæ per Philíppum fílium eléctum Archiepíscopum ordinándas, institúto Canonicórum cum Præbéndis, et Dignitátibus honestíssimis nobilíssimo collégio: cui ex régia liberalitáte largi census cum multis prærogatívis accessére. Cujus religiónis, ac largitátis exémplis, pósteri Reges magnis ornaméntis, et nonnúlli étiam cum eódem sancto Rege sumptuósis sepúlchris eam honestárunt. Augescénte autem posterióribus sǽculis pópuli multitúdine, et religióne, Ecclésia púnicæ structúræ ædifício multis pártibus vítium faciénte in pulchriórem, atque ampliórem formam a fundaméntis in eódem situ instauráta est. Cujus dedicatiónem, atque instauratiónem uno die, quinto scílicet Idus Mártii, majóribus nostris plácuit celebrári.

℟. Mane surgens.

Die 13. Martii.

S. Leandri Archiep. Hispalensis, Conf. et Doct.

Duplex 2. classis.

Omnia de Communi Conf. Pontif., præter sequentia.

Ad Magnif. Ant. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Leánder, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

Oratio.

Deus, qui Ariánam pravitátem doctrína sancti Confessóris tui atque Pontíficis Leándri, ex Hispánia propulísti: da plebi tuæ, ut ejúsdem méritis, et précibus ab omni errórum, ac vitiórum labe semper líbera conservétur. Per Dóminum nostrum.

In I. Nocturno Lect. Sapiéntiam. de Communi Doct.

In II. Nocturno.

Ex B. Isidóro et Sanctórum Hispániæ históriis.

Lectio iv.

Leánder Archiepíscopus Hispalénsis, patre Severiáno viro claríssimo, et matre Theodóra Cartháginis Spartáriæ Dóminus ortus est. Fratres hábuit Isidórum, Hispalénsem Archiepíscopum, et Fulgéntium, Epíscopum Astigitánum, doctrína, et sanctitáte præstantíssimos, et Florentínam vírginem religiosíssimam. Quos ipse major natu accuratíssime in omni virtútum, et disciplinárum cultu instrúxerat: lucébat enim in eo jam a téneris annis castíssimæ vitæ intégritas, et morum grávitas máxime venerábilis, quam incomparábilis divinárum humanarúmque litterárum doctrína illustrábat. Gliscénte eo témpore in servos Dei hæreticórum furóre, sub Visigóthis Princípibus, qui cum império Ariánam impietátem in Hispániam invéxerant, et ejus Ecclésias mísere vexábant, públicæ vitæ pertǽsus in religiósum secéssum se recépit, ut in propósito perfectióris institúti sánctius

Deo inservíret, et piis stúdiis, et meditatiónibus in tranquíllo sese exercéret. Sed nóluit Deus claríssimam pietátis lucérnam in occúlto delitéscere, sed in fastígio Ecclésiæ pósitam toti Hispániæ prælucére. Nam clero, et pópulo exposcénte, e monastério extráctus, Archiepíscopus Hispalénsis creátus est.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Suscéptam Ecclésiam omni cura, et sollicitúdine gubernávit, et ut perítus magíster navem in médiis tempestátibus salvam semper, et incólumem ab omni impietátis erróre conservávit. Cleri, et pópuli mores ad severiórem disciplínam corréxit. Solémnia Ecclésiæ offícia, hymnódiam, sacræ Missæ ritus, precésque, quibus eo témpore omnes Hispániæ Ecclésiæ utebántur, ordinávit, et auxit. Mónachis, et sacris virgínibus præcépta dedit. Rebus Ecclésiæ ita compósitis, Constantinópolim pro causis fídei Visigothórum Legátus proféctus est: ubi ob exímiam religiónem, et doctrínam multis in magna fuit existimatióne, sancto Gregório præcípue tunc Románi Pontíficis Apocrisário, quocum magna ei necessitúdo, et familiáritas jam inde intercéssit. A quo póstea ad Románam Sedem assúmpto, ipse in Ecclésiam suam revérsus frequéntes lítteras, eásque benevoléntiæ plenas, et pállii ornaméntum, et moráles in Job commentários, suo rogátu conscríptos accépit.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Cum autem Hermenegíldus Leovigíldi Regis fílius, Leándri sermónibus convérsus fídei confessiónem glorióso sánguinis testimónio confirmásset, inflammátus novo furóre pater, Ecclésias facultátibus, et pastóribus orbávit, Leándro in primis (cujus esset major in propagánda religióne auctóritas, et ópera) et áliis Epíscopis exsílio mulctátis. Nec tamen in ipso exsílio déstitit cum fídei hóstibus líbere decertáre, éditis doctíssimis libris quibus eórum perfídiam confutávit. Affúlsit tamen Ecclésiæ post illam nubem optáta serénitas. Rex enim cum in morbum incidísset, sub mortem in meliórem mentem revérsus, Leándrum cum áliis Epíscopis ab exsílio revocári jussit, eíque Recarédi fílii curam dedit, fílio étiam Ecclésias instauráre, Leándri consíliis ómnia fácere imperávit. Quæ defúncto patre pius Rex Recarédus Leándro auctóre perfécit; cujus efficáci doctrína Gothis ad fidem convérsis, Hispániæ Epíscopos in Toletánam Sýnodum ejus étiam ópera convenire fecit. In qua sanctus Doctor elegantíssima concióne congratulátus est, múltaque ad fidem et disciplínam Ecclésiæ sanciéndum, tum in ea Sýnodo, tum in áltera, quam póstea Híspali celebrávit, constituénda curávit. Demum religióne restitúta, et Ecclésiæ pace firmáta, jam octogenário major, cum Ecclésiam quadragínta, et ámplius annos rexísset, sancto, et admirábili vitæ, ac mortis exémplo, tértio Idus Mártii migrávit ad Dóminum. Sepúltus est in

Basílica sanctárum vírginum Justæ, et Ruffínæ: póstea ejus corpus in Hispalénsem Ecclésiam translátum est. ℟. Iste est qui.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 5.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ: quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras, et conculcétur ab homínibus. Et réliqua.

Homilía S. Isidóri Archiepíscopi Hispalénsis.

Ex lib. 3. Sententiarum.

Nam doctrína, quam vita clarére debet Ecclesiásticus Doctor. Nam doctrína sine vita arrogántem reddit: vita sine doctrína inútilem facit. Sacerdótis prædicátio opéribus confirmánda est, ita ut quod docet verbo, ínstruat exémplo. Vera est illa doctrína, quam vivéndi séquitur forma. Nam nihil túrpius est, quam si bonum, quod quisque sermóne prædicat, explére ópere négligat. Tunc enim utíliter prædicátio profértur, quando efficáciter adimplétur. Unusquísque Doctor, et bonæ actiónis, et bonæ prædicatiónis habére debet stúdium; nam álterum sine áltero non facit perféctum. Sed præcédat justus bene ágere, ut sequéntem possit bene docére.

℟. Amávit eum.

Lectio viii.

Omnis útilis Doctor plébibus subjéctis ita se præstáre debet, atque insístere doctrínæ, ut quanto claret verbo, tanto claréscat et mérito. Nam quod Apóstolus Timótheo præcipit, cum omni império docére, non hortátur ad tumórem supérbiæ; sed ad bonam actiónem, et vitæ auctoritátem: vidélicet ne libertátem pérderet prædicándi, si bene docéret, et male víveret. Unde et Dóminus: Qui sólverit unum de mandátis istis mínimis, et sic docúerit, mínimus erit in regno cœlórum. Vides quod auctoritáte magistérii caret, qui quod docet, non facit. Sicut in numísmate metállum, figúra, et pondus inquíritur, ita in omni Doctóre Ecclesiástico quid sequátur, quid dóceat, quómodo vivat. Per qualitátem ígitur metálli doctrína, per figúram similitúdo Patrum, per pondus humílitas designátur. Quod vero ab his tribus discrepáverit, non metállum, sed terra erit.

℟. In médio Ecclésiæ.

Lectio ix. et com̃. Feriæ. Alias erit

Lectio ix.

Qui præfícitur ad régimen, táliter erga disciplínam subjectórum præstáre se debet, ut non solum auctoritáte, verum étiam humilitáte claréscat. Sed tamen ita erit in eo virtus humilitátis, ne dissolvátur vita subditórum in vítiis: atque ita auctóritas áderit potestátis, ne per tumórem cordis sevéritas exsístat im̃oderatiónis. Hæc est enim in Dei Sacerdótibus vera discrétio, qua nec per libertátem supérbi, nec per humilitátem remíssi sint. Hinc est, quod Sancti cum magna constántia redarguérunt étiam Príncipum vítia, in quibus cum summa esset humílitas,

loco tamen necessário líbere transgressóres justítiæ increpábant. Aliquándo súbditis non opórtet ánimo esse humilióres; quóniam facta subditórum judicántur a nobis, nostra vero Deus júdicat. Agnóscat Epíscopus, se esse consérvum plebis, non dóminum verum: Hoc cáritas, non condítio éxigit.

Te Deum laudámus.

Die 14. Martii.

S. Florentinæ Virg. Sor. Ss. Leandri, Isidori et Fulgentii.

Duplex 2. classis.

Omnia ut in Proprio Hispan. eadem die; sed Lectiones I. Nocturni **De virgínibus.** ut in Comm. Virg.

Die 15. Martii.

S. Raymundi de Fitero Abbatis.

Duplex.

Omnia ut in Proprio Hispanar. eadem die.

Die 18. Martii.

S. Gabriëlis Archangeli.

Duplex 2. classis.

Omnia ut in fine Breviarii, præter Hymnos, et Lect. II. et III. Nocturni.

Hymnus ad Vesp. et Matut.

Géntibus lætis jubilémus omnes,
Plectra tangéntes fídibus canóris,
Inclytus quando Gábriel ab alto
Fulget olýmpo.

Vírginis summæ Paranýmphus ecce
Hinc adest nobis, simul Angelórum,
Plúrimis Christum vénerans triúmphis,
Cóncio tota.

Príncipis laudes Gabriélis almi
Cóncinat noster Chorus, ipse namque est
Magna qui mundo réferat secréta
Omnipoténtis.

Núntia nobis, Gábriel, precámur,
Pacis ætérnæ speciále munus,
Quo poli tandem teneámus aulam
Semper ovántes.

Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris, ac Nati, paritérque sancti
Spíritus, cujus réboat in omni
Glória mundo. Amen.

In II. Nocturno.

Ex Tractátu sancti Juliáni Archiepíscopi Toletáni.

Lib. 2. contra Judæos.

Lectio iv.

Sacraméntum illud septuagínta hebdomadárum de Christi nativitáte Dániel per Angelum dídicit. Simíliter et Zacharías, apparénte sibi Angelo, Joánnem fílium de se generándum audívit. Et María, Angelo sibi prædicénte, Christum ex se nascéndum et crédidit, et asséntit. Hæc tria per Angelum dicta, et compléta vidémus. Jam ergo sollícite intuéndum est utrum Angelus iste, qui Zacharíæ, et Maríæ appáruit, ipsi quoque Daniéli illa prædíxerit.

℞. Factum est.

Lectio v.

Equidem ipse Dániel in Prophetíæ suæ volúmine, quando illa sacraménta hebdomadárum de Christi nativitáte per Angelum futúra cognóvit, sic ipsíus Angeli nomen evidénter expréssit. Dicit enim: Ecce vir Gábriel, quem ví-

deram in princípio, cito volans tétigit me, et dixit: Dániel animadvérte sermónem, et réliqua quæ ibi commemorántur. Item his tempóribus, secúndum Evangélium, Angeli ipsíus nomen miríficum sic invenítur expréssum. Dixit enim idem Angelus Zacharíæ: Ego sum Gábriel, qui asto ante Deum, et missus sum loqui ad te, et hæc tibi evangelizáre.

℟. Descéndit Gábriel.

Lectio vi.

Quod étiam de Beátæ Maríæ Vírginis partu sic in eódem Evangélio légitur: Missus est, inquit, Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilǽæ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Jam ergo manFéstum est, quod unus idémque Angelus Gábriel fúerit, qui et præfíxa illa témpora Daniéli de Christi nativitáte apéruit, et partum Vírginis præséntem esse monstrávit. Ad tempus ítaque præfinítum occúrrit, et olim a se dicta óperis efficiéntia compléta esse convíncit: et illic fidélis in prophetía hebdomadárum: et hic fidélis per mystérium revelátum.

℟. Ego sum Gábriel.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 1.

In illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilǽæ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David; et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis.

Ex Homilia de Laud. Virg. super Missus est.

Missus est Angelus Gábriel a Deo. Non árbitror hunc Angelum de minóribus esse, qui quálibet ex causa crebra sóleant ad terras fungi legatióne. Quod ex ejus nómine palam intélligi datur, quod interpretátum, Fortitúdo Dei dícitur: et quia non ab áliquo álio forte excellentióre se (ut ássolet) spíritu, sed ab ipso Deo mitti perhibétur. Propter hoc ergo pósitum est a Deo. Vel ídeo dictum est a Deo, ne cui vel beatórum spiríttuum suum Deus, ántequam Vírgini, revelásse putétur consílium, excépto dumtáxat Archángelo Gabriéle: qui útique tantæ inter suos inveníri potúerit excelléntiæ, ut tali, et nómine dignus haberétur, et núntio.

℟. Missus est Gábriel.

Lectio viii.

Nec discórdat nomen a núntio: Dei quippe virtútem, Christum, quem mélius nuntiáre decébat, quam hunc, quem símile nomen honórat? Numquid est áliud fortitúdo, quam virtus? Non autem dédecens, aut incóngruum videátur, Dóminum et núntium commúni censéri vocábulo, cum símilis in utróque appellatiónis, non sit tamen utriúsque símilis causa. Aliter quippe Christus fortitúdo, vel virtus Dei dícitur, áliter Angelus; Angelus enim tantum nuncupatíve, Christus étiam substantíve.

℟. Gaude María.

Nona Lectio legitur de Homilia Feriæ occurrentis, nisi transferatur post Octavam Paschæ, quia tunc dicitur sequens

Lectio ix.

Christus Dei virtus et dícitur et est; qui forti armáto, qui suum átrium in pace custodíre solébat, fórtior supervéniens, ipsum suo bráchio debellávit; et sic ei vasa captivitátis poténter erípuit. Angelus vero Fortitúdo Dei appellátus est, vel quod hujuscémodi merúerit prærogatívam offícii, quo ejúsdem nuntiáret advéntum virtútis, vel quia Vírginem natúra pávidam, símplicem, verecúndam, ne miráculi novitáte expavésceret, confortáre debéret, quod et fecit, Ne tímeas, ínquiens, María, inveních grátiam apud Deum. Conveniénter ítaque Gábriel ad hoc opus elígitur; immo quia tale illi negótium injúngitur, recte tali nómine designátur.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes.

Hymnus.

Christe, sanctórum decus Angelórum,
Rector humáni géneris, et auctor,
Nobis ætérnum tríbue benígnus
Scándere cœlum.

Angelus fortis Gábriel, ut hostem
Pellat antíquum, vólitet ab alto,
Sǽpius templum véniens ad istud
Vísere nostrum.

Hinc Dei nostri Génitrix María,
Totus et nobis chorus Angelórum
Semper assístat, simul et beáta
Cóncio tota.

Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris, ac Nati, paritérque Sancti
Spíritus, cujus réboat in omni
Glória mundo. Amen.

Vesperæ S. Joseph Sponsi B. M. V. cum commem. S. Gabrielis.

Die 20. Martii.

S. Braulii Archiepisc. et Conf.

Duplex.

Omnia ut in Proprio Hispaniar. die 18. Martii.

Feria III. post Domin. in Albis.

(Dies assig. a S. R. C. per Decr. noviss.)

In Solemnitate

S. Isidori Archiepisc. Hispalensis, et Hispaniarum Doct., atque hujus Archidiœc. Principalis Patr.

Duplex 1. class. cum Oct.

Omnia de Communi Confess. Pont., præter sequentia.

In utrisque Vesperis.

Hymnus.

Gentis Hispánæ Pater, atque Doctor,
Digna præclári sóboles Sevéri,
Digne Leándri, similísque sancta
Indole, frater.

Dum tuas curat soror alma cunas,
Lúcida exámen véniens ab æthra
Vidit, infántis nítidis liquáre
Mella labéllis.

Dulce facúndi fuit hoc lepóris,
Atque doctrínæ spécimen supérnæ,
Qua pios pascis, stimulísque sontes
Pungis acútis.

Pungis inféctum genus Ariánæ
Pestis, ultóres minitántis ignes;
Nec furor regum júvenis resístit
Fórtibus ausis.

Præsul instaúras fídei triúmphum,
Pérfidos ejus quoque perduélles
Pellis Hispánis pávidos ab oris
Fúlmine linguæ.

O Pater Cleri, populíque Pastor,
Orphanis tutor, víduis levámen,
Vírginum custos, mónachis sevéræ
Régula vitæ.

Nunc in excélso résidens Olýmpo,
Sidus o nostræ, columénque gentis,
Cómpari priscis fídei magístris
Luce refúlges.

Sis memor cari gregis, et Patrónus
Esto ad ætérnam Tríadem, precámur,
Cuncta cui dignas résonent per orbem
Sæcula laudes. Amen.

℣. Amávit eum Dóminus et ornávit eum, allelúja. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúja.

Ad Magnif. in utrisque Vesperis.
Ant. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Isidóre, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei, allelúja.

Oratio.

Intervéniat pro nobis, quǽsumus, Dómine, beátus Póntifex, et Hispániæ Doctor Isidórus, ut ejus intercessióne ad ætérna prǽmia perveníre mereámur. Per Dñm.

Ad Matutinum.

Hymnus.

Sol ab occásu róseos ad ortus
Luce qui terras melióre lustrans,
Noctis Hispánæ nébulas, et atras
Díscutis umbras.

Cujus exórtu tenebrósus error,
Fraus, et incónstans furor, et profánus
Luxus, et vanæ sítiens profúgit
Ambitus auræ.

Sed redit fas, et píetas revíxit,
Et fides casto redimíta cultu,
Paxque cum sancta probitáte, et æqui
Cónscia virtus.

Híspalis clarum jubar, Isidóre,
Redde virtútes, vítiis repúlsis,
Fac et ad priscos rédeant cadúca
Sǽcula mores.

Hæc rogat sacras tua gens ad aras,
Dum Deo vero pia vota fundunt,
Qui tibi festum péragunt ovántes
Bætis alúmni.

Laus, honor, virtus tibi sit perénnis,
Celsa Majéstas, hóminum creátrix,
Quem Deum Trinum célebrant, et unum,
Rite fidéles. Amen.

In I. Nocturno Lect. Sapiéntiam. de Communi Doct.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Ex B. Ildephonso Archiep. Toletano, et Braulione Cæsaraugustano Episc.

Sanctus Isidórus, sanctórum Leándri, et Fulgéntii germánus natu mínimus, ab eis sancte, et ingénue in litterárum stúdio institútus est; Latíne, Græce, et Hebráice erudítus; et ómnium disciplinárum cognitióne instrúctus, ut præstantíssimus sui sǽculi Doctor, étiam octávi Toletáni Concílii elógio prædicarétur. Veram religió-

nem, quæ eo témpore sub Ariánis Princípibus laborábat, ita retínuit, et cóluit, atque observávit, ut étiam adoléscens ejus assertórem, intrépidam hæreticórum perfídiam palam arguéndo, sese profiterétur. Nec adversariórum poténtia, et minis atque váriis ártibus impetítus, a constánti, et líbera fídei confessióne, et Ariánæ pravitátis insectatióne pótuit deterréri: qua de re in maniféstum vitæ discrímen sæpius incurrísset, nisi opportúnis sancti Leándri consíliis temperáto intérdum ardóre ánimi, in occasiónem commodiórem se servándum putáret. Prævíderat prudentíssimus Præsul fratrem sibi successórem fore, ejúsque admirábilem sanctitátem, et doctrínam proféctum álias majórem Ecclésiæ allatúram. Quod rerum evéntus probávit. Nam Leándro póstea defúncto, Isidórus magno cleri, et pópuli Hispalénsis consénsu, rege Recarédo annuénte, succéssor elígitur. Cujus electiónem sanctus Gregórius Papa, misso cum magna benevoléntiæ significatióne Pállio, confirmávit.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Factus ergo tantæ provínciæ præsul, vir sanctíssimus, non ad extérnum pompæ splendórem ea dignitáte abuténdum duxit, sed ad onus pótius, et sollicitúdinem gregis sibi commíssi tantum honórem delátum intelléxit. Dedit ítaque óperam ut céteris prælucéret, ne quid de prístina vitæ severitáte, et sanctitáte remítteret, quin pótius morum integritátem, et ómnium virtútum ornaménta, quibus prius præpollébat, in eo fastígio pósitus illustrióra fáceret. Ex quo factum est, ut régibus, et pópulis, ceu pater..carus, et admirándus esset, et ab ómnibus ob exímiam sanctimóniam, et erudítiónem Hispaniárum Doctor appellarétur. Nec immérito; ipse enim lítteras jam exolescéntes, et ómnium disciplinárum stúdia suo nitóri restítuit. Discípulos hábuit multos, egrégios primárum sédium póstea epíscopos, et in his Ildephónsum Toletánum, et Brauliónem Cæsaraugustánum. Eloquéntia fuit admirábili et efficáci in conciónibus, quas habébat frequentíssimas ad mores formándos, et in disputatiónibus, quibus Ariánam impietátem pénitus confutátam, ex Hispániæ fínibus extermínávit, una cum Acephalórum hæresi: cujus Doctórem quemdam Gregórium Epíscopum, coram pátribus in Hispalénsi concílio convíctum, ad saniórem mentem revocávit. Fuit enim in Hispániæ concíliis præcípua ejus auctóritas, et senténtia; præsértim in secúndo Hispalénsi et Toletáno quinto, quibus præfuit.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Quod necessáriis Ecclésiæ occupatiónibus supérerat, id totum fere, et oratiónibus, et doctis lucubratiónibus impertiebátur, quæ multa, éaque præclára, excelléntis ingénii monuménta péperit, quibus Ecclesiásticam disciplínam multum provéxit, et stúdia illustrávit. Quæ digna visa sunt, ex quibus non pauca in sacras Decretórum, et Conciliórum constitutiónes transcriberéntur. Cum autem

Ecclésiam quadragínta ferme annos gubernásset, multo instántius, atque ardéntius, per sex ante óbitum menses assíduis précibus, pœniténtiæ ac pietátis opéribus sese totum dedit. Instánte ergo morte, convocáto clero, et pópulo, vóluit in sancti Mártyris Vincéntii Basílicam a discípulis in lecto deportári, ubi ab Epártio, et Joánne epíscopis sibi claríssimis cilício, pœniténtium ritu, indútus, et cínere conspérsus, cum multis, et suis, et pópuli astántis lácrimis, sacrum Viáticum de eórum manu humi procúmbens accépit. Ac post quartum pœniténtiæ diem, facultátibus ínterim ómnibus in paúperes erogátis, cum conciónem ad pópulum consolatiónis, et benedictiónis plenam habuísset, sublátis ad cœlum mánibus, obdormívit in Dómino prídie nonas Aprílis. Sepúltus est Híspali, ut ipse mandáverat, inter Leándrum et sanctam vírginem Florentínam; unde peténte Ferdinándo primo, Castéllæ et Legiónis rege, áliquot post sǽculis, Legiónem translátus est, in sui nóminis Basílicam, ubi magna religióne cólitur multis miráculis clarus. Ecclésia tamen Hispalénsis, ejus auspíciis ingéntibus a Dómino percéptis benefíciis, ipsum ab antíquis tempóribus ut præcípuum apud Deum Patrónum agnóvit, ac religiosíssime cóluit. Anno vero millésimo octingentésimo sexagésimo octávo Cardinális Ludovícus archiepíscopus Hispalénsis, tum suo, tum cleri populíque sibi commíssi nómine, a Sancta Sede eníxis précibus expostulávit, ut tanti Doctóris patronátus in hac civitáte et diœcési perpétuo retinerétur. Quibus votis Pius Papa nonus cleménter déferens, ipsum sanctum Doctórem hujus archidiœcéseos præcípuum Patrónum demum constítuit, ejusdémque festum sub ritu dúplici primæ classis et octáva, ac sub utróque præcépto récoli mandávit. ℟. Iste est qui.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 5. b.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ: Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras, et conculcétur ab homínibus. Et réliqua.

Homilía S. Isidóri Archiepíscopi Hispalénsis.

Ex Lib. 2. de offic. Eccl. cap. 5. de Sacerdotibus.

Qui ergo sólverit unum de mandátis istis mínimis, et docúerit sic hómines, mínimus vocábitur in regno cœlórum. Prímitus quippe semetípsum corrígere debet, qui álios ad bene vivéndum admonére studet, ita ut in ómnibus semetípsum formam vivéndi prǽbeat, cunctósque ad bonum opus et doctrína, et ópere próvocet. Cui étiam sciéntia Scripturárum necessária est. Quia si epíscopi tantum sancta sit vita, sibi soli prodest sic vivens. Porro si et doctrína, et sermóne fúerit erudítus, potest céteros quoque instrúere, et docére suos, et adversários repercútere, qui nisi refutáti fúerint, atque convícti, fácile possunt simplícium corda pervér-

tere. Hujus sermo debet esse purus, simplex, apértus, plenus gravitátis, et honestátis, plenus suavitátis, et grátiæ, tractans de mystério legis, de doctrína fídei, de virtúte continéntiæ; de disciplína justítiæ: unumquémque ádmonens divérsa exhortatióne, juxta professiónem, morúmque qualitátem, scílicet, ut prænóscat quid, cui, quando, vel quómodo próferat.

℟. Amávit eum.

Lectio viii.

Cujus præ céteris speciále offícium est scriptúras légere, percúrrere Cánones, exémpla sanctórum imitári, vigíliis, jejúniis, oratiónibus vacáre, cum frátribus pacem habére, nec quemquam de membris suis discérpere, nullum damnáre, nisi discússum. Quique ita humilitáte páriter, et auctoritáte præésse debet, ut neque per nímiam humilitátem suam subditórum vítia convaléscere fáciat, neque per immoderántiam severitátis potestátem exérceat; sed tanto caútius erga commíssos sibi agat, quanto dúrius a Christo judicári formídet. ℟. In médio.

Lectio ix.

Tenébit quoque illam supereminéntem donis ómnibus caritátem, sine qua omnis virtus nihil est. Custos enim sanctitátis, cáritas: locus autem hujus custódis, humílitas. Habébit étiam inter hæc ómnia et castitátis eminéntiam, ita ut mens Christo dédita, ab omni inquinaménto carnis sit munda, et líbera. Inter hæc oportébit cum sollícita dispensatióne curam paúperum gérere, esuriéntes páscere, vestíre nudos, suscípere peregrínos, captívos redímere, víduas, ac pupíllos tuéri, pervígilem in cunctis exhibére curam, providéntiam habére distributióne discréta.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes.

Hymnus.

Quid, Pater, caros pópulos relínquis,
Missus ad celsam Legiónis urbem
Quæ tibi fido pósuit Patróno
Régia templa?
An times hostem fídei rebéllem?
Bárbarus fugit; líceat revérti,
Aut tuos saltem juvet inde missa
Luce fovére.
Cívitas felix spóliis opímis
Córporis sacri, tua mira pictis
Gesta percénset tábulis, tolísque
Múnera Regum.
Quæ tuo partis mérito triúmphis,
Grata non uno retulére bello,
Namque te nostris et adésse castris
Fama vetústa est.
Huc ades fessis, Pater alme, rebus,
Nosque comménda Tríadi poténti,
Cujus in cunctas résonat perénnis
Glória gentes. Amen.

Dominica II. post Pascha.

B. M. V. Divini Pastoris Matris.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis Dominica I. Maji præter Lect. vi.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Sermo 18. de Ss. in med.

Lectio vi.

O beáta María, áccipe quascúmque éxsiles, quascúmque méritis tuis ímpares, gratiárum actió-

nes; et cum suscéperis vota, culpas nostras orándo excúsa. Admítte nostras preces intra sacrárium exauditiónis, et repórta nobis antídotum reconciliatiónis. Sit per te excusábile, quod per te ingérimus: fiat impetrábile, quod fida mente póscimus. Accipe quod offérimus, redóna quod rogámus, excúsa quod timémus: quia tu es spes única peccatórum. Per te sperámus véniam delictórum, et in te, Beatíssima, nostrórum est exspectátio præmiórum. Accipe ínsuper obséquium famulórum tuórum in hac regióne degéntium, qui in multis, magnísque perículis a te adjúti, in grati ánimi arguméntum, et in memóriam beneficiórum defensiónis et protectiónis, a Pio séptimo Pontífice Máximo in tui honórem hanc consecúti sunt festivitátem sub título Divíni Pastóris Matris, quo fidéles in civitáte Hispalénsi anno millésimo septingentésimo tértio te prímitus invocárunt. Dénique sanctíssimus noster Pius Papa nonus supplicatiónibus multórum Præsulum ánnuens, Offícium novíssimum et Missam in honórem ejúsdem beátæ Maríæ Vírginis plúribus ecclésiis et regulárium Ordínibus recitáre benígne concéssit. ℟. Sub umbra.

In II. Vesperis omnia ut in primis.

Feria III. post Dominicam II. Paschatis.

In Octava S. Isidori Archiepisc. Hispalensis.

Omnia dicuntur ut in die, præter Lectiones quæ hic assignantur.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo S. Isidóri Archiepíscopi Hispalénsis.

Ex lib. 2. de Eccl. offic. cap. 5. de Sacerd.

Lectio iv.

In novo Testaménto post Christum sacerdotális ordo a Petro Apóstolo cœpit: ipsi enim primum datur pontificátus in Ecclésia Christi. Sic enim lóquitur ad eum Dóminus: Tu es, inquit, Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam, et portæ ínferi non prævalébunt advérsus eam; et tibi dabo claves regni cœlórum. Hic ergo ligándi, solvendíque potestátem primus accépit, primúsque ad fidem pópulum virtúte suæ prædicatiónis addúxit. Síquidem et céteri Apóstoli cum Petro par consórtium honóris, et potestátis accepérunt. Qui étiam in toto orbe dispérsi, Evangélium prædicavérunt, quibúsque decedéntibus successérunt epíscopi, qui sunt constitúti per totum mundum in sédibus Apostolórum. Qui non jam ex génere carnis et sánguinis eligúntur, sicut prius secúndum órdinem Aaron, sed pro uniuscujúsque vita, meritóque, quod in eum Dei grátia contúlerit. ℟. Invéni David.

Lectio v.

Quátuor autem génera sunt Apostolórum: unum a Deo tantum, ut Móyses; álterum per hóminem et Deum, ut Jósue: tértium tantum per hóminem, sicut his tempóribus multi favóre pópuli, et potestátum in sacerdótium subrogántur. Quartum autem genus ex se est, ut pseudoprophétæ, et pseudoapóstoli. Quid sit autem nomen Apo-

stolórum? Apóstoli in latína lingua Missi interpretántur quia ipsos misit Christus evangelizáre ad illuminatiónem ómnium populórum. Episcopátus autem, ut quidam Prudéntius ait, nomen est óperis, non honóris: græcum est enim, atque inde ductum vocábulum, quod ille, qui super efficitur, superinténdit, curam scílicet subditórum gerens. ℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Quaprópter, quia lex peccatóres a sacerdótio émovet, consíderet et unusquísque, et sciens, quia poténtes poténter patiéntur torménta, rétrahat se ab hoc, non tam honóre, quam ónere, et aliórum locum, qui digni sunt, non ámbiat occupáre. Qui enim in erudiéndis, atque instituéndis ad virtútem pópulis præíerit, necésse est ut in ómnibus sanctus sit, et in nullo reprehensíbilis habeátur. Qui enim álium de peccátis árguit, ipse a peccáto debet esse aliénus. Nam qua fronte subjéctos argúere póterit, cum illi statim possit corréctus ingérere: Ante doce te, quæ recta sunt? ℟. Iste est qui.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 5. b.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ: quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homilía S. Joánnis Chrysóstomi.

Homilia 15.

Nolíte de difficultáte cónqueri, quasi qui doctrínam meam moléstam esse dicátis: infatuátis enim conculcatísque pópulis per vos ad sapiéntiam redíre possíbile est. Si vero id étiam patiámini, vos ipsi vobíscum perdétis et réliquos. Itaque quanto étiam majórum vobis rerum cura commíttitur, tanto potióre indigétis et stúdio. Propter quod íntulit: Si autem sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras, et conculcétur ab homínibus. ℟. Amávit eum.

Lectio viii.

Ne enim audiéntes, cum exprobráverint vobis, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, in médium prodíre formídent, dicit, quóniam nisi ad ista fuéritis paráti, frustra étiam prodítis in públicum. Non enim vos opórtet maledícta hóminum timére, sed laudes: quas si audíre cupiátis, tunc vere infatuándi estis, atque calcándi. Si vero perseverábitis vosmetípsos úndique castigántes, et deínde audiéritis mala, gaudéte. Hoc enim est opus salis, laxa quæque úrere, atque restríngere. ℟. In médio.

Lectio ix.

Non potest cívitas abscóndi supra montem pósita, neque accéndunt lucérnam, et ponunt eam sub módio. Rursus eos per ista ad bene vivéndi diligéntiam cohortátur: osténdens, ut stúdeant esse sollíciti, quasi ante ómnium scílicet óculos constitúti, et in médio orbis terrárum certántes theátro. Nolíte, inquit, aspícere, quia in isto nunc residémus loco, ut in exígua sumus parte certáminis: sic enim éritis manifésti cunctis quemádmodum cívitas in montis vértice

collocáta, vel sicut lucérna in domo super candelábrum relúcens. Ubi nunc sunt Christi virtútis incréduli, aúdiant ista, et prophetíæ poténtiam post experiménta mirántes, majestátem Dómini admirándo veneréntur.

Te Deum laudámus.

Die 6. Aprilis.

B. Julianæ Cornelion. Virginis.
Duplex.

Omnia ut in fine Brev. die 5. April.

Die 13. Aprilis.

S. Hermenegildi Regis Hispal. et Martyris.
Duplex 2. classis.

Omnia de Comm. unius Mart. intra vel extra tempus Pasch., præter sequ.

In utrisque Vesperis.

Hymnus.

Regis indígni generósa proles,
Híspalis clarum decus, Hermenegílde
Rex, et invíctæ fídei triúmpho
Inclyte Martyr.

Gentis indúctam vítio profánæ
Aríi labem mónitis Leándri,
Tunc et Ingúndæ pius eluísti,
Sánguine fuso.

Cárceris squalor, nec acérba patris
Ira divérsis metuénda pœnis,
Nec ferox diram quátiens bipénnem
Térruit ultor.

Nec tibi fluxo trabeáta fastu
Glória, et splendor plácuit corónæ;
Lúbrica ætérni sed amóre Regni
Sceptra relínquis.

Ergo sanctórum potióris aulæ
Cinctus incédis prócerum catérva
Martyr, hos fulgens melióris ornat
Púrpura cultus.

O tuæ gentis pater, atque custos,
Sint tibi hæc semper tua regna curæ,
Vótaque ad summum réferas precámur
Nostra Paréntem.

Cui tuo crescens píetas trophæo
Cómparem Natum docet, et poténtem
Spíritum vivet quibus unus omni
Témpore cultus. Amen.

Oratio.

Deus, qui beátum Hermenegíldum Mártyrem tuum pro cœlésti regno terrénum contémnere docuísti; da quǽsumus nobis ejus exémplo terréna despícere, et amáre cœléstia. Per Dóminum.

Ad Matutinum.

Hymnus.

Nocte sublústri prope lucis auras;
Quæ resurgénti micat, alma Christo,
Tránsitus sancti quoque par beátus
Príncipis instat.

Venit a sævo genitóre mystes
Pérfidus, sectæ réferens nefástæ
Sýmbolum, digna sed eum repúlsa
Réjicit Heros.

Réspuit regni míseras curúles
Præferens regis diadéma Christi,
Sponte et ultrícem súbiit, jubénte
Patre secúrim.

Truncus o felix, radiátus alma
Lámpadum luce in médiis tenébris,

Læta cui cantu chorus Angelórum
Justa dedére.

Sit tibi, spreta nece quæ triúmpho
Hermenegíldum décoras perénni,
Trínitas unus Deus, una cunctis
Glória sæclis. Amen.

In I. Nocturno Lectiones **Fratres: Debitóres.** ut in Comm. plur. Mart.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Ex B. Greg. Pap. lib. 3. Dial. cap. 31. et Greg. Turonen. Ep. lib. 5. hist. Franc. cap. 38. lib. 6. cap. 43. et lib. 8. cap. 28.

Beatíssimus Martyr Hermenegíldus rex Leovigíldi Visigothórum regis, et Theodóræ regínæ sancti Leándri soróris primogénitus, sanctíssimo avúnculo prædicánte, et Ingúnda uxóre Sigisbérti Francórum regis fília, pia fémina, assídue suadénte, ab Ariána pravitáte ad rectam fidem convérsus est: quem pater Ariánus, ut ad eámdem hǽresim redíret, et prǽmiis suadére, et minis terrére conátus est. Cumque ille constantíssime respondéret numquam se veram fidem posse relínquere, quam semel cognovísset, irátus pater eum privávit regno, rebúsque exspoliávit ómnibus. Cœpit ítaque idem Hermenegíldus rex júvenis, terrénum regnum despícere, et forti desidério cœléste quærens in cilíciis vinculátus jacens, omnipoténti Deo ad confortándum se preces effúndere. Tantóque sublímius glóriam transeúntis mundi despícere, quanto et religátus agnóverat, nihil fuísse, quod potúerit auférri.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Superveniénte autem Paschális festivitátis die, intempéstæ noctis siléntio, ad eum pérfidus pater Ariánum epíscopum misit, ut ex ejus manu sacrílegæ consecratiónis communiónem percíperet, atque per hoc ad patris grátiam redíre mererétur. Sed vir Deo déditus Ariáno epíscopo veniénti exprobrávit, ut débuit, ejúsque a se perfídiam dignis increpatiónibus répulit: quia etsi extérius jacébat ligátus, apud se tamen in magno mentis cúlmine stabat secúrus.

℟. Desidérium ánimæ.

Lectio vi.

Ad se ítaque revérso epíscopo, Ariánus pater infrémuit, statímque suos apparitóres misit, qui constantíssimum Confessórem Dei illic ubi jacébat occíderent: quod et factum est. Nam mox ut ingréssi sunt, secúrim cérebro ejus infigéntes, vitam córporis abstulérunt. Et hoc in eo valuérunt perímere, quod ipse quoque, qui perémptus est, in se constitúerat despícere. Sed pro ostendénda vera ejus glória, supérna quoque mirácula non defuérunt. Nam cœpit in noctúrno siléntio psalmódiæ cantus ad corpus ejúsdem regis, et Mártyris exaudíri. Itaque ídeo veráciter regis, quia et Mártyris. Quidam étiam ferunt, quod illic noctúrno témpore accénsæ lámpades apparébant. Unde et factum est, quátenus corpus illíus, ut vidélicet Mártyris, jure a cunctis fidélibus venerári debuísset. ℟. Stola jucunditátis.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Si quis venit.** de Comm. unius Mart. etiam si celebretur in temp. Pasch.

Ad Laudes.

Hymnus.

Ecquid immánes ácuis secúres,
Impie? An speras fídei poténtem
Posse restíngui recaléntis ignem
Sánguine nati?

Fálleris, cædes litat ista Christo
Gente pro vestra, fideíque frugem
Terra præcláro dedit auctiórem,
Tincta cruóre.

Arii pulsis pópulus tenébris,
Réddidit Christo méritos honóres
Luce Leándri méritis alúmni
Hermenegíldi.

Ille ad assértæ Tríadis tribúnal,
Vota gentílis pietátis offert,
Pro fide supplex pius advocátus
Sóspite semper.

Laudat, et Patrem, genitǽque Prolis
Numen ætérnum, paritérque sancti
Spíritus, quorum decus, et potéstas
Una per ævum est.
Amen.

Die 17. Aprilis.

B. Mariæ Annæ a Jesu Virg.

Duplex.

Omnia ut in Proprio Hispaniar. eadem die.

Die 24. Aprilis.

S. Fidelis a Sigmaringa Protomartyris.

Duplex.

Omnia ut in Breviario eadem die.

Die 27. Aprilis.

S. Turibii de Mogrovejo Episc. et Confessoris.

Duplex majus.

Omnia ut in Proprio Hispan.; sed Lect. I. Noct. **Fidélis sermo.** de Comm.

Die 28. Aprilis.

S. Prudentii Episc. et Conf.

Duplex.

Omnia ut in Propr. Hispan. ead. die.

Die 2. Maji.

S. Felicis, Diaconi Hispal., Mart.

Duplex 2. classis.

Omnia de Communi unius Mart. temp. Pasch. 1. loco; sed Lectiones I. Noct. **Fratres: Debitóres.** de Comm. plurim. Mart.

Oratio.

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut qui beáti Felícis Mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

Die 4. Maji.

Sacræ Coronæ D. N. J. Chr.

Duplex 2. classis.

In I. Vesp. fit de Inventione S. Crucis sine commem. S. Coronæ.

Ad Matutinum.

Invit. Christum Regem pro nobis spinis coronátum, * Veníte adorémus, allelúja.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus.

Lauda fidélis cóncio
Spinæ trophǽum ínclytum
Per quam perit perdítio,
Utique datur méritum.

Nos a punctúris líberat
Ætérni Patris Fílius:
Dum spinis pungi tólerat
Spinárum culpæ nescius.

Cum spinárum acúleum
Christus pro nobis pértulit,
Per diadéma spíneum
Vitæ corónam cóntulit.
Plaudat turba fidélium,
Quod per spinæ ludíbrium
Purgat creátor ómnium
Spinéti nostri vítium.
Quæ̀sumus, Auctor ómnium,
In hoc Pascháli gaúdio
Ab omni mortis ímpetu
Tuum defénde pópulum.
Deo Patri sit glória,
Et Fílio, qui a mórtuis
Surréxit, ac Paráclito
In sæculórum sæ̀cula. Amen.

In I. Nocturno.

Ant. Maledícta terra * in ópere tuo, spinas, et tríbulos germinábit tibi, allelúja.

Psalmi in I. et II. Noct. de Comm. unius Mart.

℣. Tuam corónam adorámus Dómine, allelúja. ℟. Tuum glorióśum recólimus triúmphum, allel.

De Isaía Prophéta.

Lectio i. Cap. 53.

Quis crédidit audítui nostro? Et bráchium Dómini cui revelátum est? Et ascéndet sicut virgúltum coram eo, et sicut radix de terra sitiénti; non est spécies ei, neque decor, et vídimus eum, et non erat aspéctus, et desiderávimus eum; despéctum, et novíssimum virórum, virum dolórum et sciéntem infirmitátem, et quasi abscónditus vultus ejus, et despéctus, unde nec reputávimus eum.

℟. Ecce vídimus eum non habéntem spéciem, neque decórem, aspéctus ejus in eo non est; hic peccáta nostra portávit, et pro nobis dolet, ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras: * Cujus livóre sanáti sumus, allelúja. ℣. Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit. Cujus.

Lectio ii.

Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit, et nos putávimus eum, quasi leprósum, et percússum a Deo, et humiliátum. Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra; disciplína pacis nostræ super eum, et livóre ejus sanáti sumus. Omnes nos quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam declinávit, et pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrum.

℟. Quid sunt plagæ istæ in médio mánuum tuárum? * Et dicet: His plagátus sum in domo eórum, qui diligébant me, allel. ℣. Frámea suscitáre super pastórem meum, et super virum cohæréntem mihi. Et dicet.

De Zacharía Prophéta.

Lectio iii. Cap. 12. et 13.

Et erit in die illa: quæram contérere omnes gentes, quæ véniunt contra Jerúsalem. Et effúndam super domum David, et super habitatórem Jerúsalem spíritum grátiæ, et precum: et aspícient ad me, quem confixérunt, et plangent eum planctu quasi super unigénitum, et dolébunt super eum, ut doléri solet in morte primogéniti. In die illa magnus erit planctus in Jerúsalem. Et dicétur ei: Quid sunt plagæ istæ in médio mánuum

tuárum? Et dicet: His plagátus sum in domo eórum, qui diligébant me. Frámea suscitáre super pastórem meum, et super virum cohæréntem mihi, dicit Dóminus exercítuum: pércute pastórem, et dispergéntur oves; et convértam manum meam ad párvulos.

℟. Tuam corónam spíneam venerámur, Dómine; tuam gloriósam recólimus passiónem: * Miserére nobis, qui passus es pro nobis, allelúja. ℣. Salva præséntem catérvam in tuis hódie laúdibus congregátam. Miserére. Glória. Miserére.

In II. Nocturno.

Ant. Pro fruménto * ortus est mihi tríbulus, et pro hórdeo spina, allelúja.

℣. Glória, et honóre coronásti eum Dómine, allelúja. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, allelúja.

Ex Tractátu S. Athanásii de Passióne Dómini.

Lectio iv.

Cum exuerétur Dóminus, eo ipso invisibíliter erigebátur de diábolo trophæum: et quo illud maniféstum fíeret narrátur a Joánne indútus fuísse púrpura; a Matthæo vero, et Marco, chlámyde coccínea, coronámque illi ex spinis super caput esse pósitam et cálamum in manu datum: et ita cum eum produxíssent, génibus flexis adorásse. Miráculum novum, et incredíbile, et magnæ sine dúbio victóriæ insígne. Quem enim ut hóminem condemnavérunt, eum mórtuum deínde ut Deum adoravérunt: et quem aspernabántur, ut vilem, et contemptíbilem, eum confitebántur regem. Cui túnicam et vestem detráxerant, eum púrpura circumdedérunt, et quem ignorántes contuméliis afficiébant, eum Prophétam étiam noléntes appellavérunt; et quem per ludíbrium, subsannationémque pulsábant, ei triumphália addidérunt ornaménta, coccíneam chlámydem, et corónam spíneam, et cálamum. Nam tamétsi ea quasi per contuméliam agébant, efficiebátur tamen inde, ut ab eo laténter spoliaréntur.

℟. Coróna aúrea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis, allelúja. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Expréssa.

Sermo S. Ambrósii Epíscopi.

Serm. 73. qui est primus de S. Cypriano.

Lectio v.

Videámus diligénter, ne ex pálmite óperis nostri non noscátur dulcédinis uva, sed fellis: ne dicátur nobis, quod Judæis dictum est per Prophétam: Sustínui, ut fáceret uvam, fecit autem spinas; et non justítiam, sed clamórem. Quam dura condítio, ut posséssio, quæ Dómino suavitátis fructus afférre débuit, spinárum illum asperitáte compúnxerit. Hoc est, cum Judæi Salvatórem debúerint tota fídei devotióne suscípere, spinárum eum coronavérunt passióne. Quæ coróna quidem, quantum in Judæis est, erat injuriárum contumélia; quantum in Dómino, erat coróna virtútum. Compúngunt ergo Judæi Dóminum, dum corónant, compúngunt, dum crucifígunt. Unde

ait Scriptúra sancta: Vidébunt in quem compunxérunt.

℟. Omnes amíci mei dereliquérunt me, et prævaluérunt insidiántes mihi, trádidit me, quem diligébam. * Et terribílibus óculis plaga crudéli percutiéntes, subsannábant mihi, allelúja. ℣. Inter iníquos projecérunt me, et non pepercérunt ánimæ meæ. Et.

Lectio vi.

Igitur fratres, vidéte ne et nobis dicátur: Sustínui, ut fáceret uvam, fecit autem spinas, hoc est, ne spinas, quas Dómino Judæi cruéntis imposuérunt mánibus: nos iníquis sénsibus apponámus: et compungámus eum, non asperitáte séntium, sed óperum pravitáte. Sunt enim spinæ cordis, quæ verbum Dei étiam vulneráre consuevérunt; de quibus méminit in Evangélio Salvátor, dicens: Seminántis semen cecidísse inter spinas; et crevísse eas, ac suffocásse quod satum est. Ergo fratres, vidéte, ne vínea vestra non uvas, sed spinas fáciat, ne vindémia vestra non vinum áfferat, sed acétum. Quisquis enim vindémiam legit, et paupéribus non largítur, ille acétum cólligit, non vinum. Quisquis messes recóndit, et indigéntibus non minístrat, iste non alimóniæ fructus repósuit, sed tríbulos avarítiæ congregávit. Nam proptérea ait Scriptúra de terra nostra: Spinas, et tríbulos germinábit tibi.

℟. Vínea mea elécta, ego te plantávi: * Quómodo convérsa est in amaritúdinem, ut me spinis coronáres? Allelúja. ℣. Sepívi te, et lápides elégi ex te, et ædificávi turrim. Quómodo. Glória. Quómodo.

In III. Nocturno.

Ant. Graváta est * super me manus tua, convérsus sum in ærúmna mea, dum confígitur spina, allel.

Psalmi ut in III. Noct. de Com̃. Virg.

℣. Eris coróna glóriæ in manu Dómini, allelúja. ℟. Et diadéma regni in manu Dei tui, allelúja.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. Cap. 19.

In illo témpore: Apprehéndit Pilátus Jesum, et flagellávit. Et mílites plecténtes corónam de spinis, imposuérunt cápiti ejus. Et réliqua.

Homilía S. Augustíni Epíscopi.

Tract. 116. in Joann.

Hoc Pilátus non ob áliud fecísse credéndus est, nisi ut ejus injúriis Judæi satiáti, sufficere sibi existimárent, et usque ad ejus mortem sævíre desísterent. Ad hoc pértinet, quod idem præses cohórtem suam étiam permísit fácere, quæ sequúntur, aut fortássis, et jussit, quamvis hoc Evangelísta tacúerit: dixit enim quid deínde fécerint mílites, Pilátum tamen id jussísse non dixit.

℟. Christus passus est pro nobis, vobis relínquens exémplum, ut sequámini vestígia ejus: * Qui peccátum non fecit, nec invéntus est dolus in ore ejus, allel. ℣. Qui cum maledicerétur, non maledicébat; cum paterétur, non comminabátur. Qui.

Lectio viii.

Et mílites, inquit, plecténtes corónam de spinis, imposuérunt cápiti ejus, et veste purpúrea circumdedérunt eum, et veniébant ad

eum, et dicébant: Ave Rex Judæórum, et dabant ei álapas. Sic implebántur, quæ de se prædíxerat Christus: sic Mártyres informabántur ad ómnia, quæ persecutóri libuísset fácere, perferénda; sic paulísper occultáta treménda poténtia, commendabátur prius imitánda patiéntia: sic regnum, quod de hoc mundo non erat, supérbum mundum non atrocitáte pugnándi, sed patiéndi humilitáte vincébat: sic illud granum multiplicándum seminabátur horríbili contumélia, ut mirábili pullluláret in glória.

℟. Mílites præsidis suscipiéntes Jesum in prætórium, congregavérunt ad eum univérsam cohórtem; et exuéntes eum, chlámydem coccíneam circumdedérunt ei: * Et plecténtes corónam de spinis, posuérunt super caput ejus, allelúja, allelúja. ℣. Genufléxi ante eum illudébant ei, dicéntes: Ave Rex Judæórum. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

Exiit íterum Pilátus foras, et dicit eis: Ecce addúco eum foras, ut cognoscátis, quia in eo nullam causam invénio. Exiit ergo Jesus portans spíneam corónam, et purpúreum vestiméntum. Et dicit eis: Ecce homo. Hinc appáret, non ignoránte Piláto hæc a milítibus facta, sive jússerit ea, sive permíserit, illa scílicet causa, quam supra díximus, ut hæc ejus ludíbria inimíci libentíssime bíberent, et ultérius sánguinem non sitírent. Egréditur ad eos Jesus, portans spíneam corónam, et purpúreum vestiméntum, non clarus império, sed plenus oppróbrio, et dícitur eis: Ecce homo. Si regi invidétis, jam párcite, quia dejéctum vidétis. Flagellátus est, spinis coronátus est, ludibriósa veste amíctus est, amáris convíciis illúsus est, álapis cæsus est: fervet ignomínia, frigéscat invídia; sed non frigéscit, inardéscit pótius, et incréscit.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes
et per Horas.

Ant. 1. Mílites præsidis * suscipiéntes Jesum in prætórium, congregavérunt ad eum univérsam cohórtem, allelúja.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Et exuéntes eum * chlámydem coccíneam circumdedérunt ei, allel.

3. Et plecténtes corónam * de spinis, posuérunt super caput ejus, et arúndinem in déxtera ejus, allel.

4. Et genu flexo * ante eum, illudébant ei dicéntes: Ave Rex Judæórum, allelúja.

5. Et exspuéntes in eum, * accepérunt arúndinem, et percutiébant caput ejus, allelúja.

Capitulum. Cant. 3.

Egredímini, et vidéte fíliæ Sion regem Salomónem in diadémate, quo coronávit illum mater sua, in die desponsatiónis illíus, et in die lætítiæ cordis ejus.

Hymnus.

Ætérnæ Regi glóriæ
Devóta laudum cántica
Fidéles solvant hódie
Pro coróna Domínica.

Corónat Regem ómnium
Coróna contuméliæ;
Cujus nobis oppróbrium
Corónam confert glóriæ.

De spinárum acúleis
Christo coróna pléctitur,

Qua minístris tartáreis
Mundi potéstas tóllitur.
Coróna **Christi cápitis**
Sacro perfúsa sánguine,
Pœnis solútis débitis,
Reos purgat a crímine.
Quaésumus **Auctor ómnium**
In hoc Pascháli gaúdio
Ab omni mortis ímpetu
Tuum defénde pópulum.
Deo **Patri sit glória,**
Et Fílio, qui a mórtuis
Surréxit, ac Paráclito,
In sæculórum sǽcula. Amen.

℣. **Dóminus regnávit, decórem índuit, allel.** ℟. **Induit Dñs fortitúdinem, et præcínxit se virtúte, allel.**

Ad Bened. Ant. **Mílites índuunt * Jesum púrpura, et impónunt ei plecténtes spíneam corónam. Et cœpérunt salutáre eum: Ave Rex Judæórum, allelúja.**

Oratio.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus: ut qui in memóriam Passiónis Dómini nostri Jesu Christi corónam ejus spíneam venerámur in terris, ab ipso glória, et honóre coronári mereámur in cœlis: Qui tecum vivit et regnat.

Ad Tertiam.

Ant. **Et exuéntes eum.**

Capit. **Egredímini.** ut supra. **26***

℟. br. **Tuam corónam adorámus Dómine, * Allelúja, allel. Tuam.** ℣. **Tuum gloriósum recólimus triúmphum. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Tuam.**

℣. **Glória et honóre coronásti eum Dómine, allelúja.** ℟. **Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, allelúja.**

Ad Sextam.

Ant. **Et plecténtes corónam.**

Capitulum. Apoc. 6.

Vidi: et ecce equus albus, et qui sedébat super illum, habébat arcum, et data est ei coróna, et exívit vincens, ut vínceret.

℟. br. **Glória et honóre coronásti eum Dómine, * Allelúja, allel. Glória et.** ℣. **Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Allelúja, allel. Glória Patri. Glória et.**

℣. **Eris coróna glóriæ in manu Dómini, allelúja.** ℟. **Et diadéma regni in manu Dei tui, allelúja.**

Ad Nonam.

Ant. **Et exspuéntes in eum.**

Capitulum. Isaiæ 28.

In illa die erit Dóminus exercítuum coróna glóriæ, et sertum exsultatiónis resíduo pópuli sui.

℟. br. **Eris coróna glóriæ in manu Dómini, * Allelúja, allelúja. Eris coróna.** ℣. **Et diadéma regni in manu Dei tui. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Eris coróna.**

℣. **Dóminus regnávit, decórem índuit, allelúja.** ℟. **Induit Dóminus fortitúdinem, et præcínxit se virtúte, allelúja.**

In II. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud. **26*** Ps. ut in I. Vesp. de Communi Apost.

Hymnus ut in I. Vesperis. **22***

℣. **Tuam corónam adorámus Dómine, allelúja.** ℟. **Tuum gloriósum recólimus triúmphum, allel.**

Ad Magnif. Ant. **O corónæ miránda dígnitas! mortis pœnas débitas repéllis; tu spes lapsis, fírmitas infírmis; tu restaúras corónas pérditas, allelúja, allelúja.**

Die 11. Maji.
S. Pauli a Cruce Confessoris.

Duplex.

Omnia ut in Breviario die 28. April.

Die 22. Maji.
(Dies assignata ex 15. hujus.)

Ss. Torquati et **Soc.** Ep. et Mart.

Duplex.

Omnia de Communi Mart. tempore Pasch., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui nos post beatíssimum Jacóbum Apóstolum, per beátos Mártyres tuos atque Pontífices Torquátum, Ctesiphóntem, Secúndum, Indalétium, Cæcílium, Hesýchium et Euphrásium ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti: concéde propítius; ut quos festívo venerámur obséquio, eórum intercedéntibus méritis, ætérna gaúdia consequámur. Per Dóminum.

In I. Noct. Lect. de Script. occurr.

In II. Nocturno Lect. ut in Proprio Hispan., in Festo S. Torquati Mart.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Ego sum vitis vera.** de Comm. Mart. temp. Pasch.

Die 24. Maji.
B. Joannis de Prado Mart.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart. temp. Pasch., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui contra Mahuméticam pravitátem beátum Joánnem verbi tui præcónem exímium effecísti: concéde; ut sicut ipse pro tuæ fídei dilatatióne martýrii palmam méruit obtinére, sic nos ejus intercessióne fídei nostræ præmia cónsequi mereámur. Per Dñm.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Joánnes Morgobréssii in Hispánia nobílibus paréntibus natus, dum in Salmantína Academía humánis lítteris vacáret altióris doctrínæ cúpidus, Christum Dei sapiéntiam sequi elégit in Ordine Minórum. Factus voti sui compos in Província Sancti Gabriélis Fratrum de strictióri Observántia Excalceatórum cunctis religiósi hóminis virtútibus contínuo resplénduit. Caritátis flamma succénsus a tyrocínio, verum Evangélii lumen usque ad últimos fines orbis diffúndere satégit; a magístro tamen suo dídicit, ejúsmodi fervéntes conátus fore in longum protrahéndos. Igitur se humíliter commíttens imperscrutábili providéntiæ Dei, sacras conciónes magno cum fructu animárum frequénter hábuit. Híspali, ubi non paucis annis commorátus est, ob egrégias quibus eminébat virtútes, magnum sibi nomen comparávit, et ómnibus ómnia factus, plúrimos verbo et exémplo Christo lucrifécit. Beatíssimæ Vírginis Maríæ piíssimus cultor, devotiónem erga Immaculátam ejus Conceptiónem zelo ardentíssimo promóvit, pluribúsque sóciis sibi ascítis, ejus festum magna ómnium lætítia solémni cultu, et pópulo dúlciter hymnos canénte, celebrári curávit. In munéribus Religiónis, et máxime in regímine Provínciæ Sancti Dídaci, cujus gubernácula primus ex obediéntia ténuit, disci-

plínæ reguláris fuit præcípuus assértor, atque exémplar exímium.

℟. Lux perpétua.

Lectio v.

Fervéntius sítiens conversiónem infidélium, adíre destináverat Guadalupénses ínsulas; sed ab Urbáno octávo míttitur in Africam, plúribus munítus privilégiis; cumque gravíssimis superátis difficultátibus Maróchium pervenísset, fidéles, mísera captivitáte íníbi deténtos, tum sacramentórum administratióne, tum ferventíbus mónitis in lege Dómini mirabíliter confirmábat, cunctósque solabátur, ómnibus ómnia factus. His actus in rábiem ímpius rex Joánnem in cárcerem mitti ímperat, férrea caténa constríctum, ubi víncula pie osculátus, in hæc verba prorúpit: „Modo, Deus meus, óptime nosco amórem tuum in me. Quando ipse hoc benefícium proméruí?“ Insuper ferris et compédibus auctus, duríssimum quoque labórem sustínuit in terendo púlvere tormentário, et cum a nequíssimo custóde álapis ac fuste cæderétur, grátias Deo placidíssime repéndens, crebras precatiónes pro inimícis fundébat. Sǽpius edúctus ad præséntiam tyránni tótidem de mystériis Cathólicæ Fídei disséruit tanto ratiónum póndere, ut ipse rex fassus fúerit se convínci.

℟. In servis suis.

Lectio vi.

Ex his percúlsus furóre tyránnus gravióra torménta eídem minitátur. Cumque semel, et bis eum damnásset ad flagélla, ac proínde verus Christi imitátor ligátus ad marmóream colúmnam diris flagris támdiu cæsus fuísset, donec ánimam ágere viderétur, gravi póstea vúlnere cápiti inflícto sagítta illum transverberávit. Quo témpore fertur, vultum ipsíus cœlésti splendóre irradiátum, instar solis apparuísse. Sed iníquus rex injúnxit astántibus satellítibus suis, ut nudátis gládiis athlétam Dei tumultuárie feríirent, quod sæve præstitérunt. Demum ínclytus Evangélii præco semivívus in ardéntem rogum injéctus, stans inter flammas ipsas constánti ánimo Christum annuntiáre non déstitit, donec lapídibus impetítus, et cránio sude confrácto, consummáto tandem martýrio, cœlos victor penetrávit. Célebri hoc triúmpho inflammáti alúmni Províncíæ Sancti Dídaci, qui tanti Mártyris relíquias venerándas, máxima cum diligéntia obtinuérunt, et in civitáte Hispalénsi religiosíssime asservárunt, annuénte Sancta Sede, ad hæc usque témpora consérvant in illis pártibus Apostólicas Missiónes sub ejúsdem Beáti præsídio, quem virtútibus, passióne, ac miráculis præclárum Benedíctus décimus tértius inter beátos mártyres numerávit. ℟. Fíliæ Jerúsalem.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Ego sum vitis vera.** de Comm. Mart. temp. Pasch.

Die 30. Maji.

In Festivitate

S. Ferdinandi, Castellæ et Legionis Regis, Confessoris.

Duplex 1. class. cum Octava.

Omnia ut in Proprio Hispaniarum.

Die 31. Maji.
In Festo
B. M. V. Reginæ Ss. Omnium et **Matris pulchræ Dilectionis.**
Duplex 2. classis.
Omnia ut in Proprio Hispaniarum.

Die 1. Junii.
(Dies assignata ex 31. Maji.)
S. Angelæ Mericiæ Virginis.
Duplex.
Omnia ut in Brev. die 31. Maji.

Die 3. Junii.
B. Joañis Grande, cognomento Pecador, Confessoris.
Duplex majus.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter sequentia.

In I. Vesperis.
Hymnus.

Sacer Beátis áddito
Hymnus Joánni cónvolet
Quem diva perdoléntibus
Fecit paréntem Grátia.

Duro geméntes cárcere
Cum mitis ille vísitat,
Repénte squallor aúfugit,
Dulce et subíntrat gaúdium.

Si pane gentes índigent,
Faméque languet Bǽtica,
Christi æmulátor próvida
Cibos adaúget déxtera.

Vultu seréno pródigus
Venéna pestis ímpetit;
Ut servet ægros, víctimam
Se caritátis éxhibet.

Sæclum per omne glória
Tibi sit, alma Trínitas,
Nos et Patróni fórtiter
Calcáre da vestígia. Amen.

Ad Magnif. Ant. **Ab infántia mea crevit mecum miserátio, et de útero matris meæ egréssa est mecum, allelúja.**

Oratio.

Clementíssime Deus, qui beáto Joánni Confessóri tuo tantam dedísti grátiam, ut in summæ innocéntiæ et caritátis vita Peccatóris nomen atque pœniténtiam assúmeret: concéde propítius; ut ejus intercessióne humilitátis ac misericórdiæ opéribus inténti, Tibi in ómnibus puro corde placeámus. Per Dóminum nostrum.

Ad Matutinum, Hymnus ut supra in Vesperis.

In I. Nocturno Lect. **Beátus vir.** ut in Communi 2. loco.

In II. Nocturno.
Lectio iv.

Joánnes Grande, vulgári quod sibi sumpsit agnómine Peccátor nuncupátus, ortus Carmónæ in Andalucía, vel prima in pueritia exímiam porténdere visus est sanctitátem. Mirus ánimi candor, humíllimus de se rebúsque suis sensus, singuláris in Deum píetas, effúsa erga paúperes cáritas in puérulo eminébant. Quintodécimo ætátis anno, de paréntum voluntáte mercatúram exércuit; sed paulo post christiánæ perfectiónis desidério succénsus, negotiatiónem, pátriam, necessários relínquens, in erémum prope Marcénam se recépit; ubi et orándi et patiéndi cupiditáti, qua medúllitus flagrábat, únice indúlsit. Intérea gravis illum urgébat cura quid et in pósterum ágeret; ac multa de re ista cogitánti Deus, qui suáviter cuncta dispónit, paullátim demonstrávit quid vellet. Primum quippe binos ei míseros ægrotósque curándos objécit: mox eúmdem ad públicum Xerésii valetudinárium

dedúxit; ad hæc novum in dicta Civitáte nosocómium e fundaméntis excitátum suæ curæ commítti, et plúrimos ei sócios adjúngi dispósuit: tandem admónuit, ut quæ ægrotórum bono suscéperat, obediéntiæ mérito adornáret, ac recens tunc témporis sancti Joánnis de Deo Institútum amplecterétur.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Quis verbis éxprimat alacritátem, qua Deo vocánti Joánnes páruit? Granátam advolávit, ibíque cum sóciis hábitu illíus Ordinis suscépto, solémni se sacraménto astrínxit. Relíctis semel rebus ómnibus, iis perpétuo carére summa religióne vóluit. Ejus castimónia Angelis prope digna visa est; ad quam contra dæmonum et mulíerum insídias servándam peculiárem Deíparæ, Joánnis Evangelístæ, atque Agnétis Vírginis et Mártyris, quibus mundítiam suam eníxe commendáverat, est opem expértus. Obediéntiam céteris ómnibus antétulit. Ab adolescénte funes, caténas, cilícia in sui cruciátum adhíbuit. Religiónem ingréssus, vili obsónio, eodémque módico conténtus fuit; immo plures hebdómadæ dies jejúnus transégit; somni parcíssimus aut nuda humo, aut super ássibus cubábat. Contumélias vero ac probra lætus atque hilaris devorávit, sæpéque véniam pétiit ab iis qui injúrias intulíssent tamquam id sua culpa factum foret. Deum viva fide, firma spe, ardénti caritáte præsértim in Sanctíssimis Nativitátis, Passiónis et Eucharístiæ Mystériis jugi oratióne recogitábat, in qua suavíssimis stupendísque ráptibus frequénter afficiebátur.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

Deo plenus haud póterat non Deum ipsum in paupéribus intuéri et dilígere vix ac moderándis Xerésii valetudináriis præpósitus fuit. Quocírca ægrórum causa ostiátim emendicáre, suis illos húmeris convéhere, léctulos stérnere, vulnéribus vel fœdíssimis medéri, unus ómnibus adésse in delíciis hábuit. Tum extra valetudinária curas próferens, cárcere deténtis, puéllis periclitántibus, víduis, pupíllis, egénis quibuscúmque non córporis tantum sed et ánimæ præsídia suppeditábat; ádeo ut complúres e vitiórum cœno ad ætérnæ beatitúdinis stúdium revocáret. Quum dira fames ob summam annónæ caritátem Xerésii grassarétur, magna panis vi sæpe étiam per prodígium multiplicáta, esuriéntes quotídie refécit. Nec ea satis: nam pejóre malo paulo post civitátem depopulánte, lue nimírum tetérrima, ex qua magna incolárum imminútio fíeret, Joánnes tot ac tanta pro frátribus ubíque patrávit, ut porténto simília videréntur. Et ea sane cáritas, quæ tantum levaménti per Joánnem céteris attúlerat, ætérnam illi corónam proméruit. Letháli síquidem morbo corréptus, die ac húmili modo quem prædíxerat, tértio Nonas Június anno millésimo sexcentésimo, ætátis suæ quinquagésimo quarto, terrénas ærúmnas cum cœléstibus gaúdiis commutávit. Sepúlchrum, ut ipse in votis habúerat, inglórium Deus contra glorió-

sum esse vóluit; et quem sóspitem exaltáverat, étiam post óbitum plúrimis miráculis dignátus est. Quare Pius Nonus Póntifex Máximus per Lítteras in forma Brevis prolátas Kaléndis Octóbris anno millésimo octingentésimo quinquagésimo secúndo ut Beátus appellári, ejúsque Offícium et Missa in Ecclésiis sui Ordinis eódem sui óbitus die quotánnis celebrári posset, clementíssime indúlsit.

℟. Iste homo.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vii. Cap. 8.

In illo témpore: Quum turba multa esset cum Jesu, nec habérent quod manducárent, convocátis discípulis, ait illis: Miséreor super turbam. Et réliqua.

Homilía sancti Basilii Epíscopi.

De diversis hom. 8.

Vides et ipse nostrum Deum prætéritis non raro áliis incómmodis, esuriéntes condolénti ánimo miseréri: Miséreor enim, inquit, turbæ. Quare et in extrémo judício, ubi ádvocat justos Dóminus, locum primum óccupat qui largus fuit ac liberális: nutrítor primas tenet inter eos, quibus prǽmia dantur: panem qui ministrávit, vocátur ante omnes: qui benígnus fuit et liberális, ante réliquos justos ad vitam transmíttitur. Qui illiberális éxstitit et sórdidus, ante omnes peccatóres igni tráditur. ℟. Iste est qui.

Lectio viii.

Jam te ad matrem mandatórum ipsa témporis opportúnitas vocat; eóque magnópere cura, ne te prætéreat nundinárum occásio, atque commerciórum. Fugit enim tempus, nec exspéctat morántem: festínant dies, segnem prætergrediúntur, ob idque mandátum velut fúgiens détine, ac cónfice: et undélibet arréptum ulnis ampléctere. Dato pauca, et multa comparáto: exsólvito primigénium peccátum cibariórum largitióne. Quemádmodum enim Adam ímprobo esu peccátum transmísit, sic nos in insidiántem escam abolémus, si fratris necessitátem famémque curámus. ℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Habes non pauca tum ex véteri, tum ex novo Testaménto fratérni amóris exémpla: senem fame laborántem si víderis, accérse ipsum et ale, velut Joséphus Jacóbum; inimícum si repéreris in angústiis pósitum, ne adjúnge ad iram qua occupáris ultiónem, sed ale, velut ille fratres a quibus fúerat vénditus. Si incíderis in juniórem afflictátum, ita eum defléсto, ut ille Bénjamin senectútis fílium. Unumquémque autem Judex justus remunerábitur: quem decet glória, potéstas et adorátio in sǽcula sæculórum. Amen.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes.

Hymnus.

Qui valle in hac misérrima
Opem negásti némini,
Cœlésti ab arce súpplicum
Preces, Joánnes, éxcipe.

Tonántis iram mítiga,
Quam culpa nostra próvocat;

Quidquid merémur, lénitas
Per te supérna déleat.
Nostris recédant fínibus
Morbi, tumúltus, prælia;
Dracónis artes éfferi
Eant in auras írritæ.
De tot triúmphet hóstibus,
Te deprecánte, Ecclésia;
Novísque palmis júgiter
Ovíle Christi flóreat.
Sæclum per omne glória
Tibi sit, alma Trínitas;
Nos et Patróni fórtiter
Calcáre da vestígia. Amen.

Ad Bened. Ant. **Amen dico vobis: quámdiu fecístis uni ex his frátribus meis mínimis, mihi fecístis, allelúja.**

In II. Vesp. Hymnus ut in I. Vesp.

Ad Magnif. Ant. **Ego diléсto meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília, allelúja.**

Die 6. Junii.

Octava **S. Ferdinandi** Reg. Conf.

Duplex.

Omnia ut in Propr. Hispan. ead. die.

Die 7. Junii.

Ss. Petri, Wistremundi et **Walabonsi** Mart. Astigitanorum.

Duplex majus.

Omnia de Communi Mart. tempore Pasch., præter sequentia.

Oratio.

Da, quæsumus, omnípotens Deus, pópulo tuo cum beatórum Mártyrum tuórum Petri et Sociórum ejus patrocínio supplicánti, et tantæ fídei exémplo profícere, et ætérnæ vitæ reperíre subsídium. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones **Fratres: Debitóres.** de Communi plurim. Mart.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Ex memoriali Ss. D. Eulogii, lib. 2. c. 4.

[redacted]eatórum Mártyrum Isaac et Sánctii cruóre irrigáta tellus Cordubénsis, tria post diem tértium pária cœlo péperit. In iis Petrus Sacérdos Astigitánus, et Walabónsus diáconus, Maríæ Mártyris frater, qui Córdubam discendárum ártium causa convénerant, et ob doctrínæ morúmque præstántiam Cuteclarénsi vírginum cœnóbio præfécti sunt: Sabiniánus quoque ex Froniáno Córdubæ vico, et Wistremúndus Astigitánus ex Armilaténsis beáti Zoýli cœnóbio ad subeúndum pro Christi fide martýrium processére.

℟. **Lux perpétua.**

Lectio v.

Habéntius prætérea Cordubénsis austeritáte vitæ præclárus, qui Monachórum vitam ampléxus in cœnóbio sancti Christóphori, quod ultra flumen ad urbem spectábat, voluntário sese cárcere inclúsit, nec nisi per fenéstram, idque raro, ad se veniéntibus sui cópiam faciébat. Ibi sǽculo mórtuus férreis ad carnem indútus láminis, Christo vivébat, ac sese ad illa, quæ pro eo passúrus erat, torménta miles strénuus informábat.

℟. **In servis suis.**

Lectio vi.

Hi quinque viri fortíssimi cum beáto sene Hieremía simul ad expugnándum hostem ímprobum accedéntes, uno ore clamárunt, se in eádem fídei professióne manére; confitéri Christum; vatem suum impuríssimum detestári. Hæc cum dícerent, juguléri jubéntur; accúr-

runt lictóres, et céteros quidem illǽsos, beátum vero Hieremíam flagris gráviter cæsum, et inter ipsa vérbera emórtuum, ac vix hæréntem gréssibus trahunt; et cunctos cápite plectunt, anno Dómini octingentésimo quinquagésimo primo, die Júnii séptimo. Córpora stipítibus affíxa, paulo post flammis exústa sunt, et cíneres in flumen sunt injécti. ℟. **Fíliæ Jerúsalem.**

In III. Nocturno Homil. in Evang. **Ego sum vitis.** de Comm. 2. loco.

Die 10. Junii.

Ss. Crispuli et Restituti Mart.

Duplex majus.

Omnia de Comm. Mart. temp. Pasch. 2. loco.

Oratio.

Deus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Críspuli et Restitúti natalítia cólere: da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum nostrum.

Suffragia Sanctorum,

quæ dicuntur in fine Vesperarum et Laudum, in Dominicis, Feriis et Festis semiduplicibus (exceptis infra Oct.) ab Octava Epiphaniæ usque ad Dominicam Passionis exclusive. et ab Octava Pentecostes usque ad Adventum etiam exclusive.

De sancta Maria.

Quamvis in Choro recitatum fuerit ejus Officium parvum, quia est Patrona Hispaniæ.

Ad Vesp. et Laud. Ant. **Sancta María, succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro Clero, intercéde pro devóto femíneo sexu; séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam commemoratiónem.**

℣. **Ora pro nobis, sancta Dei Génitrix.** ℟. **Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.**

Orémus.

Concéde nos fámulos tuos, quǽsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére: et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia.

Ab Oct. Epiph. usque ad Purificationem dicitur:

℣. **Post partum, Virgo, invioláta permansísti.** ℟. **Dei Génitrix, intercéde pro nobis.**

Orémus.

Deus, qui salútis ætérnæ beátæ Maríæ virginitáte fœcúnda, humáno géneri prǽmia præstitísti: tríbue, quǽsumus; ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ suscípere Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

De S. Joseph,

Sponso B. M. V. Eccl. Patr.

Ante alios, exceptis Angelis et S. Joanne Baptista.

Ad Laudes. Ant. **Ipse Jesus erat incípiens, quasi annórum trigínta, ut putabátur fílius Joseph.**

℣. **Os justi meditábitur sapiéntiam.** ℟. **Et lingua ejus loquétur judícium.**

Ad Vesperas. Ant. Ecce fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam.

℣. Glória et divítiæ in domo ejus. ℟. Et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Orémus.

Deus, qui ineffábili providéntia beátum Joseph sanctíssimæ Genitrícis tuæ Sponsum elígere dignátus es: præsta quæsumus; ut quem protectórem venerámur in terris, intercessórem habére mereámur in cœlis.

De Ss. Apostolis.

Ad Laudes. Ant. Gloriósi Príncipes terræ, quómodo in vita sua dilexérunt se, ita et in morte non sunt separáti.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Ad Vesp. Ant. Petrus Apóstolus, et Paulus Doctor Géntium, ipsi nos docuérunt legem tuam, Dñe.

℣. Constítues eos Príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui Dómine.

Orémus.

Deus, cujus déxtera beátum Petrum ambulántem in flúctibus ne mergerétur, eréxit, et coapóstolum ejus Paulum tértio naufragántem de profúndo pélagi liberávit: exaúdi nos propítius et concéde; ut ambórum méritis æternitátis glóriam consequámur.

De S. Jacobo Apostolo.

Ad Laudes. Ant. Visitávit nos per sanctum suum Apóstolum, et fecit salútem de inimícis nostris Dóminus Deus noster.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Vesperas. Ant. O beátum Apóstolum, qui inter primos eléctus, primus ómnium Apostolórum Dómini cálicem bíbere méruit! O gloriósum Hispániæ Regnum, tali pígnore ac Patróno munítum, per quem fecit illi magna, qui potens est! Allelúja.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Orémus.

Esto, Dómine, plebi tuæ sanctificátor, et custos: ut beáti Jacóbi Apóstoli tui muníta præsídiis, et conversatióne tibi pláceat, et secúra mente desérviat.

De S. Isidoro.

Ad Laudes. Ant. Euge serve bone, et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Vesperas. Ant. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Isidóre, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

℣. Justum dedúxit. ut supra.

Orémus.

Intervéniat pro nobis, quæsumus, Dómine, beátus Póntifex, et Hispániæ Doctor Isidórus: ut ejus intercessióne ad ætérna præmia perveníre mereámur.

De Pace.

Ad Vesp. et Laud. Ant. Da pacem Dómine in diébus nostris, quia non est álius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster.

℣. Fiat pax in virtúte tua. ℟. Et abundántia in túrribus tuis.

Orémus.

Deus, a quo sancta desidéria, recta consília, et justa sunt ópera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; ut et corda nostra mandátis tuis dédita, et hóstium subláta formídine, témpora sint tua protectióne tranquílla. Per Dóminum.

Commem. de Cruce,
in feriali tantum Officio.

Ad Vesp. et Laud. Ant. **Per signum Crucis de inimícis nostris líbera nos, Deus noster.**

℣. Omnis terra adóret te, et psallat tibi. ℟. Psalmum dicat nómini tuo, Dómine.

Orémus.

Perpétua nos, quǽsumus, Dómine, pace custódi, quos per lignum sanctæ Crucis redímere dignátus es.

Tempore Paschali usque ad Ascensionem fit commem. de Cruce, tam in Officio de Temp. quam de Sanctis, nisi sit duplex aut infra Oct., ut sequitur:

Ad Laudes. Ant. **Crucifíxus, surréxit a mórtuis, et redémit nos, allelúja, allelúja.**

℣. Dícite in natiónibus, allelúja.
℟. Quia Dñs regnávit a ligno, allel.

Orémus.

Deus, qui pro nobis Fílium tuum Crucis patíbulum subíre voluísti, ut inimíci a nobis expélleres potestátem; concéde nobis fámulis tuis, ut resurrectiónis grátiam consequámur. Per eúmdem Dñm.

Ad Vesperas. Ant. **Crucem Sanctam súbiit, qui inférnum confrégit: accínctus est poténtia, surréxit die tértia, allelúja.**

℣. et Oratio ut supra.

Index alphabeticus.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 1. Septembris 1889.

G. Erlenborn, Vic. in Spirit. Gen.

Sumptibus et Typis Fr. Pustet, S. Sedis Apost. et S. Rit. Congr. Typogr.



OFFICIA PROPRIA
SANCTORUM
ARCHIDIŒCESIS HISPALENSIS.

PARS ÆSTIVA.

Die 11. Maji.

S. Pauli a Cruce Confessoris.

Duplex sed ad modum Simplicis recolendum.

In I. Vesp. Ant. **Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.**

℣. **Amávit eum Dñs, et ornávit eum.** ℟. **Stolam glóriæ índuit eum.**

Ad Laudes. Ant. **Euge serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gaúdium Dómini tui.**

℣. **Justum dedúxit Dóminus per vias rectas.** ℟. **Et osténdit illi regnum Dei.**

In II. Vesp. Ant. **Hic vir despíciens mundum et terréna triúmphans, divítias cœlo cóndidit ore, manu.**

℣. **Justum dedúxit** ut supra.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui ad mystérium Crucis prædicándum sanctum Paulum singulári caritáte donásti, et per eum novam in Ecclésia famíliam floréscere voluísti: ipsíus nobis intercessióne concéde; ut Passiónem tuam júgiter recoléntes in terris, ejúsdem fructum cónsequi mereámur in cœlis. Qui vivis.

Die 22. Maji.

(Dies assignata ex 15. hujus.)

Ss. Torquati et **Sociorum** Episc. et Martyrum.

Duplex.

Omnia de Communi plurim. Mart., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui nos post beatíssimum Jacóbum Apóstolum, per beátos Mártyres tuos atque Pontífices Torquátum, Ctesiphóntem, Secúndum, Indalétium, Cæcílium, Hesýchium et Euphrásium ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti; concéde propítius, ut quos festívo venerámur obséquio, eórum intercedéntibus méritis, ætérna gaúdia consequámur. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno Lectiones ut in Proprio Hispaniæ, in Festo S. Torquati Martyris.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Cum audiéritis.** de Comm. plur. Mart.

Die 24. Maji.

B. Joannis de Prado Mart.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui contra Mahumétícam pravitátem beátum Joánnem verbi tui præcónem exímium effecísti: concéde, ut sicut ipse pro tuæ Fídei dilatatióne martýrii palmam méruit obtinére, sic nos ejus intercessióne fídei nostræ prǽmia cónsequi mereámur. Per Dñm.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Joánnes Morgobréssii in Hispánia nobílibus paréntibus natus, dum in Salmantína Académía humánis lítteris vacáret altióris doctrínæ cúpidus, Christum Dei sapiéntiam sequi elégit in Ordine Minórum. Factus voti sui compos in Província Sancti Gabriélis Fratrum de strictióri Observántia Excalceatórum cunctis religiósi hóminis virtútibus contínuo resplénduit. Caritátis flamma succénsus a tyrocínio, verum Evangélii lumen usque ad últimos fines orbis diffúndere satégit; a magístro tamen suo dídicit, ejúsmodi fervéntes conátus fore in longum protrahéndos. Igitur se humíliter commíttens imperscrutábili providéntiæ Dei, sacras conciónes magno cum fructu animárum frequénter hábuit. Híspali, ubi non paucis annis commorátus est, ob egrégias quibus eminébat virtútes, magnum sibi nomen comparávit, et ómnibus ómnia factus, plúrimos verbo et exémplo Christo lucrifécit. Beatíssimæ Vírginis Maríæ piíssimus cultor, devotiónem erga Immaculátam ejus Conceptiónem zelo ardentíssimo promóvit, pluribúsque sóciis sibi ascítis, ejus festum magna ómnium lætítia solémni cultu, et pópulo dúlciter hymnos canénte, celebrári curávit. In munéribus Religiónis, et máxime in regímine Províncíæ Sancti Dídaci, cujus gubernácula primus ex obediéntia ténuit, disciplínæ reguláris fuit præcípuus assértor, atque exémplar exímium.

℟. **Honéstum fecit.**

Lectio v.

Fervéntius sítiens conversiónem infidélium, adíre destináverat Guadalupénses ínsulas; sed ab Urbáno octávo míttitur in Africam, plúribus munítus privilégiis; cumque gravíssimis superátis difficultátibus Maróchium pervenísset, fidéles, mísera captivitáte íníbi deténtos, tum sacramentórum administratióne, tum fervéntibus mónitis in lege Dómini mirabíliter confirmábat, cunctósque solabátur, ómnibus ómnia factus. His actus in rábiem ímpius rex Joánnem in cárcerem mitti ímperat, férrea caténa constríctum, ubi víncula pie osculátus, in hæc verba prorúpit: „Modo, Deus meus, óptime nosco amórem tuum in me. Quando ipse hoc benefícium pro-

mérui?" Insuper ferris et compédibus auctus, duríssimum quoque labórem sustínuit in teréndo púlvere tormentário, et cum a nequíssimo custóde álapis ac fuste cæderétur, grátias Deo placidíssime repéndens, crebras precatiónes pro inimícis fundébat. Sæpius edúctus ad præséntiam tyránni tótidem de mystériis Cathólicæ Fídei disséruit tanto ratiónum póndere, ut ipse rex fassus fúerit se convínci.

℟. **Desidérium ánimæ.**

Lectio vi.

Ex his percúlsus furóre tyránnus gravióra torménta eídem innitátur. Cumque semel, et bis eum damnásset ad flagélla, ac proínde verus Christi imitátor ligátus ad marmóream colúmnam diris flagris támdiu cæsus fuísset, donec ánimam ágere viderétur, gravi póstea vúlnere cápiti inflícto sagítta illum transverberávit. Quo témpore fertur, vultum ipsíus cœlésti splendóre irradiátum, instar solis apparuísse. Sed iníquus rex injúnxit astántibus satellítibus suis, ut nudátis gládiis athlétam Dei tumultuárie ferírent, quod sæve præstitérunt. Demum ínclytus Evangélii præco semivívus in ardéntem rogum injéctus, stans inter flammas ipsas constánti ánimo Christum annuntiáre non déstitit, donec lapídibus impetítus, et cránio sude confrácto, consummáto tandem martýrio, cœlos victor penetrávit. Célebri hoc triúmpho inflammáti alúmni Províncíæ Sancti Dídaci, qui tanti Mártyris relíquias venerándas, máxima cum diligéntia obtinuérunt, et in civitáte Hispalénsi religiosíssime asservárunt, annuénte Sancta Sede, ad hæc usque témpora consérvant in illis pártibus Apostólicas Missiónes sub ejúsdem Beáti præsídio, quem virtútibus, passióne, ac miráculis præclárum Benedíctus décimus tértius inter beátos mártyres numerávit. ℟. **Stola jucunditátis.**

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Si quis vult post me veníre.** de Communi Mart. 2. loco.

Die 30. Maji.

In Festivitate

S. Ferdinandi, Castellæ et Legionis Regis, Confessoris.

Duplex 1. class. cum Octava.

Omnia ut in Proprio Hispaniae.

Die 31. Maji.

In Festo

B. M. V. Reginæ Ss. Omnium et **Matris pulchræ Dilectionis.**

Duplex 2. classis.

Omnia ut in Proprio Hispaniae.

Die 1. Junii.

(Dies assignata ex 31. Maji.)

S. Angelæ Mericiæ Virginis.

Duplex.

Omnia ut in Brev. die 31. Maii.

Die 3. Junii.

B. Joañis Grande, cognomento Pecador, Confessoris.

Duplex majus.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter sequentia.

In I. Vesperis.

Hymnus.

Placer Beátis áddito
Hymnus Joánni cónvolet
Quem diva perdoléntibus
Fecit paréntem Grátia.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.
In II. Nocturno Lectiones ut in Proprio Hispaniæ, in Festo S. Torquati Martyris.
In III. Nocturno Homilia in Evang. **Cum audiéritis.** de Comm. plur. Mart.

Die 24. Maji.
B. Joannis de Prado Mart.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui contra Mahuméticam pravitátem beátum Joánnem verbi tui præcónem exímium effecísti: concéde, ut sicut ipse pro tuæ Fídei dilatatióne martýrii palmam méruit obtinére, sic nos ejus intercessióne fídei nostræ prǽmia cónsequi mereámur. Per Dñm.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Joánnes Morgobréssii in Hispánia nobílibus paréntibus natus, dum in Salmantína Académía humánis lítteris vacáret altióris doctrínæ cúpidus, Christum Dei sapiéntiam sequi elégit in Ordine Minórum. Factus voti sui compos in Província Sancti Gabriélis Fratrum de strictióri Observántia Excalceatórum cunctis religiósi hóminis virtútibus contínuo resplénduit. Caritátis flamma succénsus a tyrocínio, verum Evangélii lumen usque ad últimos fines orbis diffúndere satégit; a magístro tamen suo dídicit, ejúsmodi fervéntes conátus fore in longum protrahéndos. Igitur se humíliter commíttens imperscrutábili providéntiæ Dei, sacras conciónes magno cum fructu animárum frequénter hábuit. Híspali, ubi non paucis annis commorátus est, ob egrégias quibus eminébat virtútes, magnum sibi nomen comparávit, et ómnibus ómnia factus, plúrimos verbo et exémplo Christo lucrifécit. Beatíssimæ Vírginis Maríæ piíssimus cultor, devotiónem erga Immaculátam ejus Conceptiónem zelo ardentíssimo promóvit, pluribúsque sóciis sibi ascítis, ejus festum magna ómnium lætítia solémni cultu, et pópulo dúlciter hymnos canénte, celebrári curávit. In munéribus Religiónis, et máxime in regímine Províncíæ Sancti Dídaci, cujus gubernácula primus ex obediéntia ténuit, disciplínæ reguláris fuit præcípuus assértor, atque exémplar exímium.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Fervéntius sítiens conversiónem infidélium, adíre destináverat Guadalupénses ínsulas; sed ab Urbáno octávo míttitur in Africam, plúribus munítus privilégiis; cumque gravíssimis superátis difficultátibus Maróchium pervenísset, fidéles, mísera captivitáte íníbi deténtos, tum sacramentórum administratióne, tum fervéntibus mónitis in lege Dómini mirabíliter confirmábat, cunctósque solabátur, ómnibus ómnia factus. His actus in rábiem ímpius rex Joánnem in cárcerem mitti ímperat, férrea caténa constríctum, ubi víncula pie osculátus, in hæc verba prorúpit: „Modo, Deus meus, óptime nosco amórem tuum in me. Quando ipse hoc benefícium pro-

mérui?" Insuper ferris et compédibus auctus, duríssimum quoque labórem sustínuit in teréndo púlvere tormentário, et cum a nequíssimo custóde álapis ac fuste cæderétur, grátias Deo placidíssime repéndens, crebras precatiónes pro inimícis fundébat. Sæpius edúctus ad præséntiam tyránni tótidem de mystériis Cathólicæ Fídei disséruit tanto ratiónum póndere, ut ipse rex fassus fúerit se convínci.

℟. Desidérium ánimæ.

Lectio vi.

Ex his percúlsus furóre tyránnus gravióra torménta eídem innitátur. Cumque semel, et bis eum damnásset ad flagélla, ac proínde verus Christi imitátor ligátus ad marmóream colúmnam diris flagris támdiu cæsus fuísset, donec ánimam ágere viderétur, gravi póstea vúlnere cápiti inflícto sagítta illum transverberávit. Quo témpore fertur, vultum ipsíus cœlésti splendóre irradiátum, instar solis apparuísse. Sed iníquus rex injúnxit astántibus satellítibus suis, ut nudátis gládiis athlétam Dei tumultuárie ferírent, quod sæve præstitérunt. Demum ínclytus Evangélii præco semivívus in ardéntem rogum injéctus, stans inter flammas ipsas constánti ánimo Christum annuntiáre non déstitit, donec lapídibus impetítus, et cránio sude confrácto, consummáto tandem martýrio, cœlos victor penetrávit. Célebri hoc triúmpho inflammáti alúmni Provínciæ Sancti Dídaci, qui tanti Mártyris relíquias venerándas, máxima cum diligéntia obtinuérunt, et in civitáte Hispalénsi religiosíssime asservárunt, annuénte Sancta Sede, ad hæc usque témpora consérvant in illis pártibus Apostólicas Missiónes sub ejúsdem Beáti præsídio, quem virtútibus, passióne, ac miráculis præclárum Benedíctus décimus tértius inter beátos mártyres numerávit. ℟. Stola jucunditátis.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Si quis vult post me veníre. de Communi Mart. 2. loco.

Die 30. Maji.

In Festivitate

S. Ferdinandi, Castellæ et Legionis Regis, Confessoris.

Duplex 1. class. cum Octava.

Omnia ut in Proprio Hispaniæ.

Die 31. Maji.

In Festo

B. M. V. Reginæ Ss. Omnium et **Matris pulchræ Dilectionis.**

Duplex 2. classis.

Omnia ut in Proprio Hispaniæ.

Die 1. Junii.

(Dies assignata ex 31. Maji.)

S. Angelæ Mericiæ Virginis.

Duplex.

Omnia ut in Brev. die 31. Maji.

Die 3. Junii.

B. Joañis Grande, cognomento Pecador, Confessoris.

Duplex majus.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter sequentia.

In I. Vesperis.

Hymnus.

Sacer Beátis áddito
Hymnus Joánni cónvolet
Quem diva perdoléntibus
Fecit paréntem Grátia.

Duro geméntes cárcere
Cum mitis ille vísitat,
Repénte squallor aúfugit,
Dulce et subíntrat gaúdium.

Si pane gentes índigent,
Faméque languet Bǽtica,
Christi æmulátor próvida
Cibos adaúget déxtera.

Vultu seréno pródigus
Venéna pestis ímpetit;
Ut servet ægros, víctimam
Se caritátis éxhibet.

Sæclum per omne glória
Tibi sit, alma Trínitas,
Nos et Patróni fórtiter
Calcáre da vestígia. Amen.

Ad Magnif. Ant. Ab **infántia mea crevit mecum miserátio, et de útero matris meæ egréssa est mecum.**

Oratio.

Clementíssime Deus, qui beáto Joánni Confessóri tuo tantam dedísti grátiam, ut in summæ innocéntiæ et caritátis vita Peccatóris nomen atque pœniténtiam assúmeret: concéde propítius; ut ejus intercessióne humilitátis ac misericórdiæ opéribus inténti, Tibi in ómnibus puro corde placeámus. Per Dóminum nostrum.

Ad Matutinum, Hymnus ut supra in Vesperis.

In I. Nocturno Lect. **Beátus vir.** ut in Communi 2. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Joánnes Grande, vulgári quod sibi sumpsit agnómine Peccátor nuncupátus, ortus Carmónæ in Andalucía, vel prima in pueritia exímiam porténdere visus est sanctitátem. Mirus ánimi candor, humíllimus de se rebúsque suis sensus, singuláris in Deum píetas, effúsa erga paúperes cáritas in puérulo eminébant. Quintodécimo ætátis anno, de paréntum voluntáte mercatúram exércuit; sed paulo post christiánæ perfectiónis desidério succénsus, negotiatiónem, pátriam, necessários relínquens, in erémum prope Marcénam se recépit; ubi et orándi et patiéndi cupiditáti, qua medúllitus flagrábat, único indúlsit. Intérea gravis illum urgébat cura quid et in pósterum ágeret; ac multa de re ista cogitánti Deus, qui suáviter cuncta dispónit, paullátim demonstrávit quid vellet. Primum quippe binos ei míseros ægrotósque curándos objécit: mox eúmdem ad públicum Xerésii valetudinárium dedúxit; ad hæc novum in dicta Civitáte nosocómium e fundaméntis excitátum suæ curæ commítti, et plúrimos ei sócios adjúngi dispósuit: tandem admónuit, ut quæ ægrotórum bono suscéperat, obediéntiæ mérito adornáret, ac recens tunc témporis sancti Joánnis de Deo Institútum amplecterétur.

℟. **Honéstum fecit.**

Lectio v.

Quis verbis éxprimat alacritátem, qua Deo vocánti Joánnes páruit? Granátam advolávit, ibíque cum sóciis hábitu illíus Ordinis suscépto, solémni se sacraménto astrínxit. Relíctis semel rebus ómnibus, iis perpétuo carére summa religióne vóluit. Ejus castimónia Angelis prope digna visa est; ad quam contra dǽmonum et mulíerum insídias servándam peculiárem Deíparæ, Joánnis Evangelístæ, atque Agnétis Vírginis et Márty-

ris, quibus mundítiam suam eníxe commendáverat, est opem expértus. Obediéntiam céteris ómnibus antétulit. Ab adolescénte funes, caténas, cilícia in sui cruciátum adhíbuit. Religiónem ingréssus, vili obsónio, eodémque módico conténtus fuit; immo plures hebdómadæ dies jejúnus transégit; somni parcíssimus aut nuda humo, aut super ássibus cubábat. Contumélias vero ac probra lætus atque hílaris devorávit, sæpéque véniam pétiit ab iis qui injúrias intulíssent tamquam id sua culpa factum foret, Deum viva fide, firma spe, ardénti caritáte præsértim in Sanctíssimis Nativitátis, Passiónis et Eucharístiæ Mystériis jugi oratióne recogitábat, in qua suavíssimis stupendísque ráptibus frequénter afficiebátur.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

Deo plenus haud póterat non Deum ipsum in paupéribus intuéri et dilígere vix ac moderándis Xerésii valetudináriis præpósitus fuit. Quocírca ægrórum causa ostiátim emendicáre, suis illos húmeris convéhere, léctulos stérnere, vulnéribus vel fœdíssimis medéri, unus ómnibus adésse in delíciis hábuit. Tum extra valetudinária curas próferens, cárcere deténtis, puéllis periclitántibus, víduis, pupíllis, egénis quibuscúmque non córporis tantum sed et ánimæ præsídia suppeditábat; ádeo ut complúres e vitiórum cœno ad ætérnæ beatitúdinis stúdium revocáret. Quum dira fames ob summam annónæ caritátem Xerésii grassarétur, magna panis vi sæpe étiam per prodígium multiplicáta, esuriéntes quotídie refécit. Nec ea satis: nam pejóre malo paulo post civitátem depopulánte, lue nimírum tetérrima, ex qua magna incolárum imminútio fíeret, Joánnes tot ac tanta pro frátribus ubíque patrávit, ut porténto simília videréntur. Et ea sane cáritas, quæ tantum levaménti per Joánnem céteris attúlerat, ætérnam illi corónam proméruit. Letáli síquidem morbo corréptus, die ac húmili modo quem prædíxerat, tértio Nonas Június anno millésimo sexcentésimo, ætátis suæ quinquagésimo quarto, terrénas ærúmnas cum cœléstibus gaúdiis commutávit. Sepúlchrum, ut ipse in votis habúerat, inglórium Deus contra gloriósum esse vóluit; et quem sóspitem exaltáverat, étiam post óbitum plúrimis miráculis dignátus est. Quare Pius Nonus Póntifex Máximus per Lítteras in forma Brevis prolátas Kaléndis Octóbris anno millésimo octingentésimo quinquagésimo secúndo ut Beátus appellári, ejúsque Offícium et Missa in Ecclésiis sui Ordinis eódem sui óbitus die quotánnis celebrári posset, clementíssime indúlsit.

℟. Iste homo.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vii. Cap. 8.

In illo témpore: Quum turba multa esset cum Jesu, nec habérent quod manducárent, convocátis discípulis, ait illis: Miséreor super turbam. Et réliqua.

Homilía sancti Basilíi Epíscopi.

De diversis hom. 8.

Vides et ipse nostrum Deum prætéritis non raro áliis incómmodis, esuriéntes condolénti ánimo miseréri: Miséreor, enim inquit, turbæ. Quare et in extrémo judício, ubi ádvocat justos Dóminus, locum primum óccupat qui largus fuit ac liberális: nutrítor primas tenet inter eos, quibus prǽmia dantur: panem qui ministrávit, vocátur ante omnes: qui benígnus fuit et liberális, ante réliquos justos ad vitam transmíttitur. Qui illiberális éxstitit et sórdidus, ante omnes peccatóres igni tráditur.

℟. Iste est qui.

Lectio viii.

Jam te ad matrem mandatórum ipsa témporis opportúnitas vocat; eóque magnópere cura, ne te prætéreat nundinárum occásio, atque commerciórum. Fugit enim tempus, nec exspéctat morántem: festínant dies, segnem prætergrediúntur, ob idque mandátum velut fúgiens détine, ac cónfice: et undélibet arréptum ulnis ampléctere. Dato pauca, et multa comparáto: exsólvito primigénium peccátum cibariórum largitióne. Quemádmodum enim Adam ímprobo esu peccátum transmísit, sic nos in insidiántem escam abolémus, si fratris necessitátem famémque curámus. ℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Habes non pauca tum ex véteri, tum ex novo Testaménto fratérni amóris exémpla: senem fame laborántem si víderis, accérse ipsum et ale, velut Joséphus Jacóbum; inimícum si repéreris in angústiis pósitum, ne adjúnge ad iram qua occupáris ultiónem, sed ale, velut ille fratres a quibus fúerat vénditus. Si incíderis in juniórem afflictátum, ita eum deflécto, ut ille Bénjamin senectútis fílium. Unumquémque autem Judex justus remunerábitur: quem decet glória, potéstas et adorátio in sǽcula sæculórum. Amen.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes.

Hymnus.

Qui valle in hac misérrima
Opem negásti némini,
Cœlésti ab arce súpplicum
Preces, Joánnes, éxcipe.

Tonántis iram mítiga,
Quam culpa nostra próvocat;
Quidquid merémur, lénitas
Per te supérna déleat.

Nostris recédant fínibus
Morbi, tumúltus, prǽlia;
Dracónis artes éfferi
Eant in auras írritæ.

De tot triúmphet hóstibus,
Te deprecánte, Ecclésia;
Novísque palmis júgiter
Ovíle Christi flóreat.

Sæclum per omne glória
Tibi sit, alma Trínitas;
Nos et Patróni fórtiter
Calcáre da vestígia. Amen.

Ad Bened. Ant. Amen dico vobis: quámdiu fecístis uni ex his frátribus meis mínimis, mihi fecístis.

In II. Vesp. Hymnus ut in primis Vesperis.

Ad Magnif. Ant. **Ego dilécto meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília.**

Die 6. Junii.

In Octava

S. Ferdinandi Regis Conf.

Duplex.

Omnia ut in Proprio Hispaniæ eadem die.

Die 7. Junii.

Ss. Petri, Wistremundi et **Walabonsi** Mart. Astigitanorum.

Duplex majus.

Omnia de Communi plurim. Mart., præter sequentia.

Oratio.

Da, quæsumus, omnípotens Deus, pópulo tuo cum beatórum Mártyrum tuórum Petri et Sociórum ejus patrocínio supplicánti, et tantæ fídei exémplo profícere, et ætérnæ vitæ reperíre subsídium. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones **Fratres: Debitóres.** de Communi.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Ex memoriali Ss. D. Eulogii, lib. 2. c. 4.

Beatórum Mártyrum Isaac et Sánctii cruóre irrigáta tellus Cordubénsis, tria post diem tértium pária cœlo péperit. In iis Petrus Sacérdos Astigitánus, et Walabónsus diáconus, Maríæ Mártyris frater, qui Córdubam discendárum ártium causa convénerant, et ob doctrínæ morúmque præstántiam Cuteclarénsi vírginum cœnóbio præfécti sunt: Sabiniánus quoque ex Froniáno Córdubæ vico, et Wistremúndus Astigitánus ex Armilaténsis beáti Zoýli cœnóbio ad subeúndum pro Christi fide martýrium processére.

℟. Sancti tui.

Lectio v.

Habéntius prætérea Cordubénsis austeritáte vitæ præclárus, qui Monachórum vitam ampléxus in cœnóbio sancti Christóphori, quod ultra flumen ad urbem spectábat, voluntário sese cárcere inclúsit, nec nisi per fenéstram, idque raro, ad se veniéntibus sui cópiam faciébat. Ibi sǽculo mórtuus férreis ad carnem indútus láminis, Christo vivébat, ac sese ad illa, quæ pro eo passúrus erat, torménta miles strénuus informábat.

℟. Vérbera carníficum.

Lectio vi.

Hi quinque viri fortíssimi cum beáto sene Hieremía simul ad expugnándum hostem ímprobum accedéntes, uno ore clamárunt, se in eádem fídei professióne manére; confitéri Christum; vatem suum impuríssimum detestári. Hæc cum dícerent, juguléri jubéntur; accúrrunt lictóres, et céteros quidem illǽsos, beátum vero Hieremíam flagris gráviter cæsum, et inter ipsa vérbera emórtuum, ac vix hæréntem gréssibus trahunt; et cunctos cápite plectunt, anno Dómini octingentésimo quinquagésimo primo, die Júnii séptimo. Córpora stipítibus affíxa, paulo post flammis exústa sunt, et cíneres in flumen sunt injécti.

℟. Tamquam aurum.

In III. Nocturno Homil. in Evang. **Descéndens Jesus.** de Comm. 2. loco.

Die 10. Junii.

Ss. **Crispuli** et **Restituti** Mart.

Duplex majus.

Omnia de Communi plurim. Mart. 2. loco.

Oratio.

Deus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Críspuli et Restitúti natalítia cólere: da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum nostrum.

Die 1. Julii.

Octava

S. Joannis Baptistæ.

Duplex.

Omnia ut in Breviario Romano eadem die.

Die 4. Julii.

S. Laureani Archiepisc. Hispal. Martyris.

Duplex 2. classis.

Omnia de Communi unius Mart., præter sequentia.

Oratio.

Infirmitátem nostram réspice, omnípotens Deus; et quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Laureáni Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Lectiones I. Nocturni A Miléto. de Communi.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Ex Breviariis Hispaniæ.

Laureánus nóbili génere in Pannónia ortus, paréntibus infidélibus relíctis, in Mediolanénsem Ecclésiam se recépit. In qua a púero sancte in religióne educátus, et in sacris disciplínis erudítus, probátæ vitæ testimónio in Clerum adscríptus est, et per álios ecclesiástici ministérii gradus, cum jam vigintiquínque annos natus esset, ad sacrum Diacónii munus magna cum laude pervénit. Quo témpore octávus in Itália rex Tótila, et immáni crudelitáte prǽditus, et Ariána peste inféctus, Cathólicam Ecclésiam insectábat. In cujus perfídiam, sævitiámque cum vir sanctus ardentíssimo religiónis stúdio inflammátus, cum frequéntibus sermónibus inveherétur, irreconciliábilem regis indignatiónem in se concitávit. Cujus feritátem, et insídias, ut evitáret, Itália excédere coáctus est, seque ad remótas regiónes conférre.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Cum ergo in Hispániam appulísset, Híspalim venit, cujus ecclésiam Máximus epíscopus tunc regébat. Qui éxsulem Laureánum jam sanctitátis, et doctrínæ fama notíssimum benígne excéptum ad suæ ecclésiæ ministéria admísit. In quibus tanta cum morum probitáte, et disciplínæ præstántia se gessit, ut cleri, populíque judício dignus censerétur, qui Máximo vita functo succéderet. Factus ergo Póntifex, ómnium opinióni non solum respóndit, sed eam longe superávit, nihil rerum, quæ ad sanctum pastórem pertinérent, omíttens. Erat autem et Hispánia tunc témporis sub Arianórum tyránnide, qui miris modis cathólicam fidem insectabántur. Horum perfídiam cum assíduis per septémdecim annos cohortatiónibus, et disputatiónibus ad veritátis viam

addúcere non potuísset, sed pro eo pietátis offício pótius malam ab eis grátiam reportásset, extréma sibi comminántibus, ut scílicet Tótilæ id optánti gratificaréntur, divíno mónitu ab eis recéssit Massíliam, et conscénsa navi, primum Romam, magnis óbiter miráculis éditis, petívit. Inde in Gállias ad sancti Martíni sepúlchrum eo témpore miráculis clarum conténdit.

℟. Desidérium ánimæ.

Lectio vi.

Nuntiátum est autem Tótilæ virum sanctum in Itáliam venísse, indéque Turónum religiónis causa secessísse. Misit ergo per divérsa itínerum compéndia suos apparitóres, qui eum quǽrerent, et interfícerent. Adfuit autem Angelus Dómini, qui de regis nefáriis machinatiónibus Laureánum certiórem fáciens, ad capesséndum martýrium confirmáret. Cum ítaque a sancti Martíni sepúlchro compléta oratióne redíret, in regis sicários íncidit, qui e vestígio virum innocentíssimum, amputáto cápite, occidérunt. Corpus ejus beátus Eusébius epíscopus Arelaténsis in ecclésia Bituricénsi honorífice sepelívit. Caput vero Híspalim cum allátum esset, cívitas, quæ jam multos annos peste, et fame vexabátur, sancti Prǽsulis méritis a Dómino prístinæ salúti, et ubertáti restitúta est.

℟. Stola jucunditátis.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Vigiláte, quia nescítis.** de Communi Pont. 2. loco; ℟℟. vero de Communi unius Mart.

Die 5. Julii.

S. Michaëlis de Sanctis Conf.

Duplex.

Omnia ut in fine Brev. eadem die.

Die 9. Julii.

Omnium Ss. quorum Corpora vel Reliquiæ asservantur in Ecclesiis Archidiœceseos Hispalensis.

Duplex.

Omnia de Communi plurim. Mart., præter sequentia.

Oratio.

Auge in nobis, Dómine, resurrectiónis fidem qui in Sanctórum tuórum Relíquiis mirabília operáris; et fac nos immortális glóriæ partícipes, cujus in eórum cinéribus pígnora venerámur. Per Dóminum nostrum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Ex Tractátu S. Joánnis Damascéni de Fide Orthodóxa.

Lectio iv.

Lib. 4. cap. 16.

Christus Dóminus sanctórum Relíquias velut salutíferos fontes prǽbuit, ex quibus plúrima ad nos benefícia manant, suavissimúmque unguéntum prófluit. Nec vero quisquam huic sermóni fidem détrahat. Nam si aqua in desérto ex áspera, et sólida rupe, atque ex ásini maxílla ad sedándam Sampsónis sitim, Deo ita voléntе, prosíliit, erítne, cur cuídam incredíbile videátur ex Mártyrum Relíquiis suáve unguéntum scaturíre? Mínime certe iis quidem, quibus Dei poténtia, honórque, quo Sanctos suos áfficit perspéctus, et

explorátus est. Atque illud quidem véteri lege comparátum erat, ut quisquis mórtuum contigísset, immúndus censerétur. Verum hi in mortuórum número mínime habéndi sunt.

℟. Sancti tui.

Lectio v.

Ex quo enim ípsamet vita, ac vitæ Auctor inter mórtuos adscríptus est, eos, qui in spe Resurrectiónis, fidéque erga eum, diem extrémum clausérunt, mórtuos haudquáquam appellámus. Qui enim mórtuum corpus mirácula édere queat? Quonam ítaque modo per ea dǽmones expellúntur, morbi profligántur, ægróti sanántur, cæci prospíciunt, leprósi mundántur, tentatiónes, ac mœróres discutiúntur, ac dénique omne donum óptimum a Patre lúminum, eórum ópera ad eos, qui fide mínime dúbia póstulant, descéndit? Quid non labóris suscípias, ut Patrónum quemdam nanciscáris, qui te mortáli Regi ófferat, ac tuo nómine ad eum verba fáciat? An non ígitur hi honorándi sunt, qui totíus humáni géneris Patrónos se profiténtur, ac Deo nostra causa súpplicant?

℟. Vérbera carníficum.

Lectio vi.

Honorándi certe: et quidem ita, ut in eórum nómine Deo templa exstruámus, dona offerámus, eórum memóriam colámus, atque in ea spirituáliter oblectémur: quo nimírum lætítia nostra iis a quibus invitámur, cóngruat; ac non, dum eos cólere, et demeréri studémus, offendámus pótius, et irritémus. Quibus enim rebus Deus cólitur, iísdem servi quoque ipsíus oblectántur. Quibus autem Deus offénditur, iísdem étiam ipsíus mílites offendúntur. Quocírca in Psalmis, et Hymnis, et cántibus spirituálibus, et compunctióne, et eórum, qui in egestáte versántur, commiseratióne, quibus obséquiis Deus potíssimum conciliátur, Sanctos colámus, státuas ipsis, ac visíbiles imágines erigámus, imo ipsi virtútibus eórum imitándis hoc consequámur, ut vivæ eórum státuæ, atque imágines simus.

℟. Tamquam aurum.

In III. Nocturno Homil. in Evang. Descéndens Jesus. de eodem Comm.

Die 11. Julii.

Bb. Ludovici, Bartholomæi et **Vincentii** Mart. Japonensium.

Duplex.

Omnia de Communi plurim. Mart., præter sequentia.

Oratio.

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus, ut Beatórum Mártyrum tuórum Ludovíci, Bartholomǽi, Vincéntii et Sociórum exémplo excitáti, ómnia pótius mala in hoc sǽculo, quam ánimæ detriméntum patiámur. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones Fratres: Debitóres. de Comm. plurim. Mart.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Atrox illa, et immánis persecútio, quæ sǽculo exeúnte decimoséxto in Japónia obórta est, veheméntior in dies exársit. Quamvis enim priórum sex et vigínti Mártyrum effúso sánguine, persecutórum ira aliquántulum defervúerit, illárum tamen géntium

tyránni noscéntes ipsum sánguinem, instar séminis, Christi fidéles auxísse, omnes adhibuére artes ómniaque adhibuérunt instruménta sævítiæ ad cultum noménque christiánum prorsus deléndum. Promulgáta síquidem anno sexcentésimo quarto décimo supra millésimum capitáli senténtia in quóslibet Christi fidéles, máxime vero contra sacerdótes virósque religiósos, et adjécta bonórum proscriptióne advérsus ipsórum receptóres ac vicínos, nisi eósdem próderent, Japóniam univérsam igne ferróque vastárunt, et pretióso christianórum sánguine ómnia complevérunt.

℟. Sancti tui.

Lectio v.

Hos inter christiáni nóminis assertóres quadragínta memoréntur Seráphicæ sancti Francísci famíliæ alúmni, apostólicis virtútibus, non minus quam glorióso martýrio illústres. Peculiári autem Hispalénsis Ecclésia veneratióne ac pietáte proséquitur Ludovícum Sotélo, Híspali natum, Japonénsium apud cathólicum Regem Philíppum Tértium, Summúmque Pontíficem Paulum Quintum primo legátum, tum étiam totíus Japóniæ Orientális Epíscopum eléctum; Bartholomæum Laurel caritátis ardóre exímium, ex Portu Mnéstei, Sanctæ Maríæ hódie nuncupáto; ac dénique Vincéntium a sancto Joseph, in Deum quoque et próximum amóre valde insígnem, ex civitáte Sonóba seu Aymóntia, quæ nunc Ayamónte vulgo audit. Hi enim, magna illa sæviénte persecutióne, divérso licet témpore et loco, eósdem tamen cárceris labóres, ignísque torméntum propter constántem Evangélii prædicatiónem ac fídei confessiónem perpéssi, inter flammas sínguli Deo spíritum reddidérunt. Illórum autem et sociórum causam, quam Urbánus Octávus inchoávit, et Benedíctus Decimusquártus celebérrimam appellávit, Pius Nonus felíciter provéxit, quum Nonis Július anni millésimi octingentésimi sexagésimi séptimi, cathólico orbe plaudénte, hos omnes Beatórum fastis adscrípsit.

℟. Vérbera carníficum.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 47. de Sanctis.

Lectio vi.

Quotiescúmque, fratres caríssimi, sanctórum Mártyrum solémnia celebrámus, ita, ipsis intercedéntibus, exspectémus a Dómino cónsequi temporália benefícia, ut ipsos Mártyres imitándo accípere mereámur ætérna. Ab ipsis enim sanctórum Mártyrum in veritáte festivitátum gaúdia celebrántur, qui ipsórum Mártyrum exémpla sequúntur. Solemnitátes enim Mártyrum exhortatiónes sunt martyriórum: ut imitári non pígeat, quod celebráre deléctat.

℟. Tamquam aurum.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 5.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Beáti qui persecutiónem patiúntur propter justítiam, quóniam ipsórum est regnum cœlórum. Et réliqua.

Homilía S. Bernardíni Senénsis.

Ex Serm. de Oct. beatit.

Tria sunt, quæ Mártyrem effíciunt: pœna, causa et perseverántia, seu supplícium, motívum et prǽmium. Primum est pœna, seu supplícium, et de hoc dicit: Beáti qui persecutiónem patiúntur; tríplicem enim persecutiónem justus quílibet pati potest: primam in substántia, secúndam in fama, tértiam in persóna. Et de tálibus ad Hebrǽos Apóstolus ait: álii ludíbria et vérbera expérti sunt, ínsuper et víncula et cárceres; lapidáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt. Circuiérunt in melótis et in péllibus caprínis, egéntes, angustiáti, afflícti: quibus dignus non erat mundus.

℟. Propter testaméntum.

Lectio viii.

Secúndum quidem, quod Mártyrem facit, est causa seu motívum: et de hoc Dóminus subdit propter justítiam. Triplex est justítia, propter quam pátitur justus; prima est justítia fidelitátis, secúnda est justítia moralitátis, tértia est justítia caritátis. Ex eo quidem patiéntia opus dícitur habére perféctum, quia per ipsum Dei et próximi diléctio vera examinátur; et an, et quanta insit, cognóscitur maniféste. Quanta caritáte Christo jungámur, monstrat patiéntia in advérsis ne sejungámur. Proínde Apóstolus ad Romános ait: Certus sum namque, quod nec mors, neque vita, neque Angeli, neque Principátus, neque Virtútes, neque instántia, neque futúra, neque fortitúdo, neque altitúdo, neque profúndum, neque creatúra ália póterit nos separáre a caritáte Dei, quæ est in Christo Jesu Dómino nostro.

℟. Sancti mei.

Lectio ix.

Tértium vero quod Mártyrem facit, est perseverántia, seu prǽmium, aut perseverántiæ prǽmium. Proptérea Dóminus subdit: Quóniam ipsórum est regnum cœlórum. Possessórie quidem promíttitur primæ et últimæ beatitúdini regnum cœlórum: primo propter affectiónem, secúndo propter afflictiónem, tértio propter comprehensiónem. Primo propter affectiónem: nam, sicut per paupertátem, per viam abdicatiónis ómnium mundanórum, exit homo quasi de hoc mundo, ut se státuat in altióri sǽculo, seu regno; sic per sufferéntiam martýrii exit homo mentáliter et corporáliter de hoc mundo, de sua corporáli vita, ut vadat ad áltius sǽculum, seu regnum. Quod nobis per sanctíssimam passiónem suam et crucem largíri dignétur exémplar omnis patiéntiæ, Dóminus Jesus Christus: cui cum Patre et Spíritu Sancto est benedíctio et cláritas et sapiéntia et gratiárum áctio, honor, virtus et fortitúdo in sǽcula sæculórum. Amen. Te Deum.

Die 17. Julii.

In Festivitate

Ss. Justæ et **Rufinæ** Sororum Virg. et Mart. Hispalensium.

Duplex 1. class. cum Oct.

Omnia ut in Proprio Hispaniæ die 19. hujus.

Die 18. Julii.

S. Francisci Solani Conf.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter sequ.

Oratio.

Deus, qui plúrimas Americæ gentes per beátum Francíscum ad sinum Ecclésiæ perduxísti; ejus méritis, et précibus indignatiónem tuam a peccátis nostris avérte, et in gentes, quæ te non cognovérunt, timórem nóminis tui benígnus immítte. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Franciscus Solánus Montíliæ, Hispániæ Bœticæ óppido, nóbili génere natus, ac Dómini timórem jam inde a púero edóctus, Apostólico múneri, quod erat póstea susceptúrus, in ea ætáte prælúsit. Nam condiscípulos, et natu majóres ardénti oratióne ad pœniténtiam hortári, dissidéntes compónere, res humánas contémnere, divínas sério meditári sólitus erat. Adoléscens in órdinem Fratrum Minórum Observántium nomen dedit; in eóque asperióris disciplínæ, humilitátis ac pietátis exémplis óculos ómnium ad se tráhere cœpit. Léctulus illi juncórum strues, pro indúsio cilícium, quod grandi fune ita stringébat, ut látera acérrime discruciáret. Noctu se flagris, et caténis cædébat; dies anni complúres pane tantum, et aqua victitávit: seque aliquándo in spinárum acérvo nudum projécit, beátum Francíscum imitátus, ut sensus omnis patiéntia dolóris frangerétur. In sacris autem conciónibus ipsíus cáritas máxime enítuit, qua plúrimos Christo lucrifécit. Pestiléntia per Bœticam sæviénte, ad córpora simul animásque curándas se totum convértit; et ipse lue mortáli tandem implícitus, ac Dei manu e perículo eréptus, in prístino ministério constántius pérstitit, dum morbus omníno exstinguerétur.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Púerum quoque fœdis ulcéribus laborántem, ea lambéndo sanitáti restítuit. Exínde magnum esse cœpit in Bœtica Solàni nomen. Sed ille hóminum laudes aversátus, Deíque glóriam, non suam, únice quærens, Superióres orávit, ut se in Africam mítterent ad Cathólicam Fidem prædicándam, pro qua étiam, si se daret occásio, vitam profúndere peroptábat. Missióne Africána non impetráta, Americánam obtínuit, magnísque perículis non sine miráculo, mari, terráque perfúnctus, ad sibi parátam a Dómino víneam lætus accéssit: a qua coléndа nulla eum itínerum longitúdo, aut vigiliárum moléstia retardávit. Peruánas regiónes assídue péragrans, ingéntem númerum infidélium ad Christum convértit; christiános a vitæ impuritáte ad honestátem passim tradúxit. Sæpe in concióne, cum copióse de Deo, ejúsque Vírgine Matre locútus esset, in éxtasim rapiebátur: aliquándo de Dómini cruciátibus verba factúrus, voce lácrimis interclúsa, audiéntium fletus ac gémitus eliciébat.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

Summis tandem labóribus pro Dei glória amplificánda conféctus, mortémque præséntiens imminéntem, Sacraméntis percéptis, ad iter cœléste se comparávit: ac totus in Dómino cogitatióne defíxus, piásque preces ad eum fundens, et in crucis figúram compósitis mánibus, Limæ exspirávit ætátis anno secúndo et sexagésimo, Christi millésimo sexcentésimo décimo, festo ipso die sancti Doctóris Bonaventúræ, quem exímia pietáte in omni vita fúerat prosecútus. Demórtui color, ántea súbniger, est in album mutátus, vultúsque spécies venústa conféstim appáruit, et suávis odor e córpore erúmpere cœpit. Servi sui sanctitátem multitúdine, et excelléntia miraculórum Dóminus confirmávit. Aliquot mórtui Soláni précibus revixérunt: e terra árida fontes excitáti, qui sunt adhuc perénnes, et salutáres; trajécta flúmina, pállio super undas instráto, nec ejus pédibus madefáctis: belluárum ferócia ita compréssa, ut ipsi étiam obtemperárent. Quibus ómnium præcónio celebrátis, ac rite cógnitis, Clemens décimus eum Beátis adscrípsit. Novis póstea miráculis glóriam Soláni Dóminus propagávit. Pestíferam lúem magna cívium strage Montíliæ sæviéntem repénte exstínxit. Vírginem témpore pestiléntiæ omníno depósitam a præsénti perículo liberávit. Quibus étiam probátis, Benedíctus decimustértius anno Christi millésimo septingentésimo vigésimo sexto in Sanctórum númerum rétulit. ℟. Iste homo.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Sint lumbi.** de Communi.

Die 19. Julii.

S. Aureæ Virg. et Mart. Hispal.

Duplex.

Omnia de Communi Virg. et Mart., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula, étiam in sexu frágili victóriam martýrii contulísti: concéde propítius; ut qui beátæ Aúreæ Vírginis et Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dñm.

In I. Nocturno Lect. **Confitébor.** de Communi 2. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Ex D. Eulogio in Memoriali Ss. Lib. 3. cap. 17.

Aúrea nóbilis virgo, sanctórum Adúlphi, et Joánnis Mártyrum soror, in Cuteclarénsi cœnóbio trigínta et ámplius annos commoráta, ánimum divínis virtútibus ímbuit, atque egrégia præstitit suæ fídei documénta. Quidam autem suórum ex Província Hispalénsi, unde genus trahébat claríssimum inter Arabes, per spéciem salutándæ vírginis ejus fidem explórant. Quam cum non solum Christiánam esse agnovíssent, sed étiam Deo per virginitátem in cœnóbio consecrátam, apud júdicem, quem ipsa communióne sánguinis attingébat, litem illi suscépti Christiáni cultus inténdunt. ℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Judex illam sibi sisti jubet, ac primum pro consanguinitátis jure monet, et óbsecrat, ne fidem

profiténdo, degénerem se suis reddat. Deínde pro potestáte minátur, si et Christiánam religiónem desérere, et superstitiónem suam ampléctì nolit, post vária torménta necem indigníssimam subitúram. Ferunt eódem moménto Vírginem júdici obsecútam, et pollícitam se imperáta factúram. Mox accusatióne absolúta in domum revértitur: inibíque cum intérno dolóris affectu linguæ lapsum gráviter deplórat, et assíduis gemítibus a Deo véniam deprecátur.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Dum autem ad illústrius suæ fídei spécimen studiósius templa frequéntat, ad júdicem secúndo defértur, apud quem omni metu, et pœnárum acerbitáte contémpta, próximum errórem illústri fídei confessióne retéxuit: atque ejus críminis víndicem gládium expetívit, dicens: Numquam a Christo Deo meo separáta sum; numquam a Religióne pietátis ejus discéssi: numquam superstitiónibus vestris vel ad moméntum inhǽsi, licet, dudum coram te, lapsu quodam sermónis lingua succúbui. Tunc judex ira veheménter accénsus, puéllam ergástulo inclúdit, ac vínculis onerátur: et paulo post ex Príncipis decréto gládio trucidávit, patibulóque suspéndit, anno Dómini octingentésimo quinquagésimo sexto, die Júlii décimo nono. Deínde corpus in flumen immérsit.

℟. Afferéntur Regi.

In III. Nocturno Homil. in Evang. **Símile est regnum cœlórum.** de Communi non Virg.

Die 24. Julii.

In Octava

Ss. Justæ et **Rufinæ** Virg. et Mm.

Duplex.

Omnia ut in die Festi, præter sequ.

In I. Noct. Lect. de Script. occurr.

In II. Nocturno.

De Epístola sancti Hierónymi Presbýteri ad Eustóchium.

Lectio iv.

De Custodia virginitatis. tom. 1. circa medium.

De virgínibus, inquit Apóstolus, præcéptum Dómini non hábeo. Cur? Quia et ipse, ut esset virgo, non fuit impérii, sed própriæ voluntátis. Neque enim audiéndi sunt, qui eum uxórem habuísse confíngunt; cum de continéntia dísserens, et suádens perpétuam castitátem, intúlerit: Volo autem omnes esse sicut meípsum, et infra: Dico autem innúptis et víduis: Bonum est illis, si sic permáneant, sicut et ego. Quare ergo non habet Dómini de virginitáte præcéptum? Quia majóris est mercédis, quod non cógitur, et offértur: quia si fuísset vírginitas imperáta, núptiæ videbántur ablátæ; et duríssimum erat contra natúram cógere, Angelorúmque vitam ab homínibus extorquére.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Alia fuit in véteri lege felícitas. Ibi dícitur: Beátus, qui habet semen in Sion, et domésticos in Jerúsalem, et: Maledícta stérilis quæ non pariébat, et: Fílii tui sicut novéllæ olivárum in circúitu mensæ tuæ. Vácuus erat orbis, et, ut de týpicis táceam, sola erat be-

nedíctio liberórum. Proptérea et Abraham jam senex Cetúræ copulátur, et Jacob mandrágoris redímitur, et conclúsam vulvam in Ecclésiæ figúram Rachel conquéritur. Paulátim vero increscénte ségete, messor immíssus est. Virgo Elías, Eliséus virgo, vírgines multi fílii Prophetárum. Jeremíæ dícitur: Et tu ne accípias uxórem. Sanctificátus in útero, captivitáte propínqua, uxórem prohibétur accípere. Aliis verbis idípsum Apóstolus lóquitur: Exístimo hoc bonum esse propter instántem necessitátem. Quæ est ista necéssitas, quæ aufert gaúdia nuptiárum? Tempus breviátum est, in próximo est Nabuchodónosor.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi. Paulum post.

Inveniebátur ergo, ut díximus, in viris tantum hoc continéntiæ bonum, et in dolóribus júgiter Eva parturiébat. Postquam vero Virgo concépit in útero, et péperit nobis púerum, cujus principátus in húmero ejus, Deum fortem, patrem futúri sǽculi, solúta maledíctio est. Mors per Evam, vita per Maríam. Ideóque et dítius virginitátis donum fluxit in féminas, quia cepit a fémina. Statim ut Fílius Dei ingréssus est super terram, novam sibi famíliam instítuit; ut qui ab Angelis adorabátur in cœlo, habéret Angelos et in terris. Tunc Holoférnis caput Judith cóntinens amputávit: tunc Aman, qui interpretátur iníquitas, suo combústus est igni: tunc primum audítum est: Quæ non est nupta, cógitat quæ sunt Dómini, ut sit sancta córpore et spíritu. ℟. Afferéntur Regi.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 25.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cœlórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 23. de Verbis Domini, cap. 8.

Intendat ítaque cáritas vestra. Sapiéntium lámpades ardébant de óleo ætérno, de consciéntiæ securitáte, de interióre glória, de íntima caritáte. Ardébant tamen et illárum fatuárum. Quare tunc ardébant? Quia non déerant laudes hóminum. Póstea vero quam surrexérunt, id est, in resurrectióne a mórtuis, cœpérunt aptáre lámpades suas, id est, paráre Deo óperum suórum réddere ratiónem. Et quia tunc nemo est qui laudet, omnis homo causæ suæ vacat: non erant qui óleum vénderent, cœpérunt defícere lámpades.

℟. Hæc est virgo.

Lectio viii.

Circa finem, cap. 10.

Clausum est óstium. Et quid illis dictum est, non novi vos? Non illas novit, qui ómnia novit? Quid ergo est, Non novi vos? Improbo vos, réprobo vos: in arte mea non vos agnósco, ars mea nescit vítia. Hoc est autem magnum, et nescit vítia, et júdicat vítia: nescit faciéndo, júdicat arguéndo. Sic ergo non novi vos. Iérunt, intravérunt quinque prudéntes. Sint in vobis quinque prudéntes, ad istam pru-

déntiam quinárii númeri pertinéntes. Véniet enim hora, et quando nescímus, véniet. Sic clausit Evangélium: Vigiláte, quia nescítis diem neque horam.

℟. Média nocte.

ix. Lectio legitur de Vigilia S. Jacobi ut in Propr. Hispan.

Die 30. Julii.

S. Theodomiri Carmonensis
Martyris.

Duplex majus.

Omnia de Communi unius Mart., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Theodomírum terréna ómnia contemnéntem martýrii coróna decorásti: concéde, quǽsumus, ut ejus exémplo temporália cuncta despiciéntes, et nosmetípsos usque ad mortem abnegántes, sempitérnis gaúdiis perfruámur. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones Fratres: Debitóres. de Communi plurim. Mart.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Ex D. Eulogio in Memoriali Sanct. Lib. 2. cap. 1.

Cum Arabum advérsus Christiános quotídie crudélitas augerétur, nondum superiórum, ac recénti máxime sánguine Pauli Mártyris satiáta, Theodomírum Carmonénsem júvenem adorítur, quem cum sibi fórtiter obsisténtem vidíssent júdices, et Christum verum Deum confitéri, vatem vero suum mortálem, impuríssimum, ac sceleratíssimum appelláre, gládio trucidárunt anno Dómini octingentésimo quinquagésimo primo, die Július vigésima quinta.

℟. Honéstum fecit.

De Expositióne S. Ambrósii Epíscopi in Psalmum centésimum décimum octávum.

Lectio v. Sermone 21.

Príncipes persecúti sunt me gratis: et a verbis tuis trepidávit cor meum. Bene hoc Martyr dicit, quod injúste persecutiónum torménta sustíneat: qui nihil rapúerit, nullum violéntus opprésserit, nullíus sánguinem fúderit, nullíus torum putáverit esse violándum: qui nihil légibus débeat, et gravióra latrónum sustinére cogátur supplícia: qui loquátur juste, et non audiátur: qui loquátur plena salútis, et impugnétur: ut possit dícere: Cum loquébar illis, impugnábant me gratis. Gratis ígitur persecutiónem pátitur, qui impugnátur sine crímine: impugnátur ut nóxius, cum sit in tali confessióne laudábilis: impugnátur quasi venéficus, qui in nómine Dómini gloriátur, cum píetas virtútum ómnium fundaméntum sit.

℟. Desidérium ánimæ.

Lectio vi.

Vere frustra impugnátur, qui apud ímpios et infídos impietátis arcéssitur, cum fídei sit magíster. Verum qui gratis impugnátur, fortis debet esse et constans. Quómodo ergo subtéxuit: Et a verbis tuis trepidávit cor meum? Trepidáre infirmitátis est, timóris atque formídinis. Sed est étiam infírmitas ad salútem, est étiam timor sanctórum. Timéte Dóminum, omnes sancti ejus: et, Beátus vir,

qui timet Dóminum. Qua ratióne beátus? Quia in mandátis ejus cupit nimis.

℟. Stola jucunditátis.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Si quis vult. de Communi 2. loco.

Die 14. Augusti.

(Dies assign. ex 20. Julii.)

S. Hieronymi Æmiliani Conf.

Duplex.

Omnia ut in Breviario die 20. Julii.

Die 16. Augusti.

S. Rochi Confessoris.

Duplex majus.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter sequentia.

Oratio.

Pópulum tuum, quæsumus Dómine, contínua pietáte custódi; et beáti Rochi suffragántibus méritis, ab omni fac ánimæ et córporis contagióne secúrum. Per Dóminum nostrum.

In I. Nocturno Lectiones Beátus vir. de Communi.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Rochus conféssor ex Joánne, et Franca, quæ étiam Líbera solet appellári, dóminis Montis Pessuláni óppidi in Gállia Narbonénsi natus, quamprímum éditus est in hanc lucem, crucis rubræ schémate visus est insigníri: quod præcláram índolem, ac virtútem portendébat. Et quidem año ætátis duodécimo cœpit parce et dúriter vívere, ac Deo fervéntius famulári. Circa vigésimum vero annum, defúnctis paréntibus, substántiam expéndit in paúperes, ipsúmque Montem Pessulánum pátruo possidéndum relíquit; assumptóque hábitu Tértii Ordinis sancti Francísci vittório, in partes secéssit Itáliæ ad límina sanctórum Apostolórum religióse veneránda.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Cumque populáris lues pene síngula óppida vastáret, servíre in públicis infirmórum hospítiis propósuit. Ac primum Aquæpendéntium, Cesénæ, dehinc Romæ suis précibus, imo et contáctu, signóque crucis imprésso, tactos pestilénti febre plúrimos perfécte curávit: similíque facto in áliis Longobárdiæ óppidis, in quibus pestis desæviébat Placéntiam venit, ubi, dum ægrótos sua ope, et opitulatióne réfovet, præmonétur a Deo, se étiam gravi morbo conflíctum iri. Inter ea gráviter dolens ex fémore sagítta transfíxo, dolórem vincit patiéntia, et admirábili ánimi fortitúdine; unde recreátus, et sanitáti restitútus cógitat de réditu in ditiónem suam.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

In itínere, morbus usque ádeo acérbus, et acútus beátum Rochum exágitat, ut in quadam silva subsístere necésse habúerit, et versáre se várie sub árbore, omni quidem humáno subsídio destitútus, sed Deo impénse commendátus. Cujus providéntia singulári canis cujúsdam viri nóbilis quotídie panem ei ad victum diárium afferébat. Inde Montem Pessulánum regréssus, (ubi tunc témporis incompósitus erat Reipúblicæ status), et pro exploratóre hábitus, in cárcerem fuit conjéctus, et calamitáti-

bus, atque ærúmnis, ínsuper et lue epidémica divexátus, Sacraménto Eucharístiæ munítus, ántequam exspiráret, a Deo obtínuit, ut quisquis peste impetítus eum invocáret, ab ipso morbo liberarétur. Hic tandem die décima sexta Augústi stolam glóriæ indútus, qua cœpit apud Deum pérfrui sempitérna, anno ætátis suæ trigésimo secúndo, Christi vero millésimo trecentésimo vigésimo séptimo. Cujus intercessiónis auxílium ad restinguéndam depopulántis pestis contagiónem manifestíssime expérti sunt Patres Concílii Constantiénsis anno quadringentésimo décimo quarto supra millésimum. Tandem ipsíus corpus váriis signis illústre Venétias translátum fuit año Christi millésimo quadringentésimo octogésimo quinto, ubi étiam nunc requiéscit. Ex tunc vero cœpit esse célebris ejus memória per Itáliam, Gálliam máxime, ac céteras regiónes totíus orbis christiáni.

℟. Iste homo.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Sint lumbi.** de Communi.

Die 18. Augusti.

(Dies assign. ex 2. hujus.)

S. Alphonsi Mariæ de Ligorio

Episc. Conf. et Eccles. Doct.

Duplex. **(m. t. v.)**

Omnia ut in Breviario die 2. Aug.

Die 25. Augusti.

S. Gerontii Episc. Italicensis et Martyris.

Duplex majus.

Omnia de Communi unius Mart., præter sequentia.

In I. Vesperis.

Ad Magnif. Ant. **Cum beátus antístes Geróntius bonum semen seminásset, fructum collégit ubérrimum témpore suo; et fídei veritátem ómnibus apériens, Bœticam præcípue Evangélii splendóribus illuminávit.**

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui glorióso Pontífici Geróntio virtútem conférre dignátus es: ut, nomen tuum constánter honorificándo, ad martýrii corónam perveníret; da ut, ejus intercessióne et exémplo, in vera fide, quæ per caritátem operátur, perseverántes, ætérnam beatitúdinem consequámur. Qui vivis.

Ad Matutinum.

Hymnus.

Christi sacrátum antístitem
Confessiónis laúrea
Præfúlgidum Geróntium
Dignis canámus vócibus.

Apostolórum témpore
Hic exstitísse tráditur
Et prædicásse per Crucem
Partam salútem géntibus.

Qui cum occidéntis ímpiger
Plagas docéndo invíseret;
Plebis furóre dénique
Ferro ad necándum póscitur.

Tunc imperánte Præside,
Nodis gravátus férreis
Horrénte clausus cárcere
Tortóris in manus datur.

Hic fertur inter víncula
Inter tenébras hórridas
Sacrum cadénte e córpore
Cœlo dedísse spíritum.

Apóstolis sic próximos
Nunc iste honóres óccupat,
Deíque vivit glóriæ
Recéptus in consórtium.
Namque infulátus dúplici
Præfúlget auctus prǽmio,
Christi Sacérdos cándidus,
Conféssor atque fúlgidus.
Summo Paréntí glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito
Sit nunc et omne in sǽculum.
Amen.

In I. Nocturno Lectiones A **Miléto.** de Communi.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Geróntius, qui et Gerúntius ab antíquis scriptóribus frequénter appellátur, egrégiis virtútibus plurimísque pro fide christiána ærúmnis tolerátis, ipsa Ecclésiæ primórdia mirífice illustrávit. Epíscopus ab áliquo ex Apóstolis vel viris apostólicis, ut tráditur, ordinátus, in ómnibus semetípsum bonórum óperum prǽbuit exémplum, in doctrína, in integritáte, in gravitáte, vitam agens irreprehensíbilem. Fídei dilatándæ ardentíssimo zelo succénsus, non paucas Hispániæ civitátes præsértim províncíæ Bœ́ticæ peragrávit, et Christi nomen magna virtúte ómnibus annúntians, plúrimos e ténebris infidelitátis ad splendidíssimum Evangélii lumen addúxit.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Postquam vero multos diversósque pópulos sua prædicatióne illustrásset, in civitátem Italicénsem, prope Híspalim, postrémo pervénit, ibíque sua constitúta sede, primus in ea gessit Episcopátum. Caritáte flagrans, in eo totus incúbuit, ut gregem suum a venenátis páscuis arcéret, verbo et exémplo contínuo pásceret, illóque igne, quem Christus venit míttere in terram, inflammáret. Alíórum populórum ínterim non oblítus, apostólicum prædicándi munus látius obívit, omnes enim sanctíssimus Præsul christiánæ fídei luce illumináre cúpiens, ipse, ut créditur, Evangélii sémina primum in Hispalénsi civitáte sparsit, quæ non multo post ubérrimos ac copiosíssimos fructus protulérunt.

℟. Desidérium ánimæ.

Lectio vi.

Glorióos triúmphos quos de idololatría Geróntius ubíque reportábat, æquo ánimo ferre non póterant inánium deórum cultóres. Hinc furóre acti illum ad júdicem déferunt, qui pro tribunáli sedens sanctum epíscopum de fídei professióne ac Christi nóminis prædicatióne diligénter intérroget. At vero illústris Conféssor forti constantíque ánimo veræ religiónis dógmata públice proféssus est, de ejus mystériis, cœlésti sapiéntia illustrátus, disséruit deósque géntium dæmónia esse christiána libertáte palam comprobávit. Ira excandéscens tyránnus, eum vínculis férreis constríctum, in tenebricósum cárcerem detrúdi jubet, ut póstea carnifícibus traderétur cruciándus. Geróntius nec blandítiis, nec minis, nec tortórum crudelitáte commótus, ad supplícium invícta constántia se comparábat,

dum, Deo sic disponénte, tot labóribus ærumnísque consúmptus, in ipso cárcere sancto fine quiévit, et ad martýrii glóriam evolávit. Hujus præclári triúmphi fama vulgáta, Geróntii nomen magna fuit veneratióne hábitum, ejúsque cultus a primis sǽculis ad nostra usque témpora religiosíssime servátus. Ob tanti Mártyris memóriam, Ecclésia in civitáte Italicénsi ejus nómine dicáta est, quam sanctus Fructuósus Bracharénsis sǽculo séptimo, devotiónis causa invísit. In archidiœcési autem Hispalénsi ejus festum quotánnis die vigésima quinta Augústi ritu dúplici majóri celebrátur.

℟. **Stola jucunditátis.**

In III. Nocturno Homilia in Evang. Si **quis venit.** de Comm. unius Mart. 1. loco.

℟. viii. **Dómine, prævenísti.**

In Laud. Ad Bened. Ant. Glo**riósus Martyr et Póntifex Geróntius, Evangélii prædicátor exímius, in cárcerem propter fidem conjéctus, usque ad mortem Christi nomen constánter honorificávit.**

In II. Vesperis.

Hymnus. **Christi sacrátum.** ut ad Matutinum. **19***

Ad Magnif. Ant. **Ira gentílium ad tribúnal ductus, et a crudelíssimo tyránno damnátus, Geróntius Póntifex fórtiter pro fide christiána dimicávit, et in cárcere sancto fine quiéscens, morte sua gloriósa illústre testimónium dedit Christo Dómino.**

Die 27. Augusti.

S. Josephi Calasanctii Conf.

Duplex 2. class.

Omnia ut in Breviario eadem die.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 1. Septembris 1889.

G. Erlenborn, Vic. in Spirit. Gener.

Suffragia Sanctorum,

quæ dicuntur in fine Vesperarum et Laudum, in Dominicis, Feriis et Festis semiduplicibus (exceptis infra Oct.) ab Octava Epiphaniæ usque ad Dominicam Passionis exclusive, et ab Octava Pentecostes usque ad Adventum etiam exclusive.

De sancta Maria.

Quamvis in Choro recitatum fuerit ejus Officium parvum, quia est Patrona Hispaniæ.

Ad Vesp. et Laud. Ant. **Sancta María, succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro Clero, intercéde pro devóto femíneo sexu; séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam commemoratiónem.**

℣. **Ora pro nobis, sancta Dei Génitrix.** ℟. **Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.**

Orémus.

Concéde nos fámulos tuos, quǽsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére: et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia.

Ab Oct. Epiph. usque ad Purificationem dicitur:

℣. **Post partum, Virgo, invioláta permansísti.** ℟. **Dei Génitrix, intercéde pro nobis.**

Orémus.

Deus, qui salútis ætérnæ beátæ Maríæ virginitáte fœcúnda, humáno géneri prǽmia præstitísti: tríbue, quǽsumus; ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ suscípere Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

De S. Joseph,

Sponso B. M. V. Eccl. Patr.

Ante alios, exceptis Angelis et S. Joanne Baptista.

Ad Laudes. Ant. **Ipse Jesus erat incípiens, quasi annórum trigínta, ut putabátur fílius Joseph.**

℣. **Os justi meditábitur sapiéntiam.** ℟. **Et lingua ejus loquétur judícium.**

Ad Vesperas. Ant. **Ecce fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam.**

℣. **Glória et divítiæ in domo ejus.** ℟. **Et justítia ejus manet in sǽculum sǽculi.**

Orémus.

Deus, qui ineffábili providéntia beátum Joseph sanctíssimæ Genitrícis tuæ Sponsum elígere dignátus es: præsta quǽsumus; ut quem protectórem venerámur in terris, intercessórem habére mereámur in cœlis.

De Ss. Apostolis.

Ad Laudes. Ant. **Glorиósi Príncipes terræ, quómodo in vita sua dilexérunt se, ita et in morte non sunt separáti.**

℣. **In omnem terram exívit sonus eórum.** ℟. **Et in fines orbis terræ verba eórum.**

Ad Vesp. Ant. **Petrus Apóstolus, et Paulus Doctor Géntium, ipsi nos docuérunt legem tuam, Dñe.**

℣. **Constítues eos Príncipes super omnem terram.** ℟. **Mémores erunt nóminis tui Dómine.**

Orémus.

Deus, cujus déxtera beátum Petrum ambulántem in flúctibus ne mergerétur, eréxit, et coapóstolum ejus Paulum tértio naufragántem de profúndo pélagi liberávit: exaúdi nos propítius et concéde; ut ambórum méritis æternitátis glóriam consequámur.

De S. Jacobo Apostolo.

Ad Laudes. Ant. Visitávit nos per sanctum suum Apóstolum, et fecit salútem de inimícis nostris Dóminus Deus noster.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Vesperas. Ant. O beátum Apóstolum, qui inter primos eléctus, primus ómnium Apostolórum Dómini cálicem bíbere méruit! O gloriósum Hispániæ Regnum, tali pígnore ac Patróno munítum, per quem fecit illi magna, qui potens est! Allelúja.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Orémus.

Esto, Dómine, plebi tuæ sanctificátor, et custos: ut beáti Jacóbi Apóstoli tui muníta præsídiis, et conversatióne tibi pláceat, et secúra mente desérviat.

De S. Isidoro.

Ad Laudes. Ant. Euge serve bone, et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Vesperas. Ant. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Isidóre, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

℣. Justum dedúxit Dóminus. ut supra.

Orémus.

Intervéniat pro nobis, quǽsumus, Dómine, beátus Póntifex, et Hispániæ Doctor Isidórus: ut ejus intercessióne ad ætérna prǽmia perveníre mereámur.

De Pace.

Ad Vesp. et Laud. Ant. Da pacem Dómine in diébus nostris, quia non est álius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster.

℣. Fiat pax in virtúte tua. ℟. Et abundántia in túrribus tuis.

Orémus.

Deus, a quo sancta desidéria, recta consília, et justa sunt ópera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; ut et corda nostra mandátis tuis dédita, et hóstium subláta formídine, témpora sint tua protectióne tranquílla. Per Dóminum.

Commem. de Cruce,
in feriali tantum Officio.

Ad Vesp. et Laud. Ant. Per signum Crucis de inimícis nostris líbera nos, Deus noster.

℣. Omnis terra adóret te, et psallat tibi. ℟. Psalmum dicat nómini tuo, Dómine.

Orémus.

Perpétua nos, quǽsumus, Dómine, pace custódi, quos per lignum sanctæ Crucis redímere dignátus es.

Index alphabeticus.

Sumptibus et Typis Fr. Pustet, S. Sedis Apost. et S. Rit. Congr. Typogr.



OFFICIA PROPRIA
SANCTORUM
ARCHIDIŒCESIS HISPALENSIS.

PARS AUTUMNALIS.

Die 4. Septembris.

Ss. Theodori, Juliani et **Amiani** Martyrum.

Duplex majus.

Omnia de Communi plurim. Mart. 2. loco; sed Lectiones I. Noct. Fratres: Debitóres. de Communi.

Oratio.

Deus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Theodóri et sociórum ejus solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

Die 5. Septembris.

S. Romuli Italicensis Mart.

Duplex majus.

Omnia de Comm. unius Mart. 1. loco; sed Lect. I. Noct. **Fratres: Debitóres.** de Communi plurim. Mart.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut qui beáti Rómuli Mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

Die 7. Septembris.

(Dies assign. ex 5. Julii.)

Ss. Cyrilli et **Methodii** Pont. et Confessorum.

Duplex.

Omnia de Communi Confess. Pont., præter sequ.

In I. Vesperis.

Hymnus.

Sédibus cœli nítidis recéptos
Dícite athlétas géminos fidéles;
Slávicæ duplex cólumen, decúsque
Dícite gentis.

Hos amor fratres sociávit unus,
Unaque abdúxit píetas erémo,
Ferre quo multis célerent beátæ
Pignora vitæ.

Luce, quæ templis súperis renídet,
Búlgaros complent, Móravos, Bohémos;
Mox feras turmas numerósa Petro
Agmina ducunt.

Débitam cincti méritis corónam
Pérgite o flecti lácrimis precántum;
Prisca vos Slavis opus est datóres
Dona tuéri.

Quæque vos clamat generósa tellus
Servet ætérnæ fídei nitórem;
Quæ dedit princeps, dabit ipsa semper
Roma salútem.

Gentis humánæ Sator et Redémptor,
Qui bonus nobis bona cuncta præbes,
Sint tibi grates, tibi sit per omne
Glória sæclum. Amen.

℣. Sacerdótes tui induántur justítiam. ℟. Et sancti tui exsúltent.

Ad Magnif. Ant. O quam speciósi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona, dicéntium Sion: regnábit Deus tuus.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui Slavóniæ gentes per beátos Confessóres tuos atque Pontífices Cyríllum et Methódium ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti: præsta; ut quorum festivitáte gloriámur eórum consórtio copulémur. Per Dóminum.

Ad Matutinum. Hymnus ut supra in I. Vesperis.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Ex litteris Encyclicis Leonis Pp. XIII.

Cyríllus et Methódius fratres germáni, Thessalónicæ amplíssimo loco nati, Constantinópolim matúre concessérunt, ut in ipsa urbe Oriéntis príncipe humanitátis artes addíscerent. Utérque plúrimum brevi profecérunt; sed máxime Cyríllus, qui tantam scientiárum laudem adéptus est, ut singuláris honóris causa philósophus appellarétur. Deínde mónachum ágere Methódius cœpit; Cyríllus autem dignus est hábitus, cui Theodóra imperátrix, ductóre Ignátio Patriárcha, negótium daret erudiéndi ad fidem christiánam Cházaros trans Chersonésum incoléntes; quos præcéptis suis edóctos et Dei nómine instínctos, multíplici superstitióne deléta, ad Jesum Christum adjúnxit. Recénti christianórum communitáte óptime constitúta, Constantinópolim rédiit álacer, atque in monastérium Polychrónis, quo se jam Methódius recéperat, Cyríllus ipse secéssit. Interim cum res trans Chersonésum próspere gestas ad Rastiláum Moráviæ príncipem fama detulísset, is de áliquot operáriis evangélicis Constantinópoli arcesséndis cum imperatóre Michaéle tértio egit. Igitur Cyríllus et Methódius illi expeditióni destináti, et in Morávíam célebri lætítia excépti, ánimos christiánis institutiónibus tanta vi, tamque operósa in-

dústria excoléndos aggrediúntur, ut non longo intervállo ea gens nomen Jesu Christo libentíssime déderit. Ad eam rem non parum sciéntia váluit dictiónis Slavónicæ, quam Cyríllus ante percéperat, multúmque potuérunt sacræ utriúsque testaménti lítteræ, quas próprio pópuli sermóne reddíderat: nam Cyríllus et Methódius príncipes inveniéndi fuérunt ipsas lítteras, quibus est sermo ipsórum Slavórum signátus et expréssus, eáque de causa ejúsdem sermónis auctóres non immérito habéntur.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Cum rerum gestárum glóriam secúndus rumor, Romam nuntiásset, sanctus Nicoláus primus Póntifex máximus fratres óptimos Romam conténdere jussit. Illi Románum iter ingréssi, relíquias sancti Cleméntis primi Pontíficis máximi, quas Cyríllus Chersónæ repérerat, secum ádvehunt. Quo núntio, Hadriánus secúndus, qui Nicoláo demórtuo fúerat suffectus, clero populóque comitánte, óbviam eis magna cum honóris significatióne progréditur. Deínde Cyríllus et Methódius de múnere apostólico, in quo essent sancte laborioséque versáti ad Pontíficem máximum, assidénte clero, réferunt; cum autem eo nómine ab ínvidis accusaréntur, quod sermónem Slavónicum in perfunctióne múnerum sacrórum usurpavíssent, causam dixére ratiónibus tam certis tamque illústribus, ut póntifex et clerus et laudárint hómines et probárint. Tum ambo juráti se in fide beáti Petri et Pontíficum Románórum permansúros, epíscopi ab Hadriáno consecráti sunt. Sed erat provísum divínitus, ut Cyríllus vitæ cursum Romæ cónderet, virtúte magis quam ætáte matúrus. Itaque defúncti corpus elátum fúnere público, in ipso sepúlchro quod sibi Hadriánus exstrúxerat compósitum fuit; tum ad sancti Cleméntis dedúctum, et hujus prope cíneres cónditum. Cumque veherétur per urbem inter festos psalmórum cantus, non tam fúneris quam triúmphi pompa, visus est pópulus Románus libaménta honórum cœléstium viro sanctíssimo detulísse. Methódius vero in Moráviam regréssus, ibíque factus forma gregis ex ánimo, rei cathólicæ inservíre majóre in dies stúdio instítit. Quin étiam Pannónios, Búlgaros, Dálmatas in fide christiáni nóminis confirmávit; in Carínthiis autem ad uníus veri Dei cultum traducéndis plúrimum elaborávit.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Apud Joánnem octávum, qui Hadriáno succésserat, íterum de suspécta fide violatóque more majórum accusátus ac Romam veníre jussus, coram Joánne, et epíscopis áliquot cleróque urbáno, fácile vicit cathólicam prorsus fidem et se retinuísse constánter, et céteros diligénter edocuísse; quod vero ad linguam Slavónicam in sacris peragéndis usurpátam, se certis de causis ex vénia Hadriáni Pontíficis, nec Sacris Lítteris repugnántibus, jure fecísse. Quaprópter in re præsénti compléxus Methódium Póntifex, potestátem ejus

archiepiscopálem, expeditionémque Slavónicam, datis étiam lítteris, ratam esse jussit. Quare Methódius in Morāviam revérsus assignātum sibi munus explére vigilántius perseverávit, pro quo et exsílium libénter passus est. Bohemórum príncipem ejúsque uxórem ad fidem perdúxit, et in ea gente christiánum nomen longe latéque vulgávit. Evangélii lumen in Polóniam invéxit, et, ut nonnúlli Scriptóres tradunt, sede episcopáli Leópoli fundáta, in Moscóviam próprii nóminis digréssus, thronum pontificálem Kiowénsem constítuit. Demum in Moráviam revérsus est ad suos; jamque sese ábripi ad humánum éxitum séntiens, ípsemet sibi successórem designávit, clerúmque et pópulum suprémis præcéptis ad virtútem cohortátus, ea vita, quæ sibi via in cœlum fuit, placidíssime defúnctus est. Uti Cyríllum Roma, sic Methódium Morávia decedéntem summo honóre prosecúta est. Illórum vero festum, quod apud Slavóniæ pópulos jámdiu celebrári consuéverat, Leo décimus tértius Póntifex Máximus cum Offício ac Missa própria in univérsa Ecclésia quotánnis agi præcépit.

℟. Iste est qui.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Designávit Dóminus.** de Comm. Evang. cum ℟℟. de Communi Conf. Pont.

Ad Laudes.

Hymnus.

Lux o decóra pátriæ,
Slavísque amíca géntibus,
Salvéte, fratres: ánnuo
Vos efferémus cántico.

Quos Roma plaudens éxcipit,
Compléxa mater fílios,
Auget coróna præsulum,
Novóque firmat róbore.

Terras ad usque bárbaras
Inférre Christum pérgitis:
Quot vanus error lúserat,
Almo replétis lúmine.

Noxis solúta péctora
Ardor supérnus ábripit,
Mutátur horror véprium
In sanctitátis flósculos.

Et nunc seréna cœlitum
Locáti in aula, súpplici
Adéste voto: Slávicas
Serváte gentes Númini.

Erróre mersos únicum
Ovíle Christi cóngreget;
Factis avítis æmula
Fides viréscat púlchrior.

Tu nos, beáta Trínitas,
Cœlésti amóre cóncita,
Patrúmque natos ínclyta
Da pérsequi vestígia. Amen.

℣. Sapiéntiam sanctórum narrent pópuli. ℟. Et laudem eórum núntiet Ecclésia.

Ad Bened. Ant. **In sanctitáte et justítia serviérunt Dómino ómnibus diébus suis: ídeo stolam glóriæ índuit illos Dóminus Deus Israël.**

Oratio ut in I. Vesperis. 2*

Si II. Vesperæ integræ dicendæ sint, Hymnus sumitur e I. Vesperis.

℣. Sacerdótes tui induántur justítiam. ℟. Et sancti tui exsúltent.

Ad Magnif. Ant. **Isti sunt viri sancti, facti amíci Dei, divínæ veritátis præcónio gloriósi: linguæ eórum claves cœli factæ sunt.**

Die 9. Septembris.

Ss. Stratonis, Ruffini et **Ruffiniani** Mart. Hispalensium.

Duplex majus.

Omnia de Communi plurim. Mart. 1. loco.

Oratio.

Deus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Stratónis et Sociórum ejus natalítia cólere: da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Die 11. Septembris.

(Dies assign. ex 5. hujus.)

S. Laurentii Justiniani Episc. et Confessoris.

Semiduplex.

Omnia ut in Breviario die 5. Sept.

Die 17. Septembris.

S. Petri de Arbues Martyris.

Duplex.

Omnia ut in Propr. Hispan. ead. die.

Die 18. Septembris.

S. Josephi a Cupertino Conf.

Duplex.

Omnia ut in Breviario eadem die.

Die 28. Septembris.

Ss. Adulphi et **Joannis** Fratrum, Martyrum Hispalensium.

Duplex 2. classis.

Omnia de Communi plurim. Mart. 2. loco, præter sequentia.

Oratio.

Quæsumus, omnípotens Deus, ut nobis gemináta lætítia in beatórum Mártyrum tuórum Adúlphi et Joánnis natalítio spirituálium cónferat grátiam gaudiórum: per quam fidélium mentes in viam ætérnæ salútis eórum intercessióne dirigántur. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones **Fratres: Debitóres.** de Communi.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Ex D. Eulogio in Memoriali Sanctor. Lib. 2. cap. 8.

Adúlphus et Joánnes Híspali nobilíssimis paréntibus orti, Córdubam cum Artémia matre spectátæ virtútis fémina, et cum Aúrea soróre vírgine et mártyre veniéntes primi sub inítium regni Abdarrágman, viam aperuére martýrio. Quippe pulchérrima morte pro Christi fide suscépta, velut claríssima sídera nova Ecclésiam luce complevérunt, et exémplo suo débiles ad eámdem triúmphi glóriam confirmárunt, anno Dómini octingentésimo vigésimo quinto. Scripsit eórum gesta Abbas: Spera in Deo, ejus sǽculi claríssimus auctor; memóriam beátus celebrávit Eulógius.

℟. Sancti tui.

Lectiones v. et vi. **Nemo est qui nésciat.** quæ sunt iv. et v. de Comm. plurim. Mart. 2. loco. cum ℟℟. v. et vi.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Descéndens Jesus.** de Comm. 2. loco. ℟. viii. **Hæc est vera fratérnitas.**

Die 1. Octobris.

S. Angeli Regni Custodis.

Duplex 2. classis cum Oct.

Omnia ut in Proprio Hispan. præter Hymnos ut in Breviario Romano in Festo Ss. Angelorum Custodum die 2. Octobris.

Die 8. Octobris.

S. Petri Hispalensis Mart.

Duplex 2. class.

Omnia de Communi unius Mart. 2. loco; sed Lectiones I. Noct. **Fratres: Debitóres.** de Communi plurim. Mart.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus; ut intercedénte beáto Petro Mártyre tuo, et a cunctis adversitátibus liberémur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dñm.

Die 12. Octobris.

In Commemoratione

B. Mariæ V. de Columna.

Duplex 1. cl. cum Oct.

Omnia ut in Proprio Hispan. 2. loco eadem die.

Die 14. Octobris.

S. Callisti Papæ et Mart.

Duplex.

Omnia ut in Breviario eadem die, præter Orationem.

Oratio.

Deus, qui nos cónspicis ex nostra infirmitáte defícere, ad amórem tuum nos misericórditer per beáti Callísti Mártyris tui, atque Pontíficis exémpla restaúra. Per Dóminum.

Die 15. Octobris.

S. Teresiæ Virginis.

Duplex 2. class.

Omnia ut in Proprio Hispaniar. eadem die.

Die 19. Octobris.

In Octava

B. Mariæ V. de Columna.

Duplex.

Omnia ut in Proprio Hispaniar. eadem die.

Die 20. Octobris.

S. Joannis Cantii Confessoris.

Duplex.

Omnia ut in Brev., præter Hymnos, ut sequitur.

Ad Matutinum.

Hymnus.

Gentis Polónæ glória,
Cleríque splendor nóbilis,
Decus Lycǽi, et Pátriæ
Pater, Joánnes ínclyte.

Legem supérni Núminis
Doces Magíster, et facis:
Nil scire prodest: sédulo
Legem nitámur éxsequi.

Apostolórum límina
Pedes viátor vísitas:
Ad Pátriam, ad quam téndimus,
Gressus viámque dírige.

Urbem petis Jerúsalem;
Signáta sacro Sánguine
Christi colis vestígia,
Rigásque fusis flétibus.

Acérba Christi Vúlnera,
Hæréte nostris córdibus,
Ut cogitémus cónsequi
Redemptiónis prétium.

℣ Corpus domas jejúniis
Cædis cruénto vérbere,
Ut castra pœniténtium
Miles sequáris ínnocens.

Sequámur et nos sédulo
Gressus Paréntis óptimi,
Sequámur, ut licéntiam
Carnis refrǽnet spíritus.

Rigénte bruma, próvidum
Præbes amíctum paúperi,
Sitim famémque egéntium
Esca potúque súblevas.

O qui negásti némini
Opem rogánti, pátrium
Regnum tuére, póstulant
Cives Polóni, et éxteri.

Sit laus Patri, sit Fílio,
Tibíque, sancte Spíritus:
Preces Joánnis ímpetrent
Beáta nobis gaúdia. Amen.

Ad Laudes.

Hymnus.

Te deprecánte, córporum
Lues recédit, ímprobi
Morbi fugántur, prístina
Rédeunt salútis múnera.
Phthisi, febríque, et úlcere
Diram redáctos ad necem,
Sacrátas morti víctimas
Ejus rapis e faúcibus.
Te deprecánte, túmido
Merces abáctæ flúmine,
Tractæ Dei poténtia
Sursum fluunt retrógradæ.
Cum tanta possis, sédibus
Cœli locátus, póscimus,
Respónde votis súpplicum,
Et invocátus súbveni.
O una semper Trínitas!
O trina semper Unitas,
Da, supplicánte Cántio,
Ætérna nobis prǽmia. Amen.

Ubi aliqua de causa contingat, ut de hoc Festo in I. Vesp. fiat saltem a Capit. dicitur in iis Hymnus. **Gentis Polónæ.** usque ad **Redemptiónis prétium.** et in fine

Te prona mundi máchina
Clemens adóret, Trínitas;
Et nos novi per grátiam
Novum canámus cánticum.
Amen.

Quod si Festum hoc habeat II. Vesp. integras: Hymnus idem ponitur ad Laudes, et in II. Vesp. **Te deprecánte.**

Ad Matutinum autem in utroque casu dicitur solus Hymnus. **Corpus domas.** usque ad finem.

Die 21. Octobris.

Ss. Ursulæ et **Sociarum** Virg. et Martyrum.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 22. Octobris.

S. Salome Viduæ.

Duplex majus.

Omnia ut in Propr. Hispan. ead. die.

Die 26. Octobris.

S. Florentii Mart. Hispalensis.

Duplex 2. class.

Omnia de Communi unius Mart., præter sequentia.

Oratio.

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut qui beáti Floréntii Mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones **Fratres: Debitóres.** de Communi plurim. Mart.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Ex Martyrol. et Breviariis Hispalen.

Quo témpore Imperatórum non minus cruéntis, ac funéstis, quam superstitiósis edíctis Christiána relígio, per Hispániam oppréssa, ingéntem mártyrum ségetem Christo dedit, Hispalénsis Província, hac fœcunditátis laude céteris non inférior, cum plures tam viros, quam féminas sanctitáte, et martýrii virtúte præstántes, in cœléstem Colóniam misit. Quorum res præcláre gestæ, et egrégia certámina quamvis hóminum lítteris obscúre tantum adumbráta sint, in libro tamen vitæ expréssa ad sempitérnam memóriam conservántur. In illis æternitátis commentáriis sanctórum Honórii, Euthýchii, et Stéphani, qui Astæ passi sunt, descríptum est martýrium: item sancti Gerúntii Italicénsis Epíscopi, cujus corpus in sua Ecclésia requiéscit: Petri quo-

que Hispalénsis gloriósa est usque ad mortem conféssio; quorum vivis, ac recéntibus exémplis Floréntius vir Deo déditus, ad fidei certámen multum inflamátus est.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Cum ergo Daciánus Bœticæ Provínciæ Præses Christiános inquíreret, et Floréntium palam Christi fidem profitéri audíret, jussit hóminem ad se addúci: qui de religiónis professióne rogátus, se líbera voce Christiánum esse respóndit; ac pro tuénda Christi glória mortem quantúmvis atrócem subitúrum. Admonet Præses, promíssis minas jungens, uti dominórum Augustórum edíctis obtémperet, et magna cum eórum grátia Jovi Ultóri sacríficet: sin minus eum débitas légibus pœnas datúrum. Sed fortis, et constans Christi miles, nec promíssis commótus, nec minis térritus respóndit: Se non Jovi adúltero, et obscénis dæmonum simulácris, sed uni regum Regi, et deórum Deo omnipoténti, et vero impiórum ultóri eum honórem debére. Nihil proínde fácere mortálium Príncipum grátiam, quæ se a sempitérno tanti Núminis amóre alienáre tentáret.

℟. Desidérium ánimæ.

Lectio vi.

Tulit impatientíssime Daciánus eam injúriam et diis et Princípibus fíeri: (sic enim interpretabántur sanctam Floréntii libertátem) jubet ítaque in eum a carnifícibus omnem cruciátus immanitátem exercéri, ut hoc pacto, aut ulciscerétur offénsam aut obfirmátam viri constántiam emollíret. Sed cum ómnia frustra tentásset, et invícta mártyris virtus flagra, plumbátas, equúleos, et ália suppliciórum génera superásset, senténtia mortis lata, ad Tylæ castrum agri Hispalénsis cápite plexus, immortálem martýrii corónam consecútus est, séptimo Kaléndas Novémbris. ℟. Stola jucunditátis.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Si quis vult post me veníre. ix. Lectio et commem. S. Evaristi Papæ et Mart. (nisi venerit in Dominica vel celebretur Vigil. Ss. Apost. Simonis et Judæ) Ant. et ℣. ex I. Vesperis.

Die 12. Novembris.

S. Didaci Complutensis Conf.

Duplex majus.

Omnia ut in Breviario Romano, sub die 13. hujus; sed Lect. I. Noct. **Beátus vir.** de Comm. Conf. non Pont. 2. loco.

Die 19. Novembris.

S. Crispini Ep. Astigitani et Mart.

Duplex majus.

Omnia de Communi unius Mart.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Crispíni Mártyris tui atque Pontíficis ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

In I. et II. Nocturno Lectiones de Communi 1. loco.

In III. Nocturno Lectiones de Communi 2. loco.

Die 23. Novembris.

S. Clementis Papæ et Martyris, Patroni Hispal.

Duplex 1. class. cum Oct. Hispali tantum, et in suburbanis, ob victoriam eo die de Saracenis reportatam anno 1248.

Omnia ut in Breviario, sed in dictis locis nihil de S. Felicitate; ix. Lectio

Quod si cóntuens. sumitur ex III. Nocturno de Comm. Conf. Pont. 2. loco.
Extra civitatem autem duplex ut in Breviario.

Die 24. Novembris.
Ss. Honorii, Eutichii et **Stephani** Mart. Astensium.

Duplex majus.

Omnia de Communi plurim. Mart.

Oratio.

Deus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Honórii et Sociórum ejus natalítia cólere; da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

In I. et II. Nocturno Lectiones de Communi 1. loco.

In III. Nocturno Homilia de Communi 2. loco.

Die 26. Novembris.
Desponsatio B. Mariæ V.

Duplex majus.

Omnia ut in Proprio Hispan. eadem die; sed in utrisque Vesp. et Laud. fit, ante omnes, comm̃em. S. Joseph. ut ibid.

Die 27. Novembris.
Ss. Floræ et **Mariæ** Virg. et Mm.

Duplex majus.

Omnia de Communi Virg. et Mart., præter sequentia.

In utrisque Vesp. ad Magnif. et in Laudib. ad Bened. Ant. **Prudéntes Vírgines, aptáte vestras lámpades: ecce sponsus venit, exíte óbviam ei.**

℣. **Adducéntur Regi vírgines post eam.** ℟. **Próximæ ejus afferéntur tibi.**

Oratio.

Sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum Floræ et Maríæ, quǽsumus, Dómine, beáta solémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos; ut eárum intercessióne placátus semper a nobis mala ómnia, quæ merémur, avértas. Per Dñm.

In I. Nocturno Lectiones **De virgínibus.** de Communi.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Ex D. Eulogio in Memoriali Sanctor. Lib. 2. cap. 8.

Beáta Flora, venustáte córporis, et interióri ánimi hábitu florentíssima, éthnico patre Hispalénsi génita, a christiána matre Cordubénsi sacræ religiónis légibus imbúta, quadragesimálem inédiam adhuc infántula, erogáto clam in paúperes prándio, transigébat. Ac matris précibus, et minis addúcta, corpúsculum semel, idque sero reféicit in die. Cum ímpius illam frater ad superstitiónem suam compélleret, cum soróre sua domo se fuga subdúxit. Sed cum Ecclésiam audíret a fratre ob eam causam afflígi, domum regréssa: En, inquit ad fratrem, ego, quam quǽritis, adsum: satágite crudelióribus torméntis fidem meam evíncere: credo, probábitis me inter pœnas fortióri pertinácia, quam nunc in prima congressióne Christum confitéri. Quam cum ille a propósito ulla ratióne revocáre non posset, ad júdicem pértrahit.

℟. **Propter veritátem.**

Lectio v.

Apud eum illa fídei ratiónem expónit, quam, ut audívit, immáni furóre in cædem Mártyris succénsus, inter utrúmque satéllitem, apprehénsis mánibus, eam exténdi præcépit; diróque vérbere

caput ejus pertúndens, támdiu flagris insístit: quoúsque decísa cum cæsárie cute, os vérticis nudum patéret. Perdúrat nihilóminus adoléscens Martyr, et virgo in sua confessióne. Tunc judex semivívam, et pene exánimem ímpio fratri trádidit pervertendam. Sed illa, ubi adhíbita curatióne, vires collégit, frustráta custódes ad Tuccitánam urbem, vulgo Martos appéllant, confúgit: et in ejus vículo cum soróre delítuit, donec dicénte sibi intérius Christo: Iterum vénio crucifígi, álacris e latíbulo ad martýrium properávit. Cujus cómitem hábuit beátam Maríam, sancti mártyris Walavónsi sorórem.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Hæc cum fratris desidério suspiráret, sanctus Martyr per quiétem quamdam ádmonet religiósam ut jam soror María pro se ploráre desístat, quóniam próximo témpore ad se esset in supérna ventúra. Ex eo die úritur cor vírginis amóre martýrii: cujus potiúndi stúdio e cœnóbio suo Cuteclarénsi descéndens, beáti Acíscli Ecclésiam in ipso adhuc itínere pósita ingréditur: inibíque beátam Floram precántem offéndit. Tum se ínvicem, datis ósculis, salutántes, communicáto martýrii voto, júdicem adiére. Quas ille Christum constantíssime confiténtes post acrióres minas in custódiam tradit: ac post longum deínde squalórem cárceris jugulátas feris, ac volúcribus discerpéndas expónit, ac póstero die in flumen projécit. Utriúsque caput in Æde beáti Acíscli sepúltum est: Maríæ corpus e flúmine in cœnóbium Cuteclarénse translátum est: Floræ, ubi quiéscat, ignorátur. Passæ sunt octávo Kaléndas Decémbris, anno Dómini octingentésimo quinquagésimo primo.

℟. Afferéntur Regi.

In III. Nocturno Homil. in Evang. **Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus.** de Communi 1. loco.

Index alphabeticus.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 1. Septembris 1889.

G. Erlenborn, Vic. in Spirit. Gen.

Suffragia Sanctorum,

quæ dicuntur in fine Vesperarum et Laudum, in Dominicis, Feriis et Festis semiduplicibus (exceptis infra Oct.) ab Octava Epiphaniæ usque ad Dominicam Passionis exclusive, et ab Octava Pentecostes usque ad Adventum etiam exclusive.

De sancta Maria.

Quamvis in Choro recitatum fuerit ejus Officium parvum, quia est Patrona Hispaniæ.

Ad Vesp. et Laud. Ant. **Sancta María, succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro Clero, intercéde pro devóto femíneo sexu; séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam commemoratiónem.**

℣. **Ora pro nobis, sancta Dei Génitrix.** ℟. **Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.**

Orémus.

Concéde nos fámulos tuos, quǽsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére: et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia.

Ab Oct. Epiph. usque ad Purificationem dicitur:

℣. **Post partum, Virgo, invioláta permansísti.** ℟. **Dei Génitrix, intercéde pro nobis.**

Orémus.

Deus, qui salútis ætérnæ beátæ Maríæ virginitáte fœcúnda, humáno géneri prǽmia præstitísti: tríbue, quǽsumus; ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ suscípere Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

De S. Joseph,

Sponso B. M. V. Eccl. Patr.

Ante alios, exceptis Angelis et S. Joanne Baptista.

Ad Laudes. Ant. **Ipse Jesus erat incípiens, quasi annórum trigínta, ut putabátur fílius Joseph.**

℣. **Os justi meditábitur sapiéntiam.** ℟. **Et lingua ejus loquétur judícium.**

Ad Vesperas. Ant. **Ecce fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam.**

℣. **Glória et divítiæ in domo ejus.** ℟. **Et justítia ejus manet in sǽculum sǽculi.**

Orémus.

Deus, qui ineffábili providéntia beátum Joseph sanctíssimæ Genitrícis tuæ Sponsum elígere dignátus es: præsta quǽsumus; ut quem protectórem venerámur in terris, intercessórem habére mereámur in cœlis.

De Ss. Apostolis.

Ad Laudes. Ant. **Gloriósi Príncipes terræ, quómodo in vita sua dilexérunt se, ita et in morte non sunt separáti.**

℣. **In omnem terram exívit sonus eórum.** ℟. **Et in fines orbis terræ verba eórum.**

Ad Vesp. Ant. **Petrus Apóstolus, et Paulus Doctor Géntium, ipsi nos docuérunt legem tuam, Dñe.**

℣. **Constítues eos Príncipes super omnem terram.** ℟. **Mémores erunt nóminis tui Dómine.**

Orémus.

Deus, cujus déxtera beátum Petrum ambulántem in flúctibus ne mergerétur, eréxit, et coapóstolum ejus Paulum tértio naufragántem de profúndo pélagi liberávit: exaúdi nos propítius et concéde; ut ambórum méritis æternitátis glóriam consequámur.

De S. Jacobo Apostolo.

Ad Laudes. Ant. Visitávit nos per sanctum suum Apóstolum, et fecit salútem de inimícis nostris Dóminus Deus noster.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Vesperas. Ant. O beátum Apóstolum, qui inter primos eléctus, primus ómnium Apostolórum Dómini cálicem bíbere méruit! O gloriósum Hispániæ Regnum, tali pígnore ac Patróno munítum, per quem fecit illi magna, qui potens est! Allelúja.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Orémus.

Esto, Dómine, plebi tuæ sanctificátor, et custos: ut beáti Jacóbi Apóstoli tui muníta præsídiis, et conversatióne tibi pláceat, et secúra mente desérviat.

De S. Isidoro.

Ad Laudes. Ant. Euge serve bone, et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Vesperas. Ant. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Isidóre, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

℣. Justum dedúxit Dóminus. ut supra.

Orémus.

Intervéniat pro nobis, quæsumus, Dómine, beátus Póntifex, et Hispániæ Doctor Isidórus: ut ejus intercessióne ad ætérna præmia perveníre mereámur.

De Pace.

Ad Vesp. et Laud. Ant. Da pacem Dómine in diébus nostris, quia non est álius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster.

℣. Fiat pax in virtúte tua. ℟. Et abundántia in túrribus tuis.

Orémus.

Deus, a quo sancta desidéria, recta consília, et justa sunt ópera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; ut et corda nostra mandátis tuis dédita, et hóstium subláta formídine, témpora sint tua protectióne tranquílla. Per Dóminum.

Commem. de Cruce,
in feriali tantum Officio.


Ad Vesp. et Laud. Ant. Per signum Crucis de inimícis nostris líbera nos, Deus noster.

℣. Omnis terra adóret te, et psallat tibi. ℟. Psalmum dicat nómini tuo, Dómine.

Orémus.

Perpétua nos, quæsumus, Dómine, pace custódi, quos per lignum sanctæ Crucis redímere dignátus es.

Sumptibus et Typis Fr. Pustet, S. Sedis Apost. et S. Rit. Congr. Typogr.



PROPRIUM SANCTORUM
PRO REGNO NEAPOLITANO.

PARS HIEMALIS.

Die 28. Novembris.

S. Jacobi de Marchia Confess. Patroni Neap.

Duplex majus.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui ad animárum salútem, et peccatóres e vitiórum cœno ad viam virtútis revocándos, beátum Jacóbum Confessórem tuum Evangélii præcónem exímium effecísti: concéde propítius; ut ejus intercessióne a peccátis ómnibus expiáti, vitam consequámur ætérnam. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lect. **Justus si morte.** de Communi 1. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Jacóbus Monte Prandóno Picéni óppido in diœcési Asculána piis paréntibus natus, ab ipsa pueritia bonárum ártium et litterárum stúdia magna cum pietáte conjúnxit. Adoléscens mundi vanitátem cógitans, Carthusianórum Institúto nomen dare constitúerat. Deo tamen, qui eum ad animárum salútem et fídei propagatiónem destináverat, ducénte, Minórum famíliam ingréssus est. In ipso tyrocínio, quod in cœnóbio Cárcerum apud Assísium pósuit, obediéntia, paupertáte, ceterísque virtútibus ita excélluit, ut religiósæ perfectiónis exémplar absolutíssimum ab ómnibus haberétur. Virginitátem perpétuo illibátam servávit, trium horárum somno conténtus, réliquam noctem divínis in laúdibus, cruéntis flagellatiónibus, rerúmque cœléstium contemplatióne transigébat. Loricam férream supra nudas carnes annis gestávit prope vigínti, quam póstea jussu sacerdótis, qui ejus con-

fessiónes excipiébat, cilício aspérrimo commutávit. Semel in die pane et aqua vescebátur, ádditis raro crudis fabis, herbísque silvéstribus obsónii loco. Quam duríssimam vivéndi ratiónem ténuit, donec ætáte provéctum, et ob assíduos labóres mala afféctum valetúdine, ut mítius aliquándo secum ágeret, sancti Bernardíni Senénsis auctóritas ímpulit.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Sacérdos factus, et ad munus concionándi deléctus, vivo et efficáci sermóne flagítia hóminum constánter et líbere increpábat: nec viros nóbiles ac poténtes reprehéndere est véritus, si quos criminibus irretítos offendísset: tantúsque fiébat ad eum audiéndum concúrsus, ut cum frequéntiam cápere vel magna templa non possent, in platéis atque áreis suggésta érigi passim oportéret. Hinc imperatóres, reges, et præsules amplíssimi certátim apud se eum concionántem habére voluérunt. Mediolání de Magdalénæ lácrimis dicens, sex et trigínta impudícas mulíeres a turpi quæstu avocávit, quibus étiam pecúnia corrogáta ad pie vivéndum domicílium exstrúxit. Tum Sfórtia duce, ac cívibus veheménter instántibus, ut archiepiscopále munus suscíperet, eam dignitátem constantíssime recusávit. Bis centéna infidélium míllia baptísmi lavácro tinxísse, et in Hungária brevi témpore quinquagínta hæreticórum míllia ad Ecclésiæ sinum reduxísse fertur. In Itália nequíssimam Fraticellórum sectam íterum ac tértio reviviscéntem, pénitus exstínxit. Ferrariénsi Concílio, quod póstea Floréntiam translátum fuit, intérfuit. Sigismúndum, et Albértum imperatóres in máximis regni difficultátibus, præsértim vero in expeditióne in Turcas promovénda, et hæréticis debellándis, consílio et ópera adjúvit. Sancto Joánni a Capistráno sacri sociális belli advérsus Turcas, pontifíciæ legatiónis consiliário in Hungária defúncto, suffectus fuit.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

Martíni quinti, Eugénii quarti, Nicolái quinti, Callísti tértii, Pii secúndi, Pauli item secúndi, et Sixti quarti contra hæréticos Fraticéllos, Manichǽos redivívos, Paterénos, Hussítas, Taborítas legatiónibus functus est. Quibus in expeditiónibus Itáliam univérsam non semel percúrrit: Illýricum tértio, Pannóniam, Sarmátiam, Bohémiam finitimásque províncias peragrávit. Tot autem ítinera sine sácculo et pera, Apostolórum more, pédibus confécit, ope divína única fretus; quæ tum máxime pátuit, cum rejéctus a nauta Padum amnem, pállio super aquas instráto, cum sócio pertránsiit. Dénique Neápoli, quo Sixti quarti jussu, instánte Ferdinándo rege, proféctus erat, extrémo morbo corréptus, Ecclésiæ sacraméntis rite suscéptis, anno millésimo quadringentésimo septuagésimo sexto, ætátis octogésimo quinto, quarto Kaléndas Decémbris, spíritum Deo réddidit. Multis post óbitum miráculis cláruit, quibus rite cógnitis Urbánus octávus ejus Offícium et

Missam ab órdine Fratrum Minórum, et a clero Neápolis celebrári permísit, quæ Jacóbum inter álios Patrónos cooptáverat. Corpus ejus in æde sacra sanctæ Maríæ Novæ incorrúptum adhuc et flexíbile pérmanet. Quod cum Vincéntius Cardinális Ursínus, qui post Benedíctus décimus tértius fuit, suis mánibus contrectáret, et Philíppo quinto Hispániæ regi venerándum offérret, odórem suavíssimum exspiráre compértum est. Idem vero Póntifex anno millésimo septingentésimo vigésimo sexto Jacóbum novis miráculis coruscántem in sanctórum númerum rétulit.

℞. Iste homo.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Sint lumbi.** de eodem Comm. 1. loco.

Die 29. Novembris.

S. Emygdii Episc. et Mart.

Duplex majus.

Omnia de Comuni unius Martyris, præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Emýgdium Mártyrem tuum atque Pontíficem, idolórum victória et miraculórum glória decorásti: concéde propítius; ut eo interveniénte malórum spirítuum fraudes víncere et coruscáre virtútibus mereámur. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones A **Miléto.** de eodem Communi.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Emýgdius e nóbili Francórum prosápia Tréviris natus, año ætátis vigésimo tértio, paréntibus idolólatris frustra obstántibus, fidem Christi suscépit, et constantíssime proféssus est. Cum tribus discípulis Euplo, Germáno et Valentíno vitam duxit: humánis spretis oblectaméntis, rebus divínis plénius incumbébat: erga próximum caritátis ardóre æstuábat; idcírco ad procurándam multórum salútem Romam se cóntulit. Hospítio excéptus in ínsula Tíberis, hóspitis fíliam per quinquénnium immedicábili morbo languéntem baptísmo sanávit.

℞. Honéstum fecit.

Lectio v.

Mox óculis cæci coram pópulo signo crucis apértis, a multitúdine eum fílium Apóllinis credénte, in templum Æsculápii rápitur. Ibi Christi servum se proféssus, ejus invocatióne magnum númerum ægrórum, nequídquam idóli opem implorántium, valetúdini restítuit, aras díruit, Æsculápii signum confráctum in Tíberim projécit. Quibus rebus, et mille trecentórum gentílium, præter Æsculápii sacerdótes, conversióne inde secúta, irritáti Posthúmii Titiáni præfécti urbis minas, Angeli mónitu declínans, sanctum Marcéllum Pontíficem ádiit, a quo epíscopus ordinátus, et Asculum missus est.

℞. Desidérium ánimæ.

Lectio vi.

Multis in itínere miráculis ingénti multitúdine Christo adjúncta, simul ac Asculum Emýgdius pervénit, dæmones e simulácris idolórum per cuncta fana ejulátibus éditis, peregrínum dolóris sui causam indicárunt: quem cum concitáta plebs ad cædem quærere, éxcitus tumúltu Polýmius ci-

vitátis præses eum ad se vocátum multis, sed írritis verbis, ad Jovis et Angáriæ deæ Asculi patrónæ veneratiónem hortátur, promíssis étiam in prǽmium núptiis própriæ fíliæ Polýsiæ, quam Emýgdius ad Christum convérsam baptizávit, et post eam mille et sexagínta hómines, edúcta e saxo per ingens miráculum aquárum cópia. His in rábiem actus Polýmius sancto epíscopo caput abscídit; quo facto, truncus ejus mirabíliter eréctus abjéctum humo próprium caput attóllens mánibus per spátium tercentórum pássuum ad oratórium portávit; inde ad templum máximum translátum est, ubi magna religióne Asculáni pópuli, et concúrsu externórum hanc usque in diem cólitur. Incidit ejus beáta mors persecutióne Diocletiáni duránte.

℟. Stola jucunditátis.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Si quis venit ad me.** de Comm. 1. loco.

Die 4. Decembris.

S. Barbaræ Virg. et Martyris.

Semiduplex.

Omnia de Communi Virg. et Mart., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula, étiam in sexu frágili victóriam martýrii contulísti: concéde propítius; ut qui beátæ Bárbaræ Vírginis et Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum nostrum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Bárbara Virgo Nicomediénsis, ob insígnem córporis elegántiam a Dióscoro patre nobilíssimo viro in turrim inclúsa, ab ómnium óculis arcétur: ubi multa secum pie religioséque meditáta, tanto amóre christiánæ religiónis exársit, ut non modo núptias a patre oblátas respúerit, verum étiam se Christum cólere proféssa, nefárium idolórum cultum magna libertáte perstrínxerit.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Dióscorus ita fíliæ verbis excánduit, ut eam prǽsidi Marciáno, quod a propósito non desísteret, excruciándam tradíderit. Is illam primum blandítiis, prǽmiis propósitis et honóribus, ad patérnæ superstitiónis cultum est conátus addúcere. Cum vero a fídei constántia nullis verbórum illécebris dedúci posset, omnis tormentórum acérbitas in eam convértitur. Nervis enim búbulis gravíssime cæsa, in obscuríssimum cárcerem detrúditur: ubi, etsi omni humána ope destitúta, divínitus tamen curáta est.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Quod ubi sensérunt christiánæ fídei hostes, eo furóris atque deméntiæ progréssi sunt, ut in eam et cárceris maceratióne et lámpadum adustióne, et mammillárum præcisióne, suam omnem crudelitátem deprómpserint. Neque tamen his conténtus Dióscorus, patérnæ caritátis oblítus, fi-

liæ sua manu caput amputáre non dubitávit; cujus ánima in cœlum ad dúplicem virginitátis et martýrii palmam evolávit.

℟. **Afferéntur Regi.**

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus.** de Communi Virg.

Die 10. Decembris.

Translationis
Almæ Domus Lauretanæ B. M. V.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 14. Decembris.

S. Agnelli Abbatis.

Duplex majus.

Omnia de Comuni Conf. non Pont., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui nos per beátum Agnéllum, salutíferæ crucis vexíllo, a barbarórum incúrsibus liberásti: te humíliter deprecámur; ut ejúsdem præsídio ab ómnibus invisibílium hóstium insídiis eruámur. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lect. **Justus si morte.** de eodem Communi 1. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Agnéllum Neapolitánæ urbis tutelárem paréntes diu stériles a cœlitum Regína impetrárunt; a qua étiam in futúræ mansuetúdinis præságium, hoc nómine púerum appellándum didicérunt. Editus in lucem, atque a matre ad Ecclésiam allátus, post vicésimum a partu diem, angélica salutatióne beátam Vírginem clara voce salutávit. Décimum quintum añum agens, relícta patérna domo, ad spelúncam urbi próximam se cóntulit, ut Deo libérius famularétur: mórtuis deínde paréntibus, xenodochíum hæreditário património constrúxit: et ut erat caritáte ferventíssimus, se, súaque ómnia ægrotórum ministério addíxit. ℟. **Honéstum fecit.**

Lectio v.

Cum autem ejus sanctitátis fama prodígiis illustráta lóngius diffunderétur, ac plúrimi ad eum in dies conflúerent, nóminis sui celebritátem exósus, aspérrimos in montes secéssit, verus divíni Agni sectátor; ubi solis herbis et aqua conténtus aliquámdiu vixit. Sed cœlésti mónitu ad prístinum rédiit xenodochíum: et in cœnóbio a sancto Gaudióso epíscopo Bithyniénsi haud procul exstrúcto, monásticam vitam duxit; cui étiam per áliquot annos sanctíssime prǽfuit. Demum fama miraculórum vitǽque innocéntia illústris, postquam ad aras sacris esset operátus, obdormívit in Dómino, décimo nono Kaléndas Januárii, ætátis anno sexagésimo primo, Maurítio imperánte.

℟. **Amávit eum.**

Lectio vi.

Sacrum corpus Fortunátus tunc témporis Neapolitánus antístes, accersítis finítimis epíscopis, in æde beatíssimæ Vírginis, sancti Agnélli nómine póstea insigníta, summo cum honóre, maximáque pópuli frequéntia sepeliéndum curávit. Porro ob innúmera in suam urbem colláta benefícia, illud præcípue quod sæpe fúerit cum crucis vexíllo visus civitátem obséssam

ab hóstibus liberáre, supérque eam manum protÉndere, Neapolitáni cives quotánnis, die illi sacro, ejus ecclésiam solémni ac pública supplicatióne ádeunt: et Agnéllum suum, ut vere pátriæ paréntem ac tutelárem, singulári celebratióne venerántur. ℟. Iste homo.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Ecce nos relíquimus.** de Comm. Abb. 1. loco.

Die 16. Decembris.

In Solemnitate

Patrocinii S. Januarii Episc. et Martyris.

Duplex majus.

In I. Vesperis.

Antiph. et Capit. de Laud. 9* Ps. ut in I. Vesp. de Comm. Apost.

Hymnus. **Deus tuórum mílitum.** de Communi unius Mart.

℣. **Ne cesses pro nobis clamáre ad Dóminum.** ℟. **Ut salvet nos de manu inimicórum.**

Ad Magnif. Ant. **Beátus Januárius, Præsul et Martyr ínclytus, exstínxit ímpetum ignis, obturávit ora ferárum, et in occisióne gládii pro Christo mórtuus, legítimi certáminis corónam accépit.**

Oratio ut ad Laudes. 10*

Ad Matutinum.

Invitat. **Regem Mártyrum Dñm, * Veníte, adorémus.**

Ps. **Veníte, exsultémus.**

Hymnus.

Præsulis clerus, populúsque nomen
Mártyris laudet, celebrésque palmas;
Et suo lætis módulis Patróno
Cóncinat hymnos.

Béstias, ignes, gládios minátur,
Ac necem judex furibúndus ira:
Addit athlétæ válidas supérna
Grátia vires.

Horret idólis adolére thura:
Déntibus, clamat, mínuar ferárum,
Igne consúmar, fériar secúri
Víctima Christi.

Hinc vomit flammas metuénda fornax;
Rúgiunt illinc truculénta bruta;
Jussa lictóres fáciunt, eúmque
Pérdere certant.

Angelus cœlo vólitans ab alto
Imperat flammis crepitánte in æstu;
Quæ recedéntes venerántur almi
Præsulis artus.

Inde procúmbunt, feritáte missa,
Ad pedes ejus plácidi leónes:
Strénuo optátam púgili corónam
Détulit ensis.

Sint tibi plausus, decus atque virtus,
Cuncta qui nutu regis, et beátum
Mártyrem claro décoras triúmpho
Omne per ævum. Amen.

In I. Nocturno.

Ant. **Sacérdos magnus, qui in ascénsu altáris sancti glóriam dedit sanctitátis amíctum.**

Psalmi trium Nocturnorum de Communi unius Mart.

Ant. **Curávit gentem suam, et adéptus est glóriam in conversatióne gentis.**

Ant. **Beáti qui te vidérunt, et in amicítia tua decoráti sunt.**

℣. **Ne cesses pro nobis clamáre ad Dóminum.** ℟. **Ut salvet nos de manu inimicórum.**

In I. Nocturno Lectiones A' **Miléto.** de Communi.

℟. i. Beátus Januárius in conspéctu prǽsidis bonum certámen fídei certans, * Conféssus est bonam confessiónem coram multis téstibus. ℣. Nolíte præcogitáre quid loquámini; sed quod datum fúerit vobis in illa hora, id loquímini: non enim vos estis loquéntes, sed Spíritus sanctus. Conféssus.

℟. ii. Hæc dicit Dóminus: * Quum ambuláveris in igne, non comburéris, et flamma non ardébit in te. ℣. Magistrátus et júdices, et poténtes regis contemplabántur virum illum, quóniam nihil potestátis habuísset ignis in córpore ejus, et capíllus cápitis ejus non esset adústus. Quum.

℟. iii. Mártyrem tuum, Dómine, suspendérunt in equúleo: * Et fecérunt in eo quæcúmque voluérunt. ℣. Tyránnus, et qui cum ipso erant mirabántur Mártyris ánimum, quod tamquam níhilum dúceret cruciátus. Et. Glória. Et.

In II. Nocturno.

Ant. **Fortitúdo mea, et laus mea Dñs, et factus est mihi in salútem.**

Ant. **Persecutiónem pátimur, sed non derelínquimur: dejícimur, sed non perímus.**

Ant. **Zelo zelátus sum pro Dómino Deo exercítuum, et quærunt ánimam meam, ut aúferant eam.**

℣. Hic est qui multum orat pro pópulo. ℟. Et univérsa sancta civitáte.

Lectio iv.

Januárius, Benevénti epíscopus, Diocletiáno et Maximiáno in christiános sæviéntibus, ad Timótheum Campániæ prǽsidem ob christiánæ fídei professiónem Nolam perdúcitur. Ibi ejus constántia várie tentáta, in ardéntem fornácem conjéctus, ita illǽsus evásit, ut ne vestiméntum aut capíllum quidem flamma violáverit. Hinc præses accénsus iracúndia, Mártyris corpus ímperat usque eo dístrahi quoad nervórum compáges artuúmque solvántur. Festus intérea ejus diáconus, et Desidérius lector comprehénsi vinctíque, una cum epíscopo ante rhedam prǽsidis Putéolos pertrahúntur; et in eúmdem cárcerem, in quo Sósius, Misénas, et Próculus Puteolánus diáconus, Eutýches, et Acútius láici ad béstias damnáti detinebántur, simul conjiciúntur.

℟. Manus Dómini facta est super servum suum, accinctísque lumbis currébat ante rhedam prǽsidis: * Donec veníret ad locum martýrii. ℣. Neque iníquitas mea, neque peccátum meum, Dómine: sine iniquitáte cucúrri et diréxi. Donec.

Lectio v.

Póstero die omnes in amphitheátro feris objécti sunt, quæ naturális oblítæ feritátis, ad Januárii pedes se prostravére. Id Timótheus mágicis cantiónibus tríbuens, cum senténtiam cápitis in Christi Mártyres pronuntiásset, óculis repénte captus oránte mox beáto Januário, lumen recépit: quo miráculo hóminum míllia fere quinque Christi fidem suscepérunt. Verum ingrátus judex níhilo placátior factus benefício, sed conversióne tantæ multitúdinis actus in rábiem, véritus máxime príncipum

decréta, sanctum epíscopum cum sóciis gládio pércuti jussit.

℟. In sua simplicitáte * Liberátus est de ore leónum. ℣. Páveant omnes habitatóres in univérsa terra Deum: ipse est Salvátor fáciens signa et mirabília, qui liberávit servum suum de lacu leónum. Liberátus.

Lectio vi.

Horum córpora finítimæ urbes, pro suo quæque stúdio certum sibi Patrónum ex iis apud Deum adoptándi, sepeliénda curárunt. Januárii corpus Neapolitáni divíno admónitu extulére: quod primo Beneventum, inde ad monastérium Montis Vírginis, postrémo Neápolim translátum, et in majóri ecclésia cónditum, multis miráculis cláruit. Sed illud in primis memorándum, quod erumpéntes olim e monte Vesúvio flammárum globos, nec vicínis modo, sed longínquis étiam regiónibus vastitátis metum afferéntes, exstínxit. Præclárum illud quoque, quod ejus sanguis, qui in ampúlla vítrea concrétus asservátur, cum in conspéctu cápitis ejúsdem Mártyris pónitur, admirándum in modum colliquefíeri et ebullíre, perínde atque recens effúsus, ad hæc usque témpora cérnitur.

℟. O Timóthee Januário grátias age: * Nam propter eum tibi Dóminus lumen donávit. ℣. Ecce manus Dómini super te, et eris cæcus, et non videns solem usque ad tempus. Nam. Glória. Nam.

In III. Nocturno.

Ant. Dabo prodígia in cœlo sursum, et signa in terra deórsum, sánguinem et ignem, et vapórem fumi.

Ant. Januárius Christi martyr per fidem defúnctus, mórtuum prophetávit corpus ejus: in vita sua fecit monstra, et in morte mirabília operátus est.

Ant. Quum ignis egréssus esset, et plaga desǽvíret, beátus Januárius pro pópulo deprecátus est, et plaga cessávit.

℣. Speráte in eo omnis congregátio pópuli. ℟. Effúndite coram illo corda vestra.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 10. b.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homilia 54. in Matth. post init.

Cum Dóminus omnem sollicitúdinem a discipulórum córdibus ejécerit, et ostensióne signórum armáverit, atque ab ómnibus negótiis sæculáribus alienátos, et ab omni temporálium rerum cura liberátos, férreos quodámmodo, atque adamántinos fécerit; tum dénique eventúra illis advérsa prædícit. Multa enim ex hac prædictióne futurárum rerum cómmoda consequebántur. Primum, ut ejus præsciéntiæ vim edíscerent. Deínde ut nemo suspicarétur ex magístri infirmitáte tam grávia mala descéndere. Prætérea, ne, qui ea passúri erant, súbito ac inopináto rerum evéntu perturbaréntur. Dénique, ne, cum ista sub

ipsum passiónis suæ tempus audírent, nímium commoveréntur.

℟. Exaúdi me, Dómine, exaúdi me, ut discat pópulus iste, quia tu es Dóminus Deus: * Et tu convertísti cor eórum. ℣. Multi autem credidérunt, et factus est númerus virórum quinque míllia. Et.

Lectio viii.

Jam vero, ut intélligant novum hoc esse belli genus, et insólitum præliándi morem cum illos nudos mítteret, una indútos túnica, sine cálceis, absque virga, et absque zona et pera, et ab excipiéntibus ali jubéret, non fecit hic dicéndi finem, sed inexplicábilem virtútem suam próferens: étiam sic eúntes, inquit, mansuetúdinem tamen óvium osténdite, quamvis ad lupos itúri, nec simplíciter ad lupos, sed étiam in médio lupórum (neque vero óvium tantum mansuetúdinem habére jubet, sed étiam colúmbæ simplicitátem); sic enim virtútem meam máxime osténdam, cum ab óvibus lupi superabúntur: et quamvis illæ sint in médio lupórum, et innúmeris mórsibus laceréntur, non modo non consúmptæ fúerint, verum étiam illos in sui natúram transmutáverint.

℟. Vidi ánimas decollatórum propter testimónium Jesu, et verbum Dei: * Qui non adoravérunt béstiam, neque imáginem ejus. ℣. Æstimáti sumus sicut oves occisiónis; sed in his ómnibus superámus propter eum, qui diléxit nos. Qui. Glória Patri. Qui.

Lectio ix.

Majus certe, atque admirabílius est mentem adversariórum commutáre, et ánimum in divérsum transférre, quam illos occídere: præsértim cum duódecim tantum essent et lupis plenus esset orbis univérsus. Erubescámus ígitur, qui longe divérsa faciéntes, tamquam lupi in adversários rúimus. Nam quámdiu oves fuérimus, víncimus, étiam si mille circúmstent lupi, superámus, et victóres sumus: quod si lupi fuérimus: víncimur. Tunc enim a nobis pastóris auxílium recédit, qui non lupos, sed oves pascit.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

et per Horas.

Ant. 1. Suscitábo mihi * sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum, et ánimam meam fáciet.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Esto fidélis * usque ad mortem, et dabo tibi corónam vitæ.

3. Nihil horum tímeas, * quæ passúrus es: ecce missúrus est diábolus áliquos ex vobis in cárcerem, ut tentémini.

4. Nihil horum véreor, * nec fácio ánimam meam pretiosiórem quam me; dúmmodo consúmmem cursum meum, et ministérium verbi.

5. In omni ópere * dedit confessiónem sancto et excélso in verbo glóriæ.

Capitulum. Hebr. 11.

Fratres: Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes: obturavérunt ora leónum, exstinxérunt ímpetum ignis, effugérunt áciem gládii, convaluérunt de infirmitáte, fortes facti sunt in bello, castra vertérunt exterórum.

Hymnus.

Mira, quæ patras, tua, Januári,
Cívitas gaudens récolit: stupéntes
Advenæ cernunt: resonántque totum
Nota per orbem.

Namque concrétus diutúrno ab ævo
Sanguis ampúlla vítrea liquéscens
Bullit: ac rebus pópulo est sinístris
Dulce levámen.

Tu parens adsis; patriǽque custos
Se, fac, insígnem pietáte avíta
Prǽbeat semper, fideíque vera
Dógmata servet.

Tu probos mores dócili juvéntæ,
Tu senectúti plácidam quiétem,
Alma tu regno bona pacis omnes
Impetra in annos.

Pelle tu pestem, furiásque belli,
Tu famem terræ subitósque motus,
Atque Vesévi fera damna nostris
Mœ́nibus arce.

Laus sit excélsæ Tríadi perénnis,
Quæ tibi sertum tríbuens corúscum,
Te viam nobis fámulis precánte
Pandat ad astra. Amen.

℣. Prótegam civitátem istam. ℟. Ut salvem eam.

Ad Bened. Ant. Igne me, Dómine, examinásti, et non est invénta in me iníquitas: propter hoc lætátum est cor meum, et exsultávit lingua mea.

Oratio.

Deus, qui per beáti Januárii, Mártyris tui atque Pontíficis, confessiónem et sánguinem, admirábili testimónio ac triúmpho Ecclésiæ tuæ fidem illustráre dignátus es: quǽsumus; ut ejúsdem nos fídei consórtio et patrocínio munítos, triúmphi étiam et glóriæ partícipes effícias. Per Dóminum.

Ad Tertiam.

Ant. Esto fidélis.

Capit. Fratres: Sancti. 9*

℟. br. Ne cesses pro nobis * Clamáre ad Dóminum. Ne cesses. ℣. Ut salvet nos de manu inimicórum. Clamáre. Glória Patri. Ne cesses.

℣. Hic est qui multum orat pro pópulo. ℟. Et univérsa sancta civitáte.

Ad Sextam.

Ant. Nihil horum tímeas.

Capitulum. Hebr. 11.

Alii vero ludíbria et vérbera expérti, ínsuper et víncula et cárceres: lapidáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt.

℟. br. Hic est qui multum * Orat pro pópulo. Hic est. ℣. Et pro univérsa sancta civitáte. Orat. Glória Patri. Hic est.

℣. Speráte in eo omnis congregátio pópuli. ℟. Effúndite coram illo corda vestra.

Ad Nonam.

Ant. In omni ópere.

Capitulum. Hebr. 11.

Et hi omnes testimónio fídei probáti invénti sunt in Christo Jesu Dómino nostro.

℟. br. Speráte in eo, * Omnis congregátio pópuli. Speráte. ℣. Effúndite coram illo corda vestra. Omnis. Glória Patri. Speráte.

℣. **Prótegam civitátem istam.** ℟. **Ut salvem eam.**

In II. Vesperis.

Omnia ut in I. Vesp., et loco ultimi Psalm. Crédidi.

Ad Magnif. Ant. **Liberásti me, Dómine, a rugiéntibus præparátis ad escam, et a pressúra flammæ, quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuátus.**

Die 18. Decembris.

Exspectationis Partus B. M. V.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 14. Januarii.

S. Potiti Martyris.

Duplex. 2. classis cum Octava.

(Pro Civitate tantum.)

(In Diœc. Neapol. Duplex.)

In I. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud. 15* Ps. ut in I. Vesp. de Comm. Apost.

Hymnus.

Invícta virtus Mártyrum,
Et alme custos Vírginum
Jesu, Potíti laúdibus
Adsis Olýmpi e vértice.

Infírma mundi déligens,
Ut conterántur fórtia,
Illum viríli péctore
Adhuc replésti párvulum.

Hinc ipse victor nóbilis
Domum, paréntes, ómnia
Vultu seréno déspicit,
Tibíque adhæret árctius.

Honor, decúsque débitum
Sit Trinitáti júgiter,
Quæ per Potítum cœlica
Nobis repéndat múnera.
Amen.

℣. **Glória et honóre coronásti eum, Dómine.** ℟. **Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.**

Ad Magnif. Ant. **Respéxit Dóminus húmilem servum suum Potítum, et pósuit diadéma regni in cápite ejus, atque ex hoc beátum illum dicent omnes generatiónes.**

Oratio ut ad Laudes. 16*

Ad Matutinum.

Invit. **Regem Mártyrum Dñm, * Veníte, adorémus.**

Ps. **Veníte, exsultémus.**

Hymnus.

Jam de patérno cárcere
Sævi ad tribúnal júdicis,
Púero Potíto prótinus
Certámen instat ácrius.

Blandis tyránnus vócibus
Frustra lacéssit, póstmodum
Minis perúrget, ófferat
Thus, aut datúrus sánguinem.

Princeps suórum mílitum
Se Christus offert laúream,
Intérque cœtus Mártyrum
Sedem merénti déstinat.

Honor, decúsque débitum
Sit Trinitáti júgiter,
Quæ per Potítum cœlica
Nobis repéndat múnera.
Amen.

In I. Nocturno.

Ant. **Beátus Potítus non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórum non stetit, sed in lege Dei fuit volúntas ejus die, ac nocte.**

Psalmi trium Nocturnorum de Communi unius Mart.

Ant. **Insurrexérunt ímpii advérsus Dóminum, et advérsus Sanctum suum: qui hábitat in cœlis irrísit eos.**

Ant. Factus est Dñs servo suo turris fortitúdinis a fácie inimíci.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. Cap. 51.

Confitébor tibi Dómine Rex, et collaudábo te Deum Salvatórem meum. Confitébor nómini tuo, quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne, a láqueo linguæ iníquæ, et a lábiis operántium mendácium, et in conspéctu astántium factus es mihi adjútor. Et liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui a rugiéntibus præparátis ad escam: de mánibus quæréntium ánimam meam, et de portis tribulatiónum, quæ circumdedérunt me: a pressúra flammæ, quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuátus: de altitúdine ventris ínferi, et a lingua coinquináta, et a verbo mendácii, a rege iníquo, et a lingua injústa.

℟. Vérbera carníficum non tímuit sanctus puer tuus, móriens pro Christi nómine: * Ut hæres fíeret in domo Dómini. ℣. Trádidit corpus suum propter Deum ad supplícia. Ut.

Lectio ii.

Laudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum, et vita mea appropínquans erat in inférno deórsum. Circumdedérunt me úndique, et non erat qui adjuváret. Respíciens eram ad adjutórium hóminum, et non erat. Memorátus sum misericórdiæ tuæ, Dómine, et operatiónis tuæ, quæ a sǽculo sunt: quóniam éruis sustinéntes te, Dómine, et líberas eos de mánibus géntium.

℟. Invíctus Dei athléta agónem suum Dómino précibus commendábat: * Et mori pro Christo semper optávit, et votis ómnibus expetívit. ℣. Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque creatúra ália póterit me separáre a caritáte Dei. Et.

Lectio iii.

Exaltásti super terram habitatiónem meam, et pro morte defluénte deprecátus sum. Invocávi Dóminum Patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ, et in témpore superbórum sine adjutório. Laudábo nomen tuum assídue, et collaudábo illud in confessióne et exaudíta est orátio mea. Et liberásti me de perditióne, et eripuísti me de témpore iníquo. Proptérea confitébor, et laudem dicam tibi, et benedícam nómini Dómini.

℟. Puer meus noli timére, quia ego tecum sum, dicit Dóminus: * Liberábo te de manu pessimórum, et éruam te de manu fórtium. ℣. Beátus Potítus orábat dicens: Dómine Jesu Christe, miserére mihi servo tuo. Liberábo. Glória Patri. Liberábo.

In II. Nocturno.

Ant. Invocávit Dóminum in médio tormentórum, et in tribulatióne dilatávit cor ejus Deus et mirificávit eum.

Ant. Exaudísti, Dómine, servum tuum, et ánima illíus introívit sine mácula in domum tuam.

Ant. Ex ore púeri tui perfecísti laudem tibi, Dómine, et destruxísti inimícum, et ultórem.

℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Lectio iv.

Potítus Cálari, antiquíssima Sardíniæ urbe, natus, ab unguículis, ínscio patre, christiána fide imbútus, ab eo póstmodum, ut eam deséreret, tentátur, proptéreaque in custódiam tráditur; sed tantum ábfuit, ut minis blanditiísque quidquam pater profécerit, ut fílii sanctíssimi mónitis, atque exémplis, et ipse christiánam fidem ampléxus sit. Vínculis ergo solútus divíno consílio pátriam deséruit, et in montem Epírum secéssit. Ibi divíni verbi prædicatióne, vitæ sanctimónia, ac sanctíssimis mónitis prælúxit, et dæmonum insídias quibus crudelíssime divexátus est, superávit. In Valeriána urbe Agathónis senatóris cónjugem elephantíasi laborántem curávit; quaprópter senátor ipse cum tota família, multísque cívibus Christo adhæsérunt. Romæ quoque Agnétem Antoníni imperatóris fíliam, crudelíssimo a dæmone diris cruciátibus exagitátam, liberásse tráditur. Sed duri cordis, et pérvicax imperátor diis volens fíliæ salútem reférre, ac Potítum eórum sectatórem fíeri, eum totis víribus in hanc senténtiam pertráhere conátus est. Quare ad idóla perdúcto Potíto, ejus précibus, atque virtúte ficta númina corruérunt. Irátus inde imperátor, atque ægre id ferens, eum exquisítis jubet torméntis torquéri.

℟. In torméntis te Deum non negávit: * Et ad mortem perdúctus, te Dóminum Jesum Christum conféssus est. ℣. Probásti, Dñe, cor ejus, et visitásti nocte. Et.

Lectio v.

In custódiam ergo arctíssimam primum tráditur; dire póstmodum equúleo cruciátur facésque ardéntes ejus latéribus admovéntur. Hanc príncipis immanitátem cum sanctus Martyr exprobráret, únguibus mánuum, pedúmque ei crudéliter detráctis, feris objéctus est: sed ab his natívæ feritátis oblítis nil læsus, in fervéntis ólei ollam injícitur: liquáto plumbo perfúnditur, ac clavo igníto transfígitur, quo, cum divínitus sanctus Martyr liberarétur, extrácto, íllico princeps máximo cápitis dolóre afféctus est, et Potítum rogávit, ut sibi opem ferret: Agnétis tamen eníxis précibus príncipem sanctus Martyr curávit, quam ille rem mágicis ártibus réferens, cum impietátis a Potíto arguerétur, ut lingua ei amputarétur præcépit: qua étiam abscíssa ubérius cóncinens, imperatórem ut lacésseret, fíeri ullis torméntis non posse, ut Romæ vitam amítteret, prænúntiat.

℟. In Dómini Jesu confessióne fundátus, inter tormentórum supplícia stetit impertérritus: * Ac demum triumphháli morte cœlos petívit sánguine laureátus. ℣. Felíci commércio pro terrénis cœléstia, pro peritúris ætérna commutávit. Ac.

Lectio vi.

Quare Antonínus permótus, et pópuli conversiónem subvéritus, satellítibus, ut illum necá-

rent, quo vellent, commísit. Itaque Roma edúctus apud Asculum Apúliæ Idibus Januárii secúndo Christi sǽculo cápite pléctitur. Ejus corpus a christiánis sepúltum, tractu témporis Tricárici ineúnte sǽculo décimo sexto in æde sanctíssimæ Trinitátis repértum est. Neápoli ad ejus nomen templum dedicátum exstat, in quo a sanctimoniálibus órdinis sancti Benedícti memória tanti Mártyris die décima quarta Januárii jamdúdum recolebátur: inde piis earúmdem sanctimoniálium précibus permótus Clemens Papa duodécimus præsens Officium eádem die, qua celebráre consuéverant, illis benígne indúlsit. Demum idem Clemens duodécimus Póntifex máximus ab univérso clero sæculári, et reguléri Neapolitánæ civitátis eádem die celebrári mandávit.

℟. Qui vícerit, vestiétur vestiméntis albis, et non delébo nomen ejus de libro vitæ: * Et confitébor nomen ejus coram Patre meo, et coram Angelis ejus. ℣. Beátus Potítus, dum torquerétur, in torméntis conféssus est nomen Dómini Jesu Christi. Et confitébor. Glória Patri. Et confitébor.

In III. Nocturno.

Ant. Dum torquerétur in torméntis, óculi Dómini super servum suum.

Ant. Potítus Christi Martyr locútus est veritátem in corde suo, et non egit dolum in lingua sua.

Ant. Prævenísti eum, Dómine, in benedictiónibus dulcédinis: et posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam, et magnum decórem impónes super eum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 10. d.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte arbitrári, quia pacem vénerim míttere in terram: non veni pacem míttere, sed gládium. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi.

In Can. 10.

Quæ ista divísio est? Inter prima enim legis præcépta accépimus: Honóra patrem tuum, et matrem tuam: et ipse Dóminus ait: Pacem meam do vobis; pacem meam relínquo vobis. Quid sibi vult missus pótius gládius in terram, et separátus a patre fílius, et fília a matre, et nurus advérsus socrum, et hóminis doméstici ejus inimíci? Igitur exínde pública auctóritas impietáti proferétur. Ubíque ódia, ubíque bella, et gládius Dómini inter patrem et fílium, et inter fíliam, matrémque desǽviens. Gládius telórum ómnium telum acutíssimum est, in quo sit jus potestátis, et judícii sevéritas, et animadvérsio peccatórum. Et hujus quidem teli nómine novi Evangélii prædicatiónem appellátam frequens in Prophétis auctóritas est.

℟. Coróna aúrea super caput ejus: * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Esto fidélis usque ad mortem, et dábitur tibi coróna vitæ. Expréssa.

Lectio viii.

Dei ígitur verbum nuncupátum meminérimus in gládio, qui gládius missus in terram est, id est, prædicátio ejus hóminum córdibus infúsa. Fitque gravis in domo una dissénsio, et doméstica novo hómini erunt inimíca: quia ille per verbum Dei divísus ab illis, manére et intérior, et extérior, id est, et corpus et ánima, in spíritus novitáte gaudébit.

℟. Christi Martyr succénsus igne divíni amóris sustínuit supplícia passiónis: * Et per immanitátem tormentórum pervénit ad societátem Angelórum. ℣. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

Pergit deínde eódem præceptórum, et intelligéntiæ decúrsu. Nam posteáquam relinquénda ómnia, quæ in sæculo caríssima sunt, imperáverat, adjécit: Qui non áccipit crucem suam, et séquitur me, non est me dignus; quia qui Christi sunt, crucifixérunt corpus cum vítiis et concupiscéntiis. Et indígnus est Christo, qui non crucem suam, in qua compátimur, commórimur, consepelímur, conresúrgimus, accípiens, Dóminum sit secútus, in hoc sacraménto fídei spíritus novitáte victúrus.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

et per Horas.

Ant. 1. Potítum servum tuum, * Dómine, firmavérunt manus tuæ, et regnábit in ætérnum.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Tu scis Dómine * agónem meum: recordáre mei, et vísita me, et tuére me ab his, qui persequúntur me.

3. Recordátus sum * tui, dicit Dóminus, míserans adolescéntiam tuam, et certámen forte dedi tibi, ut vínceres.

4. Deus Dóminus * fortitúdo mea, et dedúcet me victor in psalmis canéntem.

5. Consummátus in brevi * explévit témpora multa; plácita enim fuit Deo ánima illíus.

Capitulum. Jac. 1.

Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Hymnus.

Ignéscit ira præsidis,
Pudétque vinci a párvulo:
Olim gigántem Góliath
David puer sic frégerat.

Probáta tandem cóncidit
Rotáta ab ense víctima,
Colúmba qualis ínnocens
Petívit astra spíritus.

Gaudens, Potíte, glóriæ
Victor bravíum súscipe:
Hinc nos, Patróne, sérvulos
Malis tuére ab ómnibus.

Honor, decúsque débitum
Sit Trinitáti júgiter,
Quæ per Potítum cœlica
Nobis repéndat múnera.
Amen.

℣. Justus ut palma florébit.
℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Bened. Ant. In sanctitáte serviámus Dómino, qui púerum,

et Mártyrem suum Potítum elégit ad dirigéndos pedes nostros in viam pacis.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Mártyris tui Potíti ánnua celebritáte lætíficas: concéde propítius; ut de cujus triumpháli agóne lætámur in terris, ad ejus glóriæ consórtium perveníre felíciter mereámur in cœlis. Per Dóminum.

Ad Horas.

Ant. sumuntur ex Laud.; ut supra. Capitulum et ℞℞. br. ut in Communi unius Mart.

In II. Vesperis.

Omnia ut in I. et loco ultimi Ps. Crédidi.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Magnif. Ant. Omnes gentes magnificáte Dóminum: fecit enim Mártyri Potíto magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus.

Die 19. Januarii.

Translationis Reliquiarum **S. Thomæ de Aquino** Conf. et Eccles. Doct. Civit. Neapolitanæ patroni minus princ.

Duplex.

Omnia de Comuni Conf. non Pont., præter sequentia. (m. t. v.)

In utrisque Vesp. Ant. ad Magnif. O Doctor óptime.

Oratio.

Véniat super nos, quæsumus, omnípotens Deus, Spíritus ille sapiéntiæ et intelléctus, quo beátum Thomam Confessórem et Ecclésiæ tuæ Doctórem ad tuéndam et illustrándam Cathólicam fidem replére dignátus es: et concéde; ut cujus hódie Translatiónem cólimus, ejus cœlésti magistério edócti, et exémplis roboráti, pro fide strénue decertántes, cum ipso coronémur in cœlis. Per Dóminum nostrum.

Et fit comem. Ss. Marii et Soc. Mart. ut in Breviario hac die.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Cum beátus Thomas ad regna cœléstia paulo post migratúrus fidelíssimo sodáli suo beáto Regináldo commisísset, sibi in votis esse, ut in urbe Neápoli corpus suum conderétur, ut ibi étiam resurrectiónis grátiam ejus ossa exspectárent, ubi sciéntiæ ac pietátis spíritum ipse a Deo accéperat, Neapolitánis magna spes effúlsit, ut jactúram, quam ex tanti civis morte eis contígerat, exuviárum saltem præséntia et possessióne compensárent. Sed contra áccidit. Thoma enim in Sanctórum cánonem a Joánne vigésimo secúndo adscrípto, sacræ ejus relíquiæ, quæ Fundis in Ecclésia sui Ordinis quiescébant, sedénte beáto Urbáno quinto, eodémque jubénte Tolósam ad Ecclésiam Fratrum Prædicatórum translátæ sunt. Verum Neapolitáni anno millésimo trecentésimo septuagésimo secúndo occasiónem nacti, ad Fratrum Prædicatórum generálem cœtum, qui tunc Tolósæ celebrabátur, misérunt, qui devotíssimæ pátriæ Angélici Doctóris jura tueréntur, si non íntegrum corpus, insígnem

saltem ejúsdem córporis partem possidéndi.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Id bene felicitérque advénit. Illíus namque Ordinis generális Magíster, primorésque fratres, qui áderant, tam justæ causæ suscépto patrocínio, inspectóque beáti Thomæ adhuc vivéntis desidério, íntegrum sacri ejus córporis dextrum bráchium Neapolitánæ Urbi adjudicárunt: venerábile nempe illud instruméntum, quo splendidíssimus hic Cathólicæ Fídei athléta miríficis scriptis, tamquam forti clýpeo, militántem Ecclésiam ad hæreticórum tela felíciter elidénda munívit. Quo pretióso pígnore accépto, eóque máxima ómnium Ordinum lætítia ac religióne, maximáque celebritáte ac pompa ad sancti Domínici majóris illáto, vix dici potest, quantum exínde Neapolitánæ plebis devótio ac fidúcia in sanctum civem incréverit.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

Cóntigit autem anno reparátæ salútis millésimo sexcentésimo, ut ex hiemálibus plúviis plus nímio exundántibus, in agri Neapolitáni et Noláni palústribus et imis locis statívæ aquæ ita áerem inféceriut, ut lethális inde lues longe latéque per civitátes et óppida miserabíliter grassarétur. A qua exitiáli clade cum beatíssimi sui civis Thomæ Aquinátis apud Deum patrocínio urbs nostra incólumis evasísset; Clerus, Senátus, populúsque Neapolitánus Sanctum Thomam, añuénte Cleménte Octávo, in optatíssimum sui Patrónum elegérunt. Exscúlpto proínde confectóque cívium súmptibus argénteo, ut de more, novi Patróni simulácro, in eóque dimídia ejus sacri bráchii parte inclúsa, quam máximo apparátu, et immemorábili cívium et advenárum frequéntia, glorıósi civis in Patrónum ascíti solémnia ad Sancti Domínici majóris perácta fuére décimo quarto Kaléndas Februárii anno millésimo sexcentésimo quinto. Póstero die frequentíssima cujuscúmque cívium supplicatióne solémni ad templum máximum translátum fuit, ibíque per octo consequéntes dies magno hóminum concúrsu ac religióne cultum, ac demum in sacrum Reliquiárum thesaúrum repósitum. Paulus vero Quintus Póntifex Máximus, instánte Cardináli Archiepíscopo Neapolitáno Octávio Acquavíva, hujus Translatiónis memóriam quotánnis die præcedénti, décimo nono Januárii (ne festum celebratíssimi Mártyris Sebastiáni a die gloriósæ suæ confessiónis amoverétur) celebrári mandávit. Postrémo Leo Papa décimus tértius has lectiónes próprias de Translatióne prædícta in Offício, cum oratiónibus ítidem própriis in Missa, univérso Clero Neapolitánæ Diœcéseos recitáre indúlsit.

℟. Iste homo.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Vos estis sal terræ.** de Comm. Doctor. 1. loco.

Die 21. Januarii.

In Octava **S. Potiti** Martyris.

Duplex.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

De Sermóne sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 44. de Ss. circa med.

Lectio iv.

Patiénter permíttunt ægróti, se a médicis secári, uri, et váriis amaritúdinum confectiónibus anxiári, ut temporáli tandem restituántur sanitáti: quanto magis vir beátus longanímiter tolerávit omnem acerbitátem tormentórum temporálium, ut coronarétur in misericórdia et miseratiónibus, et in bonis satiarétur desidérium suum? In torculári ítaque conculcári vóluit, ut tamquam uva matúra in vinum defíceret, et vinum malórum granatórum diléсto suo propináret, quo mentes religiósæ ebriátæ, sciunt utíliter terréna conculcáre, et ad ætérna irretórtis óculis anheláre. ℟. In torméntis. 13*

Lectio v.

Qui ergo in tyrocínio suo mundánas contémpsit divítias: qui corporáles étiam refrenávit illécebras: qui in provéctu milítiæ suæ multas est perpéssus injúrias, in perfectióne sacrifícii, nil sibi resérvans, seípsum óbtulit holocaústum, bibens illum cálicem pretiósum, quem, sedens ad mensam magnam, sacræ lectiónis sibi prius ab invitatóre suo víderat appósitum. Cujus mors quantumcúmque videátur in conspéctu reprobórum despicábilis, in óculis tamen ejus est pretiósa, qui in sanctis suis est mirábilis. ℟. In Dómini Jesu. 13*

Lectio vi.

Ipse enim primo vocávit mílitem suum, ipse justificávit, ipse magnificávit, ipse dedit ei pugnáre, ipse dedit et víncere. Longe est dissímilis hæc milítia mundánæ milítiæ, in qua victóres existimántur, qui, quod male desíderant, assequúntur: qui lætántur, cum male fécerint, et exsúltant in rebus péssimis. In christiáno ergo agóne manifésta est pœna, occúlta victória, secúndum quod ex persóna mártyrum clamat Psalmísta: Da nobis auxílium de tribulatióne, quia vana est salus hóminis: in Deo faciémus virtútem. Tamquam si dícerent: Victória nostra, glória nostra intus est, non foris est: foris despécti; intus diléсti.

℟. Qui vícerit. 14*

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 10.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte arbitrári, quia pacem vénerim míttere in terram: non veni pacem míttere, sed gládium. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

Ex lib. 7. in Lucam.

Cum in ómnibus fere Evangélii locis spirituális intelléctus operétur; tamen in præsénti máxime: et ne quem durítia nudæ expositiónis offéndat, spiritáli altitúdine sensus séries temperánda est: præsértim cum sacrosáncta relígio morálibus disciplínis, et mítibus pietátis exémplis, étiam fídei éxsules ad reveréntiam tamen sui cleménter invítet: ut prævia fídei disciplína, mansuetúdine sui superstitiónum dura dissólvat, et obnó-

xias erróribus mentes cogat étiam fide crédere, quas pótuit pietáte mulcére. Etenim cum fídei alta pectóribus non capiúntur infírmis; per ea, quæ præcépta sunt, ea, quæ veneránda sunt æstimántur: ut justa de justo, sancta de sancto, bonórum suórum bonum testéntur auctórem.

℞. Coróna aúrea. 14*

Lectio viii.

Ergo Dóminum illum, qui simul divinitátis reveréntiam, et pietátis grátiam sua lege compléxus est, dicens: Díliges Dóminum Deum tuum, díliges próximum tuum; ita nunc mutátum esse opinábimur; ut abolére necessitúdinum nómina, collídere pietátis afféctus; carissimórum pígnorum dissídia mandásse, credámus? Et quómodo ipse est pax nostra, qui fecit útraque unum, quómodo ipse dicit: Pacem meam do vobis, pacem meam relínquo vobis, si paréntes a fíliis, fílios a paréntibus dissídio necessitúdinis separatúrus advénit? Quómodo maledíctus, qui non honórat patrem; religiósus, qui déserit? ℞. Christi Martyr. 15*

Lectio ix.

Sed si advertámus, quia prima causa religiónis, secúnda pietátis est; enodándam étiam hanc æstimábimus quæstiónem. Opórtet enim, ut divínis humána posthábeas. Nam si offícium paréntibus exhibéndum est, quanto magis auctóri paréntum, cui grátiam étiam pro paréntibus tuis debes? Aut, si illi omníno non recognóscunt paréntem; quemádmodum tu recognóscas? Non ígitur dicit, renuntiándum esse pignóribus, sed Deum ómnibus præferéndum. Non dilígere paréntes; sed Deo præférre, prohibéris: étenim natúræ pígnora Dómini benefícia sunt.

Te Deum laudámus.

Die 23. Januarii.

Desponsationis B. Mariæ V. cum S. Joseph.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis eadem die.

Et fit commem. S. Joseph, ut ibid.

Eadem die.

S. Ildefonsi Archiepisc. Toletani, Confessoris.

Semiduplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis, præter Orationem sequ.

Oratio.

Exaúdi, quæsumus Dómine, preces nostras, quas in beáti Ildefónsi, Confessóris tui atque Pontíficis, solemnitáte deférimus: et qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dñm.

Die 28. Januarii.

S. Severini Abbatis.

Duplex.

Omnia de Communi Abbat., præter ea quæ sequuntur.

Oratio.

Deus, qui beátum Severínum Abbátem verbi tui prædicatióne, virtútibus atque signis mirábilem effecísti; concéde nobis supplícibus tuis, ut ejus intercessióne ab ómnibus hujus vitæ liberémur advérsis et ætérna præmia consequámur. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Post óbitum Attilæ Hunnórum Regis anno salútis quadringentésimo quinquagésimo quarto, dum útraque Pannónia váriis turbarétur calamitátibus, fámulus Dei Severínus, cujus sermo testabátur hóminem latínum, ex Oriéntis solitudínibus, ad quas perfectióris vitæ fervóre declináverat, Deo sic disponénte, advénit Astúrium, ibíque ómnibus ignótus, numquam enim pátriam et genus suum ad jactántiam vitándam manifestáre vóluit, apostólicam vitam agens statim cœpit evangélica prædicatióne et signis saréscere, quibus ádeo Noricénsibus prófuit, ut merúerit commúni Ecclésiæ consénsu Noricórum Apóstolus appellári. ℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Ibídem monastério exstrúcto plúrimos mónachos sancto cœpit informáre institúto; humilitátis, abstinéntiæ ac paupertátis rara præbens exémpla: cilício item semper utebátur, calceamentórum usum nescívit, ac in frígidis illis regiónibus nudis pédibus incédere solébat: oratióni, quam pábulum ánimæ appellábat, nocte ac die assídue incúmbens, aliéna erráta quasi própria deflébat. Prophetíæ dono illustrátus, vária cujuscúmque géneris homínibus, qui ad eum, ut ad cœléste oráculum confluébant, pro eórum ætérna salúte prædicébat. Omnium virtútum génere insígnis, Episcopátus honórem sibi delátum mira demissióne recusávit. Imminénte suæ mortis die, quam ante biénnium, Deo reveránte, didícerat, mónachos suos ad caritátem, humilitátem et paupertátem adhórtans, eósque ósculis excípiens, Communiónis Sacraméntum magna devotióne sumpsit; deínde suum corpus ad modum crucis exténsis bráchiis cóllocans, Psalmum „Laudáte Dóminum in Sanctis ejus“ recitáre cœpit, et cum ad ea verba „Omnis spíritus laudet Dóminum“ pervenísset, sanctam ánimam Deo réddidit sexto Idus Januárii anno salútis quadringentésimo octuagésimo secúndo.
℟. Amávit eum.

Lectio vi.

Ejus corpus, quod mónachi lígneo locéllo condíderant, post sex annos íntegrum et suávem spirans odórem repértum, in Itáliam primo ad Castrum nómine Montem Felétum, deínde Gelásii Primi Summi Pontíficis auctoritáte ad óppidum Lucullánum fuit deportátum, monastério ibídem cum ecclésia constrúcto. Romæ quoque Sanctus Gregórius Magnus juxta Domum Merulánam regióne tértia eídem Sancto dedicávit ecclésiam, quam ejus relíquiis ex Luculláno missis ditávit. At cum sǽculo décimo infestántibus Saracénis Campániæ líttora Neapolitánus Dux decrevísset Lucullánum evértere, ne bárbaris esset asýlum, Joánnes abbas monastérii sancti Severíni Ordinis sancti Benedícti hæc aúdiens instánter pétiit sacrum Severíni corpus non álibi quam in suo collocári monastério, ut hoc non solum appellatióne, sed et congruénter ejúsdem córpore decorarétur. Integrum ergo, quem-

ádmodum fertur, repértum, suávem exhálans odórem, solémni pompa atque univérso gestiénte pópulo ad præfátum monastérium translátum, et sub ara máxima ejus ecclésiæ cónditum fuit, numquam deínde ab ea amótum, etiámsi novum áliud augustíssimum templum ab eísdem mónachis circa medietátem sextidécimi sǽculi fúerit excitátum. Leo autem décimus tértius Póntifex Máximus anno millésimo octingentésimo octuagésimo secúndo, decimoquárto post pretiósum beáti Severíni óbitum centenário, ipsíus Offícium ac Missam in univérsa Neapolitána Archidiœcési, instánte Guliélmo Archiepíscopo, celebrári præcépit.

℟. Iste homo.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Ecce nos relíquimus.** ut in Com̃. Abbat. 1. loco.

Die 31. Januarii.

S. Cyri Martyris.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart., præter sequ.

Oratio.

Deus, qui beátum Cyrum ex solitúdine ad próximi salútem edúctum martýrii palma decorásti: da; ut ejus précibus et exémplo cadúcis contémptis, mundi advérsitátes jugi victória superémus. Per Dóminum.

In I. Noct. Lect. de Script. occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Cyrus civis Alexandrínus médicam artem, in qua peritíssimus erat, non terrénæ, sed supérnæ mercédis intúitu mirándum in modum exercébat. Cum médicæ rei perítia modéstæ et innocéntis vitæ exémplum conjúnxit. Ad ægros accédens, ut erat sacras lítteras sanctorúmque Patrum institutiónes egrégie doctus, inter ipsa natúræ et artis remédia illud in primis tamquam ómnium præsentíssimum insinuáre curábat, ut ágnita vitiósa morbórum ómnium orígine, ad medicinálem Salvatóris Dei grátiam confúgerent. Iis étiam, si egéni et ínopes essent, necessária caritátis subsídia libénter suppeditábat. Eáque divína magis, quam humána medéndi ratióne tum córporum, tum étiam animárum salútem operabátur. Sed et christiánæ religiónis stúdio veheménter incénsus, multos ab infidelitátis, ac dæmoníacæ superstitiónis erróribus liberátos, ad uníus veri Dei cultum, verámque Christi fidem convértit. Quæ cum ad se deláta rescivísset Syriánus sub Diocletiáni império urbis Alexandrínæ præféctus, eum íllico comprehéndi mandávit.

℟. **Honéstum fecit.**

Lectio v.

Et Cyrus partim evitándæ persecutiónis causa, partim ut inter austeritátes desérti robur consílii et fortitúdinis ad exspectátum agónem pro Christo subeúndum assíduæ oratiónis ope a Spíritu sancto imploráret, in Arábiam Ægýpto contérminam secéssit, ibíque monásticæ disciplínæ certámen ingréssus, ad perféctæ demum sublimiorísque vitæ gradum pervénit. In hac solitúdine quam carus cœlo terræque fúerit, Deus ipse osténdit, qui eum multíplici charísma-

tum génere illustráre vóluit. Ut enim Cyri précibus sine medicamentórum usu curandórum córporum grátiam, ita et illíus doctrínæ verbis virtútem cóntulit prorsus admirábilem, qua Christi ásseclas firmos in fide continébat, et cæcis gentílium, atque infidélium méntibus salutárem Evangélii lucem mirífice inspirábat. Hac tanta rerum admirandárum fama commótus Joánnes Edessénus, dimíssa statim militári dignitáte, cunctísque contémptis sǽculi honóribus atque divítiis, ávide convolávit ad Cyrum, ejúsque mox factus contubérnii et institúti párticeps, non tamquam simplex sancti viri admirátor, neque jam uti discípulus, sed uti illíus virtútum æmulátor ardentíssimus, se ei omníno símilem réddere conabátur.

℞. Desidérium ánimæ.

Lectio vi.

Intérea témporis ingravescénte Diocletiáni persecutióne, ut audívit Cyrus, Theactístem, Theódotam, et Eudóxiam Vírgines una cum matre Athanásia in ódium christiáni nóminis comprehénsas et jam in Canópum Alexandríæ próximum ductas, véritus ne vel ætátis, vel sexus imbecillitáte, aut suppliciórum terróre, aut étiam blandítiis victæ deficerent, ad eas confirmándas illuc et ipse, cómite Joánne, mire sollícitus ex erémo perréxit. Tunc athléta Christi propter vírgines ad fídei constántiam instrúctas, cujus professiónis esset, detéctus, et quod líbere deórum cultum contémneret, accusátus, ímpii Syriáni jussu in víncula conjícitur: et mox virgínibus ipsis ad spectándum prodúctis, sub eárum óculis flagris cæsus, fústibus contúsus, facibúsque adústus, vulneráta membra acéto primum et sale sibi perfúndi, asperrimóque deínde cilício perfricári, ac pedes tandem ebulliénte pice inúngi magno invictóque ánimo pértulit. Rursus tamen várie tentátus, cum immóbilis in fide permanéret, prídie Kaléndas Februárias secúri percússus illústre martýrium fecit, in quo ipsum quoque Joánnem consórtem hábuit. Célebris fuit ob miraculórum glóriam sancti Mártyris Cyri memória non modo in Ægýpto, et in tota Oriéntis Ecclésia, sed étiam Romæ: unde in Campániam usque ac præsértim Neápolim felíciter propagáta magno devotiónis affétu Christi fidélium ánimos inflammávit. Quare instántibus Xysto cardináli archiepíscopo et clero Neapolitáno, Pius Papa nonus de eódem sancto Cyro Mártyre Offícium et Missam, sícuti jam álibi concéssum fúerat, in civitáte item ac diœcési Neapolitána quotánnis die ipsíus natalítio recitári et celebrári indúlsit.

℞. Stola jucunditátis.

In III. Nocturno Lectiones de Homilia in Evangel. **Nihil est opértum.** de eodem Communi 3. loco.

Die 3. Februarii.

S. Blasii Episc. et Martyris.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis eadem die, præter Lect. I. Nocturni A **Miléto.** et III. Nocturni in Evang. Si **quis vult.** de Communi unius Mart. 2. loco.

Die 9. Februarii.

In Metropolit.

S. Apolloniæ Virg. et Mart.

Duplex.

Omnia de Communi Virg. et Mart., præter sequentia.

Oratio. **Deus, qui inter cétera.**

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno Lectio iv. **Apollónia virgo.** ut in Brev. eadem die. Lect. v. et vi. **Quóniam hódie.** de Communi 1. loco cum ℟℟. v. et vi.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Símile erit regnum cœlórum.** de Communi 1. loco.

Die 11. Februarii.

S. Castrensis Episc. et Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pontif., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Castrénsem Pontíficem pro tuénda fídei veritáte invícta fortitúdine roborásti, et per maris undas incólumem traduxísti: concéde propítius, ut ipsíus patrocínio eámdem in fide constántiam imitáti, inter hujus vitæ fluctus tuo semper protegámur auxílio. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Castrénsis Epíscopus in pártibus Africæ fuit témpore persecutiónis Vandálicæ. Quo témpore multi Christiáni comprehénsi sunt, quibus illáta sunt divérsa tormentórum génera, ut fidem Cathólicam negárent. Vidéntes autem ímpii satéllites, quod nec blandítiis, nec torméntis eos possent superáre, nacti vetustíssimam navem, sanctos Dei (in quibus unus erat idem beátus Castrénsis) in eam imposuérunt; quam, ut eos pélagus absorbéret facílius, armaméntis ómnibus, et rémigum auxílio spoliárunt. At omnípotens Deus, cui est in mari via et sémita in aquis multis, mutáto órdine, eórum versútiam in sanctórum glóriam convértit mirabíliter; illi étenim, Dómino dirigénte, incólumes ad Campániæ líttora pervenérunt.

℟. **Invéni David.**

Lectio v.

Erant autem Castrénsis, Priscus, Támmarus, Rósius, Heraclíus, Secundínus, Adjútor, Marcus, Augústus, Elpídius, Cánion et Vindónius; qui omnes, Angelo deducénte, ad loca própria, quæ illis Christus pro salúte credéntium destináverat, pervenérunt; in quibus dispérsi, diversísque Ecclésiis præfécti, Christiánam doctrínam propagárunt. Sanctus autem Castrénsis humánas opes et fastus despíciens, in suburbáno cujúsdam Urbis húmilem céllulam incóluit. Sed qui húmiles exáltat, et corda ubíque cónspicit, et qui nec civitátem super montem, nec lumen sub módio abscóndi permíttit, ab illis fínibus, a quibus expúlsus fúerat, ejus nomen prædicári constítuit.

℟. **Pósui adjutórium.**

Lectio vi.

Ex quo enim spíritu supérbiæ pércitus homo crudélis et ímpius, nómine Adamántius, déderat consílium, ut sancti cariósæ navi imponeréntur, quo mergeréntur in profúndum mare, ita gráviter re-

pénte oppréssus et contráctus est, ut véluti gibbósus terram spectáre, divíno judício, cogerétur; quam pœnam támdiu sustínuit, donec, Angelo monénte, Campáno in líttore Castrénsem benígnum Antístitem cónvenit, cujus accépta benedictióne, ab humo sanus erígitur, ejúsque absens conjux páriter incólumis ab ália infirmitáte effícitur: et multa ália édidit mirácula. Migrávit autem beatíssimus Castrénsis ab hoc sæculo tértio Idus Februárii. Ejúsdem sacrum Corpus Montem Regálem translátum, in metropolitána sub Altáre Cappéllæ magnífici óperis ad illíus memóriam constrúctæ, honorífice cónditum, summa veneratióne cólitur. Unde insígnes ipsíus relíquiæ in Archidiœcésim Neapolitánam translátæ, in beáti Castrénsis templo óppidi Maráni, ubi præcípuus Patrónus habétur, religióse asservántur. ℟. Iste est qui.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Homo péregre.

Die 12. Februarii.

S. Titi Episc. et Conf.

Duplex.

Omnia ut in Breviario die 6. Febr. omissa comm. S. Dorotheæ Virg. Mart.

Die 13. Februarii.

(Dies fix. e 14. Januarii.)

S. Hilarii Ep. Conf. et Eccl. Doct.

Duplex.

Omnia ut in Breviario die 14. Jan.

Die 14. Februarii.

S. Nostriani Episc. et Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pontif., præter sequentia.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui beátum Nostriánum Confessórem tuum atque Pontíficem advérsus fídei hostes invíctæ fortitúdinis róbore illustráre dignátus es: concéde propítius; ut eódem nos spíritu repléti, ab ómnium hóstium insídiis misericórditer liberémur. Qui vivis.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Nostriánus Neapolitánus epíscopus eo témpore suam rexit ecclésiam, quo in Campánia, diris barbarórum cópiis exagitáta, Pelagiána hæresis grassabátur. At sanctus præsul una cum beáto Próspero Aquitáno, quem Leo primus summus Póntifex ad deléndam hæresim in Campániam míserat, tanta desudávit cura et vigilántia in fide tuénda ab hæreticórum conátibus, ut eórum audáciam pénitus contúderit. Ex nefário eórum grege quidam eminébat nómine Florus, qui seductiónis spíritu abréptus, dictitábat se esse prædítum virtúte ac mérito beáti Sósii, qui præclaríssimo Mártyri Januário in passióne comes fúerat, ut pópulum christifidélem dementáret, et ad errórem amplecténdum allíceret. Huic sermóne et ópere ita réstitit Nostriánus, ut étiam per fratrem suum, qui tunc témporis in Campánia prætório múnere fungebátur, ab ejus fínibus ipsum ejécerit.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Una cum fídei stúdio cáritas Christi veheménter urgébat Nostriánum, qui ejúsdem fídei confessóres, inter quos sanctos epíscopos Cartháginis et Bithýniæ Quodvúltdeum et Gaudiósum, Vandalórum Arianórum immanitáte ex Africa depúlsos, hospítio recépit, expénsis fovit curísque ómnibus sublevávit. Cum autem per septémdecim annos fidélibus sibi commíssis exémplo fuísset in doctrína, in conversatióne, in castitáte, in gravitáte, in bonis opéribus, sancto fine quiévit sǽculo quinto verténte, et in crypta cœmetérii sancti Gaudiósi sepúltus est.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Dehinc décimo prope exeúnte sǽculo sancti præsulis Nostriáni corpus ex eo cœmetério translátum est in ædem sancto Januário sacram ad diaconíam, quæ sita est in platéa ex ipsíus Nostriáni nómine olim nuncupáta, quia ibi sanctus hic præsul bálneum constrúxerat, more eórum témporum ut fidélium inservíret commoditáti, ántequam in ecclésiam convenírent. In dicta vero sancti Januárii æde subtus altáre majus cónditæ fuére beáti Nostriáni exúviæ; ubi plúribus elápsis sǽculis latuére usque ad annum millésimum sexcentésimum décimum secúndum. Tunc ex insperáto invéntæ ádeo suávem diffudére odórem, ut cœléstem pótius quam humánum astántes autumáverint. Quare cleri populíque postulatiónibus prístinus sancti Nostriáni cultus, qui témporum diuturnitáte pene exoléverat, sacris offíciis in ejus festo cohonestátus est. Leo autem décimus tértius Póntifex máximus cultum ipsum a Neapolitánis cívibus antístiti suo Nostriáno ab immemorábili témpore exhíbitum ex sacrórum Rítuum Congregatiónis consúlto, approbávit et confirmávit, ejúsque festum cum Offício et Missa sub ritu dúplici a clero Neapolitánæ archidiœcésis quotánnis celebrándum benígne indúlsit. ℟. Iste est qui.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Vigiláte.** de Communi 2. loco.

Die 15. Februarii.

S. Petri Nolasci Confessoris.

Duplex.

Omnia ut in Breviario die 31. Jan.

Die 16. Februarii.

S. Julianæ Virg. et Martyris.

Duplex.

Omnia de Communi Virg., præter sequentia.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui infírma mundi éligis ut fórtia quæque confúndas, concéde propítius; ut qui beátæ Juliánæ Vírginis et Mártyris tuæ solémnia cólimus ejus apud te patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadrag. vero **De virgínibus.** de Communi Virg.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Juliána nobilíssima Nicomediénsis Virgo, témpore Maximiáni Imperatóris a patre cuídam senatóri Eleúsio desponsáta, numquam pótuit neque blandítiis neque minis addúci, ut spon-

sum acceptáret, nisi is Deum adoráret quem ipsa adórat, et cóleret Dóminum quem ipsa colit. Proptérea a patre gráviter cæsa, ipsi sponso torméntis affligénda egrégia virgo tráditur, quæ mox a quátuor locis exténsa, áridis quidem nervis, virídibus autem vimínibus diu capíllis in equúleo suspénsa, verberátur.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Magna ítaque diéi parte pendens, propter violéntam extensiónem pellis a cápite Vírginis evéllitur, et super frontem trahúntur supercília: ipsa vero hílari ánimo súfferens ómnia et lætabúnda benedícens semper Dóminum, cera liquefácta toto córpore perfúnditur, sed illǽsa evádens in cárcerem tráditur, ubi palam cum diábolo egrégie conflíxit. Póstera die e cárcere edúcta in fornácem ardéntem injícitur, sed terríbilis flamma, piis Vírginis lácrimis, cum indicíbili spectántis pópuli admiratióne exstínguitur.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Eo miráculo commóti viri número círciter quingénti, una voce et mente exclamavére: unus est Deus, unus, qui est Deus Mártyris Juliánæ, quos et secútæ sunt centum et trigínta mulíeres. Súperans tandem ollam fervéntem, gloriósa victrix Juliána cápite pléctitur, cujus ánima cœlos in ætérnum triumphatúra conscéndit. Corpus vero Cumas transportátum, ea civitáte evérsa, Neápolim translátum in Ecclésia sanctimoniálium beátæ Dei Genitrícis Vírginis Maríæ de Domna Romáta religiosíssime repósitum est.

℟. Afferéntur Regi.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Símile erit regnum cœlórum.** de Comm. 1. loco. Et in Quadrag. ix. Lect. Hom. et comm. Feriæ in Laud.

Die 17. Februarii.

Ss. XXVI Mart. Japonensium.

Duplex.

Omnia ut in Breviario die 5. Febr.

Die 18. Februarii.

S. Canuti Reg. et Martyris.

Semiduplex ad libitum.

Omnia ut in Breviario die 19. Jan.

Die 19. Februarii.

S. Juliani Episc. et Conf.

Semiduplex. **(m. t. v.)**

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis die 28. Januarii.

Die 20. Februarii.

B. Ægidii Mariæ a S. Josepho Confess. I. Ord.

Duplex majus.

Omnia de Communi Conf. non Pont., præter sequ.

Oratio.

Deus, qui cum simplícibus lóqueris, et humílibus grátiam præbes: da nobis quǽsumus, suffragántibus méritis et exémplis beáti Ægídii Maríæ Confessóris tui; ut abjiciéntes omnem malítiam, tibi in simplicitáte cordis et humilitáte placeámus. Per Dñm.

In I. Nocturno Lectiones **Beátus vir.** de Communi 2. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Ægídius María a sancto Josépho, parvo sub lari Taránti natus, jam a téneris annis peculiárem porténdere visus

est sanctitátem. A solátiis aliénus quibus proclívis est puerílis ætas, alte servábat in corde quæ de timóre Dómini, et de sanctis præcéptis ejus audíerat; ac brevi in eo fides, quæ per dilectiónem operátur, suos édidit fructus. Paréntum obséquio, non suópte ingénio se dírigens, addiscéndæ arti fuit assíduus, cui jussu patris se déderat; et quidquid témporis a labóre supérerat orándo impendébat. Ita coæquáles, qui eum nóverant símplicem, et innocéntem, ad sui imitatiónem pertráxit. Mane adésse sacro, vésperi sanctíssimam Eucharístiam adoráre consuévit, quam étiam devóte comitári, cum ad infírmos deferebátur, in delíciis hábuit. Sodalítio adscríptus, cui a Rosário beátæ Vírginis nomen erat, admiratiónem confrátrum in se convértit, qui ab eo præclára ducébant exémpla virtútum.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Adhuc adoléscens, amísso patre, commendátam sibi curam matris et trium fratrum natu minórum suscépit, idque tanto cum afféctu et ingeminátis labóribus egit, ut famíliæ necessária vitæ suppeditáret, imo aléndis céteris paupéribus partem quotidiáni panis sibi detráheret. Verum post áliquot annos ab hujúsmodi ónere exémptus, enixius ínstitit precatiónibus, quo a Deo dignósceret cuínam potíssimum perfectiónis vitæ géneri se dedicáret. Intellécta divína voluntáte per visum in somnis sancti Petri de Alcántara et sancti Paschális Baylon, Seráphicum Ordinem in Alcantarénsi Galátones Convéntu Províncíæ Lyciénsis inter fratres láicos ampléxus est, ubi sanctíssime tyrocínium pósuit, et vota solémnia vigésimo quinto suæ ætátis anno nuncupávit.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

Transmíssus non sine divíno consílio ad Neapolitánum Cœnóbium sancti Paschális, perréxit alácriter vias Dómini ambuláre; et in simplicitáte morum, cordis mundítia, sui abnegatióne, oratiónis ac pœniténtiæ stúdio, ac benéfica et miti caritáte, eam charísmatum cópiam et vim supra natúram adéptus est, ut passim Thaumatúrgi nómine condecorári merúerit. Et quóniam in ea íncidit témpora veheménter cathólicæ fídei ærumnósa ob rerum publicárum subversiónem, et defectiónem multórum, ídeo hunc fámulum suum mundo contemptíbilem elégit Deus, ut in amplíssima Neapolitána Civitáte bonos in sancta religióne confirmáret, mundi sapiéntes confúnderet, et desidéria iniquitátis frustrarétur. Huic fidelíssimo servo suo ínsuper Deus diuturnitátem áddidit vitæ, ac mortem pretiosíssimam, quæ cóntigit die séptima Februárii anni millésimi octingentésimi duodécimi, ingéntem sanctitátis famam, et sepúlchrum miráculis gloriósum. Quibus comprobátis, Leo décimus tértius Póntifex Máximus anno quinquagésimo sui Sacerdótii inter beátos cœlites cum Christo regnántes eum solémniter accénsuit.

℟. Iste homo.

In III. Nocturno Lectiones de Homilia in Evangel. **Nolíte timére.** de Communi 2. loco.

Die 26. Februarii.

S. Margaritæ de Cortona.

Semiduplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis die 23. Februarii.

Die 5. Martii.

S. Joannis Josephi a Cruce

Confessoris.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Feria III.

post Dominicam Septuagesimæ.

Orationis D. N. J. Chr. in Monte Oliveti.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem feria.

Feria III.

post Dominicam Sexagesimæ.

Solemnis Commemoratio

Passionis D. N. J. C.

Duplex 1. classis cum Octava.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem feria.

Feria IV.

post Dominicam Sexagesimæ.

Secunda die infra Oct.

Commemorationis

Passionis D. N. J. Chr.

Semiduplex.

In I. Nocturno.

De libro Sapiéntiæ.

Lectio i. Cap. 2. b.

Dixérunt ímpii, cogitántes apud se non recte: Circumveniámus justum, quóniam inútilis est nobis, et contrárius est opéribus nostris, et impróperat nobis peccáta legis, et diffámat in nos peccáta disciplínæ nostræ. Promíttit se sciéntiam Dei habére, et Fílium Dei se nóminat. Factus est nobis in traductiónem cogitatiónum nostrárum. Gravis est nobis étiam ad vidéndum, quóniam dissímilis est áliis vita illíus, et immutátæ sunt viæ ejus.

℟. Vínea mea elécta, ego te plantávi, dicit Dóminus, et tu facta es mihi nimis amára; * Quia parásti crucem Salvatóri tuo. ℣. Pópule meus, quid feci tibi, aut in quo contristávi te? respónde mihi. Quia parásti.

Lectio ii.

Tamquam nugáces æstimáti sumus ab illo, et ábstinet se a viis nostris tamquam ab immundítiis, et præfert novíssima justórum: et gloriátur Patrem se habére Deum. Videámus ergo, si sermónes illíus veri sint, et tentémus quæ ventúra sunt illi, et sciémus quæ erunt novíssima illíus. Si enim est verus Fílius Dei, suscípiet illum et liberábit eum de mánibus contrariórum.

℟. Ego edúxi te de Ægýpto, demérso Pharaóne in mare rubrum, et ante te præívi in colúmna nubis; * Et tu me tradidísti princípibus sacerdótum, et me duxísti ad prætórium Piláti. ℣. Pópule meus, quid feci tibi, aut in quo contristávi te? respónde mihi. Et tu.

Lectio iii.

Contumélia et torménto interrogémus eum, ut sciámus reveréntiam ejus, et probémus patiéntiam illíus. Morte turpíssima con-

demnémus eum: erit enim ei respéctus ex sermónibus illíus. Hæc cogitavérunt et erravérunt: excæcávit enim illos malítia eórum. Et nesciérunt sacraménta Dei, neque mercédem speravérunt justítiæ, nec judicavérunt honórem animárum sanctárum.

℟. Ego propter te flagellávi Ægýptum cum primogénitis suis; * Et tu me flagellátum tradidísti, * Qui tamquam agnus coram tondénte se obmútui, et non apérui os meum. ℣. Pópule meus, quid feci tibi, aut in quo contristávi te? respónde mihi. Et. Glória. Qui.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Máximi Epíscopi.

Hom. 1. de Pass. et Cruce Dñi.

Lectio iv.

Sicut Móyses exaltávit serpéntem in desérto; ita exaltári opórtet Fílium hóminis. Unde, si affíxus serpens ligno fíliis Israël cóntulit sanitátem, quanto magis salútem præstat pópulis Dóminus in patíbulo crucifíxus; et si figúra tantum prófuit, quantum prodésse crédimus veritátem? Serpens ígitur primus crucifígitur. Recte plane, ut quia primus apud Deum peccáverat diábolus, primus crucis senténtia ferirétur. In ligno enim crucifígitur, rationabíliter factum, ut quia homo in paradíso per árborem concupiscéntiæ decéptus fúerat, nunc idem per ligni árborem salvarétur: atque éadem matéria, quæ causa mortis fúerat, esset remédium sanitátis.

℟. Ego propter te Chananæórum reges percússi, et dedi tibi sceptrum regále: * Et tu dedísti cápiti meo spíneam corónam, et percussísti arúndine caput meum. ℣. Pópule meus, quid feci tibi, aut in quo contristávi te? respónde mihi. Et tu.

Lectio v.

Deínde post serpéntem, in Salvatóre homo ipse crucifígitur; scílicet ut post auctórem puniátur et fácinus. Per primam enim crucem vindicátum est in serpéntem; per secúndam in venéna serpéntis. Hoc est, primum auçtor ipse punítur; deínde ejus malígnitas condemnátur. Virus enim, quod persuasióne sua in hóminem transfúderat, nunc rejícitur, nunc curátur. Nam cum homo passióni addícitur, non morti tráditur, sed mortis in eo fácinus emendátur. Hoc enim egit Dóminus per hóminem, quem suscépit, ut dum ínnocens pátitur, prævaricatiónis illíus diabólicæ in eo inobediéntia corrigátur; et deínceps liber a culpa fíeret, ac liber esset a morte.

℟. Ego duxi te per desértum, quadragínta annis, et manna cibávi te: * Et tu me cecidísti álapis et flagéllis. ℣. Pópule meus, quid feci tibi, aut in quo contristávi te? respónde mihi. Et tu.

Lectio vi.

Habéntes ígitur Dóminum Jesum, qui nos passióne sua liberávit, in ipsum aspiciámus semper et de ipsíus ligno sperémus nostris vulnéribus medicínam, hoc est: si forte nobis venénum avarítiæ se diffúndit, ipsum considerémus, et sanat. Si scorpiónis nos libído compúngat, ipsum rogémus, et curat. Si terrenárum cogitatió-

num nos morsus lácerant, eúmdem precémur, et vívimus. Hi enim sunt spirituáles serpéntes animárum nostrárum, propter quos conculcándos Dóminus crucifíxus est; de quibus ipse ait: super serpéntes et scorpiónes ambulábitis, et nihil vobis nocébunt.

℟. Ego exaltávi te magna virtúte: * Et tu me suspendísti in patíbulo crucis. * In qua expándi manus meas ad pópulum non credéntem, et contradicéntem. ℣. Pópule meus, quid feci tibi, aut in quo contristávi te? respónde mihi. Et tu. Glória Patri. In qua.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. Cap. 19.

In illo témpore: Sciens Jesus, quia ómnia consummáta sunt, ut consummarétur Scriptúra, dixit: Sítio. Et réliqua.

Homilía S. Ambrósii Epíscopi.

Lib. 10. in Evang. Luc. c. 23.

Currens unus spóngiam implévit acéto, et dabat ei bíbere, quod et bibit. Sic enim habes secúndum Joánnem. Cum ergo accepísset Jesus acétum. Vinum vero cum felle mixtum non bibit. Sic enim habétur in Matthǽo: Et dedérunt ei vinum bíbere cum felle mixtum; et cum gustásset, nóluit bíbere. Acétum ítaque bíbitur. Vinum cum felle non bíbitur; non quia fel, sed quia admíxtæ vino amaritúdines recusántur. Nam amaritúdines vitæ nostræ pro córporis útique conditióne suscépit. Dénique ipse ait: Dedérunt in escam meam fel, et in siti mea potavérunt me acéto. Sinceritáti namque non débuit amaritúdo miscéri, ut ostenderétur sine amaritúdine immortálitas resurgéntium futúra. Quæ quóniam immortálitas in vase coacúerat humáno, edulcátur in Christo. Ergo acétum bíbitur, quod erat arúndini impósitum; hoc est: vítium corrúptæ, per Adam, immortalitátis absorbétur in cálamo, ut de córpore abolerétur humáno.

℟. Ego te potávi aqua salútis de petra: * Et tu me potásti felle et acéto. ℣. Pópule meus, quid feci tibi, aut in quo contristávi te? respónde mihi. Et tu.

Lectio viii.

Pater in manus tuas comméndo spíritum meum. Et bene commendátur spíritus, qui servátur. Quod enim commendátur, útique non amíttitur. Bonum ergo pignus est spíritus, bonum depósitum; unde et ille ait: O Timóthee, bonum depósitum custódi. Commendátur enim Patri spíritus, et ídeo ait: quóniam non derelínques in inférno ánimam meam. Vide autem magnum mystérium. Nunc comméndat in mánibus Patris spíritum suum: nunc in Patris sinu sedet, quia totum álius non capit Christum. Dénique, ego, inquit, in Patre, et Pater in me. Commendátur ergo Patri spíritus; sed cum sit in superióribus, illúminat et inférna, ut univérsa redimántur. Etenim Christus ómnia, et in Christo ómnia, licet in síngulis operétur.

℟. Ego ante te apérui mare: * Et tu aperuísti láncea latus Salvatóri tuo: * Qui redémit mundum in sánguine suo. ℣. Pópule meus, quid feci tibi, aut in quo contri-

stávi te? respónde mihi. Et. Glória Patri. Qui.

Lectio ix.

Dénique secúndum Joánnem: Ad Jesum autem cum veníssent, ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura, sed unus mílitum láncea latus ejus apéruit. Quæro ergo, cur ante mortem non inveniámus esse percússum, post mortem inveniámus? Nisi forte ut voluntárius magis, quam necessárius éxitus ejus fuísse doceátur, et órdinem mýsticum novérimus; quia non ante altáris Sacraménta, quam baptísmum; sed baptísmum ante, sic póculum. Deínde ut advertámus, quia licet córporis ejus fúerit natúra mortális, licet quálitas símilis, dissímilis tamen grátia. Nam útique post mortem sanguis in nostris corpóribus congeláscit; de illo vero inquit Joánnes: Et contínuo exívit sanguis et aqua. Ex illo enim incorrúpto licet córpore, sed defúncto, ómnium vita manábat. Aqua enim et sanguis exívit, illa quæ díluat, iste qui rédimat. Bibámus ergo prétium nostrum, ut bibéndo redimámur.

Te Deum laudámus.

In Laudibus et Vesperis.

℣. Ipse vulnerátus est propter iniquitátes nostras. ℟. Et attrítus est propter scélera nostra.

Ad Bened. Ant. Pater mi, * si non potest hic calix transíre, nisi bibam illum, fiat volúntas tua.

Ad Magnif. Ant. Tráditor autem * dedit eis signum, dicens: Quem osculátus fúero, ipse est; tenéte eum, et dúcite caute.

Feria V. post Dominicam Sexagesimæ.

Tertia die infra Octav. Commemorationis

Passionis D. N. J. Chr.

Semiduplex.

In I. Nocturno.

De Isaía Prophéta.

Lectio i. Cap. 53.

Quis crédidit audítui nostro? Et bráchium Dómini cui revelátum est? Et ascéndet sicut virgúltum coram eo, et sicut radix de terra sitiénti: non est spécies ei neque decor; et vídimus eum, et non erat aspéctus et desiderávimus eum: despéctum et novíssimum virórum, virum dolórum, et sciéntem infirmitátem: et quasi abscónditus vultus ejus et despéctus; unde nec reputávimus eum. Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit: et nos putávimus eum quasi leprósum et percússum a Deo et humiliátum. Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra: disciplína pacis nostræ super eum, et livóre ejus sanáti sumus.

℟. Vínea mea. 28*

Lectio ii.

Omnes nos quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam declinávit: et pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrum. Oblátus est quia ipse vóluit, et non apéruit os suum: sicut ovis ad occisiónem ducétur; et quasi agnus coram tondénte se obmutéscet, et non apériet os suum. De angústia et de judício sublátus est: generatiónem ejus quis

enarrábit? quia abscíssus est de terra vivéntium: propter scelus pópuli mei percússi eum. Et dabit ímpios pro sepultúra, et dívitem pro morte sua; eo quod iniquitátem non fécerit, neque dolus fúerit in ore ejus.

℟. Ego edúxi te. 28*

Lectio iii.

Et Dóminus vóluit contérere eum in infirmitáte: si posúerit pro peccáto ánimam suam, vidébit semen longǽvum et volúntas Dómini in manu ejus dirigétur. Pro eo, quod laborávit ánima ejus, vidébit et saturábitur: in sciéntia sua justificábit ipse justus servus meus multos, et iniquitátes eórum ipse portábit. Ideo dispértiam ei plúrimos: et fórtium dívidet spólia; pro eo quod trádidit in mortem ánimam suam, et cum sclerátis reputátus est: et ipse peccáta multórum tulit, et pro transgressóribus rogávit.

℟. Ego propter te. 29*

In II. Nocturno.

Sermo sancti Petri Chrysólogi.

Serm. 118. In verba Apost.

Obsecro vos.

Lectio iv.

Christus, ait Apóstolus, in hunc mundum venit peccatóres salvos fácere, quorum primus ego sum, sed misericórdiam sum consecútus, ad exémplum ómnium, qui creditúri sunt illi in vitam ætérnam. Obsecro, inquit, vos per misericórdiam Dei. Rogat Paulus, imo per Paulum rogat Deus: quia plus amári vult, quam timéri. Rogat Deus, quia non tam Dóminus esse vult quam Pater. Rogat Deus per misericórdiam, ne víndicet per rigórem. Audi rogántem Dóminum: Tota die, inquit, expándi manus meas. Nonne qui expándit manus, ipso hábitu rogat? Expándi manus meas. Ad quem? Ad pópulum. Et ad quem pópulum? Non tantum non credéntem, sed contradicéntem expándi manus meas.

℟. Ego propter te. 29*

Lectio v.

Disténdit membra, dilátat víscera, pectus pórrigit, offert sinum, grémium pandit, ut Patrem se tantæ obsecratiónis demónstret afféctu. Audi et áliter rogántem Deum: Pópule meus, quid feci tibi? aut quid contristávi te? Nonne dicit: Si divínitas ignóta est, vel caro sit nota? Vidéte, vidéte in me corpus vestrum, membra vestra, vestra víscera, ossa vestra, vestrum sánguinem: et si quod Dei est, timétis; quare, vel quod vestrum est, non amátis? Si Dóminum fúgitis, quare non recúrritis ad Paréntem? Sed forte vos passiónis meæ, quam fecístis, magnitúdo confúndit? Nolíte timére.

℟. Ego duxi te. 29*

Lectio vi.

Crux hæc, non meus, sed mortis est acúleus. Clavi isti non mihi infígunt dolórem, sed vestram mihi infígunt áltius caritátem. Vúlnera hæc non edúcunt gémitus meos, sed magis vos meis viscéribus intodúcunt. Exténsio córporis mei vos dilátat in grémium, non meam crescit in pœnam. Sanguis meus non mihi déperit, sed vestrum prorogátur in prétium. Veníte ergo, redíte et vel sic probáte Patrem,

quem vidétis pro malis bona, pro injúriis amórem, pro vulnéribus tantis tantam réddere caritátem.

℟. Ego exaltávi te. 30*

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. Cap. 19.

In illo témpore: Sciens Jesus, quia ómnia consummáta sunt, ut consummarétur Scriptúra, dixit: Sítio. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi.

Comment. in Matth. cap. 33.

Dum relínquitur Christus, exclámat dicens: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquísti? Sed relínquitur, quia erat homo, étiam morte peragéndus. Quin étiam hoc, quod per cálamum datum in spóngia acétum cum gustásset, proclámans spíritum réddidit, diligénter est contuéndum. Vinum et honor est immortalitátis, et virtus, quod per vítium, aut incúriæ, aut vasis inacéscit. Hoc ígitur, cum in Adam coacuísset, ipse accépit et potábit ex géntibus. In cálamo enim ex spóngia, ut potáret, offértur; id est, ex corpóribus géntium vítia corrúptæ æternitátis accépit, et in se atque immortalitátis communiónem, ea, quæ in nobis erant vitiáta, transfúdit.

℟. Ego te potávi. 30*

Lectio viii.

Dénique in Joánne, postquam perpotáverat, dixit: Consummátum est; quia omne vítium humánæ corruptiónis hausísset. Et quia nihil agéndum esset extrínsecus, spíritum cum clamóre, et voce magna emísit, dolens, non ómnium se peccáta portáre. Et deínceps velum templi scínditur; quia exínde pópulus est divísus in partes, et veli honor cum custódia Angeli protegéntis aufértur.

℟. Ego ante. 30*

Lectio ix.

Movétur terra; capax enim hujus mórtui esse non póterat. Petræ scissæ sunt; ómnia enim tum válida, et fórtia pénetrans Dei verbum, et potéstas ætérnæ virtútis irrúperat. Et monuménta apérta sunt; erant enim mortis claustra reseránda. Et multa córpora Sanctórum dormiéntium surrexérunt. Illúminans enim mortis ténebras et infernórum obscúra collústrans, in Sanctórum ad præsens conspicatórum resurrectióne mortis ipsíus spólia detrahébat.

Te Deum laudámus.

Ad Bened. Ant. Minístri Judæórum * comprehendérunt Jesum et ligavérunt eum.

Ad Magnif. Ant. Unus assístens * ministrórum dedit álapam Jesu, dicens: Sic respóndes pontífici?

Feria VI. post Domin. Sexages.

Quarta die infra Octav. Commemorationis

Passionis D. N. J. Chr.

Semiduplex.

In I. Nocturno.

De Jeremía Prophéta.

Lectio i. Cap. 11. c.

Quid est, quod diléctus meus in domo mea fecit scélera multa? Numquid carnes sanctæ aúferent a te malítias tuas, in

quibus gloriáta es? Tu autem, Dómine, demonstrásti mihi et cognóvi; tunc ostendísti mihi stúdia eórum. Et ego quasi agnus mansuétus, qui portátur ad víctimam: et non cognóvi, quia cogitavérunt super me consília dicéntes: Mittámus lignum in panem ejus, et eradámus eum de terra vivéntium, et nomen ejus non memorétur ámplius. Tu autem Dómine Sábaoth, qui júdicas juste, et probas renes et corda, vídeam ultiónem tuam ex eis; tibi enim revelávi causam meam. Proptérea hæc dicit Dóminus exercítuum: Ecce ego visitábo super eos: júvenes moriéntur in gládio, fílii eórum et fíliæ eórum moriéntur in fame. Et relíquiæ non erunt ex eis.

℟. Vínea mea. 28*

Lectio ii. Cap. 17. b.

Exspectátio Israël, Dómine: omnes, qui te derelínquunt, confundéntur: recedéntes a te in terra scribéntur: quóniam dereliquérunt venam aquárum vivéntium, Dóminum. Sana me, Dómine, et sanábor; salvum me fac, et salvus ero; quóniam laus mea tu es. Ecce ipsi dicunt ad me: Ubi est verbum Dómini? Véniat. Et ego non sum turbátus, te pastórem sequens: et diem hóminis non desiderávi, tu scis. Quod egréssum est de lábiis meis, rectum in conspéctu tuo fuit. Non sis tu mihi formídini, spes mea tu in die afflictiónis. Confundántur,. qui me persequúntur, et non confúndar ego; páveant illi, et non páveam ego; induc super eos diem afflictiónis, et dúplici contritióne cóntere eos.

℟. Ego edúxi te. 28*

Lectio iii. Cap. 18. b.

Quis audívit tália horribília, quæ fecit nimis virgo Israël? Quia oblítus est mei pópulus meus, frustra libántes, et impingéntes in viis suis, in sémitis sæculi, ut ambulárent per eas in itínere non trito. Et dixérunt: Veníte et cogitémus contra Jeremíam cogitatiónes; non enim períbit lex a sacerdóte, neque consílium a sapiénte, nec sermo a prophéta: Veníte et percutiámus eum lingua, et non attendámus ad univérsos sermónes ejus. Atténde, Dómine, ad me, et audi vocem adversariórum meórum. Numquid rédditur pro bono malum, quia fodérunt fóveam ánimæ meæ? Recordáre, quod stéterim in conspéctu tuo, ut lóquerer pro eis bonum, et avérterem indignatiónem tuam ab eis. Tu autem, Dómine, scis omne consílium eórum advérsum me in mortem.

℟. Ego propter te. 29*

In II. Nocturno.

Sermo sancti Basilíi Magni.

In Psalm. 48. ad vers. 8.

Lectio iv.

Quid tanti potest homo inveníre, ut det pro redemptióne ánimæ suæ? Sed unum invéntum est pro ómnibus simul homínibus sufficientíssimum, quod in prétium redemptiónis ánimæ nostræ datum est. Sanctus ille ac pretiósus sanguis Dómini nostri Jesu Christi, quem pro nobis ómnibus effúdit; quam ob rem prétio étiam empti sumus. Itaque si frater non rédimit, rédimet homo. Si vero redímere nos non potest homo, qui rédimit nos, homo non

est. Ne ígitur proptérea quod in similitúdinem carnis peccáti nobíscum diversátus est, hóminem solum exístimes Dóminum nostrum divinitátis poténtiam ignórans; cui opus non erat Deo dare placatiónem suam, neque própriam redímere ánimam; quia peccátum non fecit, nec invéntus est dolus in ore ejus.

℟. Ego propter. 29*

Lectio v.

Nemo ígitur seípsum redímere potest, nisi véniat, qui captivitátem pópuli convértat, non cum prétiis, neque cum donis, sicut in Isaía scriptum est: sed in suo sánguine. Hic autem, cum non essémus fratres, sed essémus inimíci facti ob peccáta; neque ipse homo nudus, sed Deus, post libertátem, quam nobis largítur, étiam nos fratres suos appéllat. Narrábo enim, inquit, nomen tuum frátribus meis.

℟. Ego duxi te. 29*

Lectio vi.

Itaque qui redémit nos, si natúram quidem ipsíus perpéndas, neque frater, neque homo est; si vero ipsíus ad nos demissiónem ex grátia factam: et nos fratres nóminat, et ad humanitátem descéndit; qui non dabit Deo placatiónem suam, sed totíus mundi. Non enim índiget placatióne, sed ipse propitiátio est; talis enim decébat, ut esset nobis Póntifex, sanctus, ínnocens, impollútus, segregátus a peccatóribus, et excélsior cœlis factus, qui non habet necessitátem quotídie, quemádmodum sacerdótes, prius pro suis delíctis hóstias offérre, deínde pro pópuli ignorántiis. ℟. Ego exaltávi te. 30*

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. Cap. 19.

In illo témpore: Sciens Jesus, quia ómnia consummáta sunt, ut consummarétur Scriptúra, dixit: Sítio. Et réliqua.

Homilía sancti Isidóri Epíscopi.

Lib. ad Florent. Sororem. c. 39.

Quod autem pendénti in cruce acétum cum felle mixtum dedérunt, hoc jam fúerat in psalmis prædíctum a Dómino: Dedérunt in escam meam fel, et in siti mea potavérunt me acéto. Quod quidem et álias ad Jerúsalem sic proclámat: Ego te plantávi víneam eléctam, quómodo facta es in amaritúdinem vitis aliénæ? Deus enim bonam plantáverat víneam, hoc est Judæórum gentem: illa vero vítio suo depraváta Conditórem amaritúdine potávit. Pro qua et Móyses: uva, inquit, eórum, uva fellis et botrus amaritúdinis ipsis. Unde et supérius objúrgans eos, dicit: Sic plebs fátua et non sápiens, hæc Dómino retribuísti?

℟. Ego te potávi. 30*

Lectio viii. Cap. 47.

Láncea latus ejus percússum est. Sic prænuntiátum est ab ipso per Job: Confrégit me et pósuit me quasi in signum, circúmdedit me, lánceis suis convulnerávit lumbos meos, concídit me vúlnere super vulnus; id est vúlnere lánceæ super vulnus clavórum. Unde étiam per David: Super dolórem vúlnerum meórum addidérunt. Sic est ab eo prænuntiátum et per Jere-

míam: Teténdit arcum suum et pósuit me quasi signum ad sagíttam; misit in rénibus meis fílias pháretræ suæ. Et íterum de ipso pópulo sic ait idem Dóminus per Prophétam: Facti sunt mihi in sagíttam recíprocam; et Zacharías: Vidérunt, in quem confixérunt, útique hóminem, quem crucifixérunt. Quo étiam testimónio promíssus est Christus in ea, qua crucifíxus est, carne ventúrus.

℟. Ego ante te. 30*

Lectio ix. Cap. 48.

Ex látere ejus sanguis et aqua manávit; Zacharías dicit: Tu quoque in sánguine testaménti tui emisísti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Et íterum: Cum egrederétur vir ab Oriénte, ecce aquæ redundántes a látere déxtero, scílicet Christi. Item de eádem aqua, quæ ex látere ejus prófluit, Prophéta álius sic dicit: Flúmina aquæ vivéntis egrediéntur de ventre illíus, aquæ scílicet baptísmatis, quæ credéntes vivíficant, et quæ sitiéntibus largiúntur; quando implétur, quod scriptum est: Lavámini, mundi estóte; et: Lavábis me, et super nivem dealbábor.

Te Deum laudámus.

Ad Bened. Ant. Veniébant mílites * ad Jesum, et dicébant: Ave, Rex Judæórum; et dabant ei álapas.

Ad Magnif. Ant. Exívit Jesus * portans corónam spíneam et purpúreum vestiméntum: quem cum vidíssent pontífices et minístri eórum, clamábant dicéntes: Crucifíge, crucifíge eum.

Sabbato post Dominicam Sexages.

Quinta die infra Octav.
Commemorationis
Passionis D. N. J. Chr.
Semiduplex.

In I. Nocturno.

De Daniéle Prophéta.

Lectio i. Cap. 9. c.

Ego Dániel, cum adhuc lóquerer et orárem, et confitérer peccáta mea, et peccáta pópuli mei Israël, et prostérnerem preces meas in conspéctu Dei mei pro monte sancto Dei mei: adhuc me loquénte in oratióne; ecce vir Gábriel, quem víderam in visióne a princípio, cito volans tétigit me in témpore sacrifícii vespertíni. Et dócuit me et locútus est mihi, dixítque: Dániel, nunc egréssus sum, ut docérem te, et intellígeres. Ab exórdio precum tuárum egréssus est sermo: ego autem veni, ut indicárem tibi, quia vir desideriórum es: tu ergo animadvérte sermónem, et intéllige visiónem.

℟. Vínea mea. 28*

Lectio ii.

Septuagínta hebdómades abbreviátæ sunt super pópulum tuum et super urbem sanctam tuam; ut consummétur prævaricátio, et finem accípiat peccátum, et deleátur iníquitas, et adducátur justítia sempitérna, et impleátur vísio, et prophetía, et ungátur Sanctus sanctórum. Scito ergo et animadvérte: ab éxitu sermónis, ut íterum ædificétur Jerúsalem usque ad Christum ducem hebdómades septem, et hebdómades sexagínta duæ erunt; et rursum ædificábitur

platéa, et muri in angústia témpórum.

℟. Ego edúxi te. 28*

Lectio iii.

Et post hebdómades sexagínta duas occidétur Christus: et non erit ejus pópulus, qui eum negatúrus est. Et civitátem, et sanctuárium dissipábit pópulus cum duce ventúro; et finis ejus vástitas, et post finem belli statúta desolátio. Confirmábit autem pactum multis hebdómada una, et in dimídio hebdómadis defíciet hóstia et sacrifícium, et erit in templo abominátio desolatiónis: et usque ad consummatiónem, et finem perseverábit desolátio.

℟. Ego propter. 29*

In II. Nocturno.

Ex libro Morálium S. Gregórii Papæ.

Lib. 22. in Job. cap. 12.

Lectio iv.

Redémptor noster, quia Heródem vidit non proféctum quærere, sed signa, vel sciéntiam velle mirári, requisítus ab eo tácuit: et quia constánter tácuit, ab eo irrísus exívit. Scriptum namque est: Heródes autem, viso Jesu, gavísus est valde; erat enim cúpiens ex multo témpore vidére eum, eo quod audíret multa de illo, et sperábat signum áliquod vidére ab eo fieri. Ubi et súbditur: Interrogábat autem illum multis sermónibus; at ipse nihil illi respondébat. Tacens vero Dóminus, quam sit despéctus osténditur, cum illic prótinus subinfértur: Sprevit autem illum Heródes cum exércitu suo et illúsit. Quod vidélicet factum opórtet nos audiéntes díscere, ut, quóties auditóres nostri nostra volunt quasi laudánda cognóscere, non autem sua pervérsa mutáre, omníno taceámus, ne, si ostentatiónis stúdio verbum Dei lóquimur, et illórum culpa, quæ erat, esse non désinat, et nostra, quæ non erat, fiat.

℟. Ego propter te. 29*

Lectio v.

Lib. ut supra, cap. 12.

Requisítus Jesus étiam a Piláto tácuit, atque inter persecutórum manus et corpus passióni óbtulit, quod pro eléctis assúmpserat; et resisténtibus nóluit demonstráre, quod erat. Unde étiam per Psalmístam dícitur: Posuérunt me in abominatiónem sibi: tráditus sum, et non egrediébar. Cum enim despicerétur, quia homo videbátur, egréssus fuísset, si occúltam majestátem suam ostentáre voluísset. Sed quia infirmitátem pródidit, poténtiam abscóndit, in eo quod persecutóribus suis incógnitus mansit, ad eos mínime exívit: Qui tamen ad eléctos exit, quia divinitátis suæ suavitátem quæréntibus áperit. Unde ei per prophétam dícitur: Exísti in salútem pópuli tui, ut salvos fácias Christos tuos.

℟. Ego duxi. 29*

Lectio vi.

Membrum sátanæ Pilátus éxstitit, qui usque ad mortis extréma veniéntem in redemptiónem nostram Dóminum non cognóvit. Corpus autem ejus príncipes sacerdótum exstitérunt, qui Redemptórem mundi a mundo repéllere us-

que ad crucem persequéndo conáti sunt. Cum ergo se pro nostra redemptióne Dóminus membrórum sátanæ mánibus trádidit, quid áliud, quam ejúsdem sátanæ manum in se sævíre permísit, ut unde ipse extérius occúmberet, inde nos extérius, interiúsque liberáret? Si ígitur sátanæ manus ejus potéstas accípitur, ejus manum juxta carnem pértulit, cujus potestátem córporis usque ad sputa, cólaphos, flagélla, crucem, lanceámque tolerávit. Unde et Piláto, ejus vidélicet córporis membro, ad passiónem véniens dicit: Non habéres in me potestátem ullam, nisi tibi data esset désuper.

℟. Ego exaltávi te. 30*

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. Cap. 19.

In illo témpore: Sciens Jesus, quia ómnia consummáta sunt, ut consummarétur Scriptúra, dixit: Sítio. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbýteri.

Ex Comment. lib. 4. in Matth. c. 27.

Circa horam nonam clamávit Jesus voce magna, dicens: Eli! Eli! lamma sabactháni: Hoc est: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquísti me! Princípio vigésimi primi Psalmi usus est; illúdque, quod in médio versículo légitur: Réspice in me, supérfluum est. Légitur enim in Hebrǽo: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquísti! Ergo ímpii sunt, qui Psalmum istum ex persóna David, sive Esther et Mardochǽi dictum putant; cum étiam Evangelístæ testimónia ex eo sumpta super Salvatóre intélligant. Ut est illud: Divisérunt sibi vestiménta mea et super vestem meam misérunt sortem. Et áliud: Fodérunt manus meas et pedes meos. Ne miréris verbórum humilitátem et quærimónias derelícti, cum formam servi sciens, scándalum crucis vídeas. Quidam autem illic stantes et audiéntes dicébant: Elíam vocat iste.

℟. Ego te potávi. 30*

Lectio viii.

Et contínuo currens unus ex eis accéptam spóngiam implévit acéto, et impósuit arúndini, et dabat ei bíbere. Et hæc facta sunt, ut complerétur prophetía: In siti mea potavérunt me acéto. Usque hódie Judǽi, et omnes incréduli domínicæ Resurrectiónis, acéto et felle potant Jesum, et dant ei vinum myrrhátum, ut eum consópiant, et mala eórum non vídeat. Jesus autem íterum clamans voce magna emísit spíritum. Divínæ potestátis indícium est, emíttere spíritum, ut ipse quoque díxerat: Nemo potest tóllere ánimam meam a me, sed ego pono eam a me ipso, et rursum accípiam eam.

℟. Ego ante te. 30*

Lectio ix.

Et ecce velum templi scissum est in duas partes a summo usque deórsum. Velum templi scissum est, et ómnia legis sacraménta, quæ prius tegebántur, pródita sunt, atque ad géntium pópulum transiérunt. In Evangélio, cujus sæpe fácimus mentiónem, superlimináre templi infinítæ ma-

gnitúdinis fractum esse atque divísum légimus. Joséphus quoque refert, Virtútes angélicas, præsides quondam templi, tunc páriter conclamásse: Transeámus ex his sédibus. Et terra mota est, et petræ scissæ sunt et monuménta apérta sunt. Nulli dúbium est, quid signíficet juxta lítteram magnitúdo signórum, ut crucifíxum Dóminum suum, et cœlum et terra, et ómnia demonstrárent. Sed mihi vidétur terræmótus et réliqua typum ferre credéntium, quod prístinis errórum vítiis derelíctis et cordis emollíta durítia, qui prius símiles erant túmulis mortuórum, póstea agnóverint Creatórem.

Te Deum laudámus.

Ad Bened. Ant. **Bájulans Jesus * sibi crucem exívit in eum, qui dícitur Calváriæ locum, ubi crucifixérunt eum, et cum eo latrónes duos, unum a dextris, et álterum a sinístris.**

Ad Magnif. Ant. **Ait latro ad latrónem: * Nos quidem digna factis recípimus; hic autem quid fecit? Meménto mei, Dómine, dum véneris in regnum tuum.**

Dominica Quinquagesimæ.
Sexta die infra Octav.
Commemorationis
Passionis D. N. J. Chr.

Offic. fit de Domin. cum commem. Oct. in Laud. et Vesp. ut infra.

Ad Bened. Ant. **Jesus autem dicébat: Pater, dimítte illis; non enim sciunt, quid fáciunt.**

℣. Ipse vulnerátus est propter iniquitátes nostras. ℟. Et attrítus est propter scélera nostra.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui humáno géneri, ad imitándum humilitátis exémplum, Salvatórem nostrum carnem súmere et crucem subíre fecísti: concéde propítius; ut sicut solémnem commemoratiónem passiónis ejus celebrámus, ita et patiéntiæ ipsíus habére documénta, et resurrectiónis consórtia mereámur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Ad Magnif. Ant. **Cum vidísset Jesus matrem et discípulum stantem, quem diligébat, dicit Matri suæ: Múlier, ecce fílius tuus. Deínde dicit discípulo: Ecce mater tua.**

℣. ℟. et Oratio ut supra.

Feria II.
post Dominicam Quinquagesimæ.
Septima die infra Oct.
Commemorationis
Passionis D. N. J. Chr.
Semiduplex.

In I. Nocturno.
De Zacharía Prophéta.

Lectio i. Cap. 3.

Et contestabátur Angelus Dómini Jesum dicens: Hæc dicit Dóminus exercítuum: Si in viis meis ambuláveris, et custódiam meam custodíeris: tu quoque judicábis domum meam, et custódies átria mea, et dabo tibi ambulántes de his, qui nunc hic assístunt. Audi Jesu Sacérdos magne, tu et amíci tui, qui hábitant coram te, quia viri portendéntes sunt: Ecce enim ego addúcam servum meum Oriéntem. Quia ecce lapis,

quem dedi coram Jesu; super lápidem unum septem óculi sunt: ecce ego cælábo sculptúram ejus, ait Dóminus exercítuum; et aúferam iniquitátem terræ illíus in die una.

℟. Vínea mea. 28*

Lectio ii. Cap. 12.

In die illa próteget Dóminus habitatóres Jerúsalem, et erit, qui offénderit ex eis in die illa, quasi David: et domus David quasi Dei, sicut Angelus Dómini in conspéctu eórum. Et erit in die illa: quæram contérere omnes gentes, quæ véniunt contra Jerúsalem. Et effúndam super domum David, et super habitatóres Jerúsalem spíritum grátiæ et precum; et aspícient ad me, quem confixérunt: et plangent eum planctu, quasi super Unigénitum et dolébunt super eum, ut doléri solet in morte primogéniti. In die illa magnus erit planctus in Jerúsalem.

℟. Ego edúxi te. 28*

Lectio iii. Cap. 13.

In die illa erit fons patens dómui David, et habitántibus Jerúsalem, in ablutiónem peccatóris et menstruátæ. Et erit in die illa, dicit Dóminus exercítuum: dispérdam nómina idolórum de terra, et non memorabúntur ultra; et pseudoprophétas et spíritum immúndum aúferam de terra. Et dicétur ei: Quid sunt plagæ istæ in médio mánuum tuárum? Et dicet: His plagátus sum in domo eórum, qui diligébant me. Frámea suscitáre super pastórem meum, et super virum cohæréntem mihi, dicit Dóminus exercítuum: pércute pastórem, et dispergéntur oves; et convértam manum meam ad párvulos.

℟. Ego propter te. 29*

In II. Nocturno.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Feria 4. Hebd. sanct. de Pass. Dñi.

Lectio iv.

In Passióne domínica, fratres, tria speciáliter cónvenit intuéri: opus, modum, causam. Nam in ópere quidem patiéntia, in modo humílitas, in causa cáritas comendátur. Patiéntia autem singuláris, quod vidélicet: cum supra dorsum ejus fabricárent peccatóres; cum sic extenderétur in ligno, ut dinumeraréntur ómnia ossa ejus; cum fortíssimum illud propugnáculum, quod custódit Israël, úndique forarétur; cum foderéntur manus ejus et pedes, sicut agnus ad occisiónem ductus sit et tamquam ovis coram tondénte non aperúerit os suum: non advérsus Patrem múrmurans, a quo missus fúerat; non advérsus humánum genus, pro quo, quæ non rápuit, exsolvébat; non dénique vel contra pópulum ipsum peculiárem sibi, a quo pro tantis benefíciis tanta mala recipiébat.

℟. Ego propter. 29*

Lectio v.

Modum ipsum, si diligénter atténdas, non modo mitem, sed et húmilem corde cognósces. Nempe in humilitáte judícium ejus sublátum est, cum nec ad tantas blasphémias, nec ad falsíssima, quæ sibi objiciebántur crímina responderet. Vídimus, inquit, eum et non

erat ei aspéctus, nec speciósum forma præ fíliis hóminum; sed oppróbrium hóminum et tamquam leprósum, novíssimum virórum, plane virum dolórum a Deo percússum et humiliátum; ita ut nulla esset ei spécies neque decor. O novíssimum et altíssimum! O húmilem et sublímem! O oppróbrium hóminum et glóriam Angelórum! Nemo illo sublímior, neque humílior. Dénique sputis íllitus est, oppróbriis saturátus est, morte turpíssima condemnátus est, cum scelerátis deputátus est. Nihílne merébitur vel ista humílitas, quæ hunc habet modum; imo quæ tam est ultra modum? Sicut est patiéntia singuláris, sic et humílitas admirábilis; útraque sine exémplo.

℞. Ego duxi. 29*

Lectio vi.

Utrámque tamen magnífice causa ipsa comméndat, nimírum cáritas est. Propter nímiam enim caritátem suam, qua diléxit nos Deus, ut servum redímeret, nec Pater Fílio, nec sibi Fílius ipse pepércit. Vere nímiam, quia et hæc mensúram excédit, modum súperat, plane superéminens univérsis. Majórem, inquit, caritátem nemo habet, quam ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis. Tu majórem habuísti, Dómine, ponens eam étiam pro inimícis. Cum enim adhuc inimíci essémus, per mortem tuam et tibi reconciliáti sumus et Patri. Quænam ergo ália vidébitur esse, vel fuísse, vel fore huic símilis caritáti? Vix pro justo quis móritur. Tu pro injústis passus es, móriens propter delícta nostra, qui venísti justificáre gratis peccatóres, servos fácere fratres, captívos cohærédes, éxsules reges.

℞. Ego exaltávi te. 30*

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. Cap. 19.

In illo témpore: Sciens Jesus, quia ómnia consummáta sunt, ut consummarétur Scriptúra, dixit: Sítio. Et réliqua.

Homilía sancti Cyrílli Epíscopi Alexandríni.

Comment. in Joann. Lib. 12. cap. 35. et 36.

Cum truculénter ómnia impietáte Judæórum essent perácta, nec quidquam ad summam crudelitátem deésset, tandem sanctíssima caro Christi naturále quid pátitur. Multis enim ac váriis dolóribus exsiccáta, siti torquétur. Multum enim possunt dolóres ad commovéndam sitim; innátum enim calórem exagitántes, vel, quod in profunditáte húmidum est, consúmunt et ígneis ardóribus doléntes víscera urunt. Sicut ígitur céteras passiónes, sic hanc étiam sponte Christus perpéssus est. Bíbere ígitur petit: illi autem ádeo longe ab omni humanitáte áberant, ut pro juvánte potu atque jucúndo nocéntem et acérbum attúlerint, et humanitátem, qua movéri videbántur, in impietátem convérterint. Nam quum peténti dabant, caritátis hábitum suscípere videbántur. Sed non est possíbile mentíri Scriptúram, in qua ex persóna Christi dícitur: Et dedérunt in escam meam fel, et in siti mea potavérunt me acéto.

℞. Ego te potávi. 30*

Lectio viii. Cap. 36.

Cum ergo accepísset Jesus acétum, dixit: Consummátum est; et inclináto cápite trádidit spíritum. Consummátum jam esse Salvátor dicit, quia sæviéndi Judæórum potéstas in ipsum per mortem suam términum hábuit. Quid enim non excogitárunt, aut quid suprémæ inhumanitátis relíctum sibi est? Quis cædéndi, quis contumeliándi modus non adhíbitus? Mérito ígitur consummátum esse ait. Cumque tempus jam esset, ut étiam spirítibus apud ínferos prædicáret (venit enim, ut tam vivórum quam mortuórum dominarétur) mortem pro nobis suscépit; et hanc natúræ nostræ própriam passiónem sponte súbiit secúndum carnem, quamvis ut Deus vita naturáliter sit, ut spoliátis ínferis, primítiæ dormiéntium, et primogénitus, ut Scriptúræ dicunt, mortuórum factus, recúrsum ad vitam natúræ nostræ largirétur.

℟. Ego ante te. 30*

Lectio ix.

Inclinávit ígitur caput. Accidit enim moriéntibus, vigóre carnis jam consúmpto et ánima, quæ corpus rétinet, abeúnte, inclinátio cápitis. Quamóbrem verbis hoc modo usus Evangelísta est. Sic et tradidísse spíritum, a consuetúdine nostra sibi dictum est; multi enim sic exstíngui, et mori dicúntur. Quamvis mihi videátur ídeo non simplíciter mórtuum esse, sed tradidísse spíritum Evangelístam dixísse; quia in manus Dei Patris ánimam suam commendávit, ut ipse dixit: Pater! in manus tuas comméndo spíritum meum. Quod nobis magnæ spei fundaméntum, atque oríginem præbet.

Te Deum laudámus.

Ad Bened. Ant. **Clamans voce magna * Jesus ait: Pater! in manus tuas comméndo spíritum meum; et hæc dicens exspirávit.**

In I. Vesp. diei Octavæ omnia dicuntur ut in I. Vesp. Festi, excepta Oratione, quæ dicitur, ut sequitur:

Oratio.

Effúnde super nos, quǽsumus, omnípotens Deus, spíritum grátiæ et precum: ut unigéniti Fílii tui Passiónem pio devotiónis afféctu júgiter recólere, et in pópuli tui corde mónitis et exémplo imprímere valeámus. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Feria III.

post Dominicam Quinquagesimæ.

Octava Commem.

Passionis D. N. J. Chr.

Duplex.

Omnia ut in die Festi, præter sequ. Oratio. **Effúnde.** ut supra.

In I. Nocturno.

Incipit Epístola prima beáti Petri Apóstoli.

Lectio i. Cap. 1.

Petrus, Apóstolus Jesu Christi, eléctis ádvenis dispersiónis Ponti, Galátiæ, Cappadóciæ, Asiæ et Bithýniæ secúndum præsciéntiam Dei Patris in sanctificatiónem Spíritus, in obediéntiam et aspersiónem sánguinis Jesu Christi: Grátia vobis et pax multiplicétur. Sciéntes, quod non corruptibílibus auro vel argénto redémpti estis de vana vestra conversatióne patérnæ traditiónis; sed

pretióso sánguine, quasi Agni immaculáti Christi et incontamináti: præcógniti quidem ante mundi constitutiónem, manifestáti autem novíssimis tempóribus propter vos, qui per ipsum fidéles estis in Deo, qui suscitávit eum a mórtuis et dedit ei glóriam, ut fides vestra et spes esset in Deo.

℟. Vínea mea. 28*

Lectio ii. Cap. 2. c.

In hoc enim vocáti estis: quia et Christus passus est pro nobis, vobis relínquens exémplum, ut sequámini vestígia ejus. Qui peccátum non fecit, nec invéntus est dolus in ore ejus: Qui cum maledicerétur, non maledicébat; cum paterétur, non comminabátur; tradébat autem judicánti se injúste; qui peccáta nostra ipse pértulit in córpore suo super lignum, ut peccátis mórtui, justítiæ vivámus: cujus livóre sanáti estis. Erátis enim sicut oves errántes, sed convérsi estis nunc ad Pastórem et Epíscopum animárum vestrárum.

℟. Ego edúxi. 28*

Lectio iii. Cap. 3. c.

Christus semel pro peccátis nostris mórtuus est, justus pro injústis, ut nos offérret Deo, mortificátus quidem carne, vivificátus autem spíritu. In quo et his, qui in cárcere erant, spirítibus véniens prædicávit: qui incréduli fúerant aliquándo, quando exspectábant Dei patiéntiam in diébus Noë, cum fabricarétur arca: in qua pauci, id est, octo ánimæ salvæ factæ sunt per aquam. Quod et vos nunc símilis formæ salvos facit baptísma: non carnis deposítio sórdium, sed consciéntiæ bonæ interrogátio in Deum per resurrectiónem Jesu Christi, qui est in déxtera Dei, deglútiens mortem ut vitæ ætérnæ hærédes efficerémur.

℟. Ego propter. 29*

In II. Nocturno.

Sermo sancti Leónis Papæ.

Serm. 8. de Pass. Domini.

Lectio iv.

Exaltáto, dilectíssimi, per crucem Christo, non illa tantum spécies aspéctui mentis occúrrat, quæ fuit in óculis impiórum, quibus per Móysen dictum est: Et erit pendens vita tua ante óculos tuos et timébis die ac nocte, et non credes vitæ tuæ. Isti enim nihil in crucifíxo Dómino præter fácinus suum cogitáre potuérunt; habéntes timórem, non quo fides vera justificátur, sed quo consciéntia iníqua torquétur. Noster vero intelléctus, quem Spíritus veritátis illúminat, glóriam crucis cœlo terráque radiántem puro ac líbero corde suscípiat et interióre ácie vídeat, quale sit, quod Dóminus, cum de Passiónis suæ loquerétur instántia, dixit: Nunc judícium mundi est; nunc princeps hujus mundi ejiciétur foras; et ego, si exaltátus fúero a terra, ómnia traham ad meípsum.

℟. Ego propter te. 29*

Lectio v.

O admirábilis poténtia crucis! O ineffábilis glória Passiónis, in qua et tribúnal Dómini, et judícium mundi, et potéstas est Crucifíxi! Traxísti enim, Dómine, ómnia ad te: et cum expandísses tota die manus tuas ad pópulum non cre-

déntem, et contradicéntem tibi, confiténdæ majestátis tuæ sensum totus mundus accépit. Traxísti, Dómine, ómnia ad te, cum in exsecratiónem judáici scéleris unam protulérunt ómnia eleménta senténtiam; cum, obscurátis lumináribus cœli et convérso in noctem die, et terra quoque mótibus quaterétur insólitis, univérsaque creatúra impiórum úsui se negáret. Traxísti, Dómine, ómnia ad te, quóniam, scisso templi velo, sancta sanctórum ab indígnis pontifícibus recessérunt; ut figúra in verítátem, prophetía in manifestatiónem et lex in Evangélium verterétur.

℟. Ego duxi. 29*

Lectio vi.

Traxísti, Dómine, ómnia ad te, ut quod in uno Judǽæ templo obumbrátis significatiónibus tegebátur, pleno apertóque sacraménto, universárum ubíque natiónum devótio celebráret. Nunc étenim et ordo clárior Levitárum et dígnitas ámplior seniórum et sacrátior est únctio Sacerdótum; quia Crux tua ómnium fons benedictiónum, ómnium est causa gratiárum, per quam credéntibus datur virtus de infirmitáte, glória de oppróbrio, vita de morte. Nunc étiam, carnálium sacrificiórum varietáte cessánte, omnes differéntias hostiárum, una córporis et sánguinis tui implet oblátio: quóniam tu es verus Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi. Et ita in te univérsa pérficis mystéria, ut sicut unum est pro omni víctima sacrifícium; ita unum de omni gente sit regnum.

℟. Ego exaltávi. 30*

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. Cap. 19.

In illo témpore: Sciens Jesus, quia ómnia consummáta sunt, ut consummarétur Scriptúra, dixit: Sítio. Et réliqua.

Homilía Venerábilis Bedæ Presbýteri.

Lib. 6. in Evang. Luc. cap. 23.

Patrem invocándo, Fílium Dei se esse Christus declárat; Spíritum vero commendándo, non defectum suæ virtútis, sed confidéntiam ejúsdem cum Patre potestátis insínuat. Amat enim dare glóriam Patri, ut nos ædíficet glóriam dare Creatóri. Comméndat ítaque Patri spíritum juxta hoc, quod delectáto corde et exsultántibus spe resurgéndi lábiis in álio psalmo lóquitur: Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno, nec dabis sanctum tuum vidére corruptiónem.

℟. Ego te potávi. 30*

Lectio viii.

Quia ergo sexta die homo factus, et tota mundi est creatúra perfécta; séptima autem Cónditor ab ópere suo requiévit (unde et hanc Sábbatum, id est, réquiem, vocári præcépit), recte Dóminus eádem die sexta crucifíxus, humánæ reparatiónis implévit arcánum. Unde cum accepísset acétum dixit: Consummátum est; id est, sexti diéi, quod pro mundi refectióne suscépi, totum est opus perféctum. Sábbato autem in sepúlchro requiéscens, resurrectiónis,

quæ octáva die ventúra erat, exspectábat evéntum.

℟. Ego ante te. 30*

Lectio ix.

Ubi nostræ simul devotiónis prælúcet exémplum, quos in hac quidem sexta mundi ætáte pro Dómino pati, et velut mundo crucifigi necésse est; in séptima vero ætáte, id est, cum lethi quis débitum solvit, córpora quidem in túmulis, ánimas autem secréta in pace cum Dómino manére et post bona opórtet ópera quiéscere, donec octáva tandem veniénte ætáte, étiam córpora ipsa resurrectióne glorificáta cum animábus simul incorruptiónem ætérnæ hæreditátis accípiant.

Te Deum laudámus.

Reliqua ut in Festo, præter Orationem ut supra.

Feria VI. post Cineres.

Ss. Spineæ Coronæ D. N. J. C.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis eadem die.

Aliud Officium

Ss. Spineæ Coronæ D. N. J. C.

Duplex majus.

In I. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud. 50* Ps. ut in I. Vesp. de Communi Apost.

Hymnus.

Vexílla Regis pródeunt,
Fulget Crucis mystérium,
Qua vita mortem pértulit,
Et morte vitam prótulit.

Quæ vulneráta lánceæ
Mucróne diro, críminum
Ut nos laváret sórdibus,
Manávit unda, et sánguine.

Impléta sunt quæ cóncinit
David fidéli cármine,
Dicéndo natiónibus:
Regnávit a ligno Deus.

Arbor decóra et fúlgida,
Ornáta Regis púrpura,
Elécta digno stípite
Tam sancta membra tángere.

Beáta, cujus bráchiis
Prétium pepéndit sǽculi,
Statéra facta córporis,
Tulítque prædam tártari.

O Crux ave spes única,
Hoc Passiónis témpore
Piis adaúge grátiam,
Reísque dele crímina.

Te, fons salútis, Trínitas,
Collaúdat omnis spíritus,
Quibus Crucis victóriam
Largíris, adde prǽmium.
Amen.

℣. Tuam Corónam spíneam adorámus, Dómine. ℟. Tuam gloriósam recólimus Passiónem.

Ad Magnif. Ant. Apprehéndit Pilátus Jesum, et flagellávit, et mílites plecténtes corónam de spinis, imposuérunt cápiti ejus, et veste purpúrea circumdedérunt eum.

Oratio.

Præsta, quǽsumus omnípotens Deus, ut qui in memóriam Passiónis Dómini nostri Jesu Christi, Corónam ejus spíneam venerámur in terris, ab ipso glória, et honóre coronári mereámur in cœlis: Qui tecum vivit.

Fit commem. Feriæ.

Ad Matutinum.

Invit. Summum Regem glóriæ Christum pro nobis spinis coronátum * Veníte adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus.

Pange, lingua, gloriósi
Laúream certáminis
Et super Crucis trophǽo
Dic triúmphum nóbilem:
Quáliter Redémptor orbis
Immolátus vícerit.

De Paréntis protoplásti
Fraude Factor cóndolens,
Quando pomi noxiális
In necem morsu ruit:
Ipse lignum tunc notávit,
Damna ligni ut sólveret.

Hoc opus nostræ salútis
Ordo depopóscerat,
Multifórmis proditóris,
Ars ut artem fálleret,
Et medélam ferret inde
Hostis unde lǽserat.

Quando venit ergo sacri
Plenitúdo témporis,
Missus est ab arce Patris
Natus, orbis Cónditor,
Atque ventre virgináli
Carne amíctus pródiit.

Vagit infans inter arcta
Cónditus præsépia:
Membra pannis involúta
Virgo Mater álligat,
Et Dei manus, pedésque
Stricta cingit fáscia.

Sempitérna sit beátæ
Trinitáti glória,
Æqua Patri, Filióque,
Par decus Paráclyto:
Unius Triníque nomen
Laudet univérsitas. Amen.

In I. Nocturno.

Ant. Maledícta terra in ópere tuo: spinas, et tríbulos germinábit tibi.

Psalmi in I. et II. Noct. de Communi unius Mart.

Ant. Ait Jesus discípulis suis: Fílius hóminis tradétur, et damnábunt eum morte, et illúdent ei, et cónspuent eum.

Ant. Corónans coronábit te tribulatióne, quasi pilam mittet te in terram: ibi moriéris, et ibi erit currus glóriæ tuæ.

℣. Tuam Corónam spíneam adorámus, Dómine. ℟. Tuam gloriósam recólimus passiónem.

De Isaía Prophéta.

Lectio i. Cap. 53.

Quis crédidit audítui nostro? Et bráchium Dómini cui revelátum est? Et ascéndet sicut virgúltum coram eo, et sicut radix de terra sitiénti. Non est spécies ei, neque decor, et vídimus eum, et non erat aspéctus, et desiderávimus eum: despéctum, et novíssimum virórum, virum dolórum, et sciéntem infirmitátem: et quasi abscónditus vultus ejus et despéctus; unde nec reputávimus eum.

℟. Ecce vídimus eum non habéntem fáciem, neque decórem; aspéctus ejus in eo non est; hic peccáta nostra portávit, et pro nobis dolet; ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras: * Cujus livóre sanáti sumus. ℣. Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit. Cujus.

Lectio ii.

Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit; et nos putávimus eum quasi leprósum, et percússum a Deo et humiliátum. Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra; disciplína pacis nostræ

super eum; et livóre ejus sanáti sumus. Omnes nos quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam declinávit; et pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrum.

℟. Quid sunt plagæ istæ in médio mánuum tuárum? * Et dicet: His plagátus sum in domo eórum, qui diligébant me. ℣. Frámea suscitáre super pastórem meum, et super virum cohæréntem mihi. Et.

De Zacharía Prophéta.

Lectio iii. Cap. 12.

Et erit in die illa: quæram contérere omnes gentes, quæ véniunt contra Jerúsalem. Et effúndam super domum David, et super habitatóres Jerúsalem spíritum grátiæ, et precum; et aspícient ad me, quem confixérunt, et plangent eum planctu quasi super unigénitum; et dolébunt super eum, ut doléri solet in morte primogéniti. In die illa magnus erit planctus in Jerúsalem; et dicétur ei: Quid sunt plagæ istæ in médio mánuum tuárum? Et dicet: His plagátus sum in domo eórum, qui diligébant me. Frámea suscitáre super pastórem meum, et super virum cohæréntem mihi, dicit Dóminus exercítuum: pércute pastórem, et dispergéntur oves: et convértam manum meam ad párvulos.

℟. Tuam Corónam spíneam venerámur, Dómine, tuam gloriósam recólimus passiónem: * Miserére nobis, qui passus es pro nobis. ℣. Salva præséntem catérvam in tuis hódie laúdibus congregátam. Miserére nobis. Glória Patri. Miserére nobis.

In II. Nocturno.

Ant. Pro fruménto ortus est mihi tríbulus; et pro hórdeo spina.

Ant. Egredímini, et vidéte, Fíliæ Sion, Dóminum Jesum Christum in diadémate, quo coronávit illum Synagóga mater sua.

Ant. Vídimus eum, et non erat aspéctus, et quasi abscónditus vultus ejus: unde nec reputávimus eum.

℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus. ℟. Et ab insurgéntibus in me líbera me.

De Homilía S. Athanásii Epíscopi.
In Passionem Domini. Tom. 3.

Lectio iv.

Dum exuerétur Dóminus, eo ipso invisibíliter erigebátur de diábolo trophǽum; et quo illud manuféstum fieret, narrátur a Joánne, indútum fuísse púrpura, a Matthǽo vero, et Marco, chlámyde coccínea, coronámque illi ex spinis super caput esse pósitam, et cálamum in manus datum; et ita, cum eum produxíssent, génibus flexis adorásse. Miráculum novum, et incredíbile, et magnæ sine dúbio victóriæ insígne: quem enim ut hóminem condemnáverant, eum mórtuum deínde ut Deum adoravérunt; et quem aspernabántur ut vilem, et contemptíbilem, eum confitebántur regem: cui túnicam, et vestem detráxerant, eum púrpura circumdedérunt: et quem ignorántes contuméliis afficiébant, eum Prophétam étiam noléntes appellavérunt: et quem per ludíbrium, subsannationémque pulsábant, ei triumphália addidérunt ornaménta, coccíneam chlámydem, et Corónam spíneam, et cálamum.

Nam tamétsi ea quasi per contuméliam agébant, efficiebátur tamen inde, ut ab eo laténter spoliaréntur.

℟. Insurrexérunt in me viri iníqui; absque misericórdia quæsiérunt me interfícere: et non pepercérunt in fáciem meam spúere; et lánceis suis vulneravérunt me; et concússa sunt ómnia ossa mea: * Ego autem existimábam me tamquam mórtuum super terram. ℣. Effudérunt furórem suum in me, fremuérunt contra me déntibus suis. Ego.

Sermo S. Ambrósii Epíscopi.

Sermone 47. de S. Cypriano, alias 18. vel 58. vel 73.

Lectio v.

Videámus diligénter, ne ex pálmite óperis nostri non nascátur dulcédinis uva, sed fellis; ne dicátur nobis, quod Judǽis dictum est per Prophétam: Sustínui, ut fáceret uvam, fecit autem spinas, et non justítiam, sed clamórem. Quam dura condítio, ut posséssio, quæ dómino suo suavitátis fructus afférre débuit, spinárum illum asperitáte compúnxerit: hoc est, cum Judǽi Salvatórem debúerint tota fídei devotióne suscípere, spinárum eum coronavérunt passióne! Quæ coróna quidem, quantum in Judǽis est, erat injuriárum contumélia; quantum in Dómino, erat coróna virtútum. Compúngunt ergo Judǽi Dóminum, dum corónant; compúngunt, dum crucifígunt. Unde ait Scriptúra sancta: Vidébunt in quem compunxérunt.

℟. Omnes amíci mei dereliquérunt me, et prævaluérunt insidiántes mihi; trádidit me, quem diligébam: * Et terribílibus óculis plaga crudéli percutiéntes, subsannábant mihi. ℣. Inter iníquos projecérunt me, et non pepercérunt ánimæ meæ. Et terribílibus.

Lectio vi.

Igitur, fratres, vidéte, ne et nobis dicátur: Sustínui, ut fáceret uvam, fecit autem spinas: hoc est: ne spinas, quas Dómino Judǽi cruéntis imposuérunt mánibus, nos iníquis sénsibus apponámus, et compungámus eum non asperitáte séntium, sed óperum pravitáte. Sunt enim spinæ cordis, quæ verbum Dei étiam vulneráre consuevérunt; de quibus méminit in Evangélio Salvátor dicens, Semínántis semen cecidísse inter spinas, et crevísse eas, ac suffocásse quod satum est. Ergo, fratres, vidéte, ne vínea vestra non uvas, sed spinas fáciat; ne vindémia vestra non vinum áfferat, sed acétum. Quisquis enim vindémiam legit, et paupéribus non largítur, ille acétum cólligit, non vinum. Quisquis messes recóndit, et indigéntibus non minístrat, iste non alimóniæ fructus repósuit, sed tríbulos avarítiæ congregávit. Nam proptérea ait Scriptúra de terra nostra: Spinas et tríbulos germinábit tibi.

℟. Vínea mea elécta, ego te plantávi: * Quómodo convérsa es in amaritúdinem, ut me spinis coronáres? ℣. Sepívi te, et lápides elégi ex te, et ædificávi turrim. Quómodo. Glória Patri. Quómodo.

In III. Nocturno.

Ant. Graváta est super me manus tua: convérsus sum in ærúmna mea, dum confígitur spina.

Ps. ut in III. Noct. de Comm. Virg.

Ant. **Christus Jesus, splendor Patris, et figúra substántiæ ejus, portans ómnia verbo virtútis suæ, purgatiónem peccatórum fáciens, spinis coronátus apparére dignátus est.**

Ant. **Pópule meus, quid feci tibi, aut quid moléstus fui? respónde mihi. Tu imposuísti corónam spíneam cápiti meo, et arúndine percussísti.**

℣. **Deus meus, éripe me de manu peccatóris.** ℟. **Et de manu contra legem agéntis, et íniqui.**

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. Cap. 19.

In illo témpore: Apprehéndit Pilátus Jesum, et flagellávit; et mílites plecténtes corónam de spinis, imposuérunt cápiti ejus. Et réliqua.

Homilía S. **Augustíni Epíscopi.**

Tract. 116. in Joann.

Hoc Pilátus non ob áliud fecísse credéndus est, nisi ut ejus injúriis Judǽi satiáti, sufficere sibi existimárent, et usque ad ejus mortem sævíre desísterent. Ad hoc pértinet, quod idem præses cohórtem suam étiam permísit fácere, quæ sequúntur, aut fortássis et jussit, quamvis hoc Evangelísta tacúerit: dixit enim quid deínde fécerint mílites, Pilátum tamen id jussísse non dixit: Et mílites, inquit, plecténtes corónam de spinis, imposuérunt cápiti ejus, et veste purpúrea circumdedérunt eum, et veniébant ad eum, et dicébant: Ave, Rex Judæórum; et dabant ei álapas. Sic implebántur quæ de se prædíxerat Christus.

℟. **Christus passus est pro nobis, vobis relínquens exémplum, ut sequámini vestígia ejus: * Qui peccátum non fecit, nec invéntus est dolus in ore ejus.** ℣. **Qui cum maledicerétur, non maledicébat: cum paterétur, non comminabátur. Qui.**

Lectio viii.

Sic Mártyres informabántur ad ómnia, quæ persecutóri libuísset fácere, perferénda; sic, paulísper occultáta treménda poténtia, commendabátur prius imitánda patiéntia; sic regnum, quod de hoc mundo non erat, supérbum mundum non atrocitáte pugnándi, sed patiéndi humilitáte vincébat; sic illud granum multiplicándum seminabátur horríbili contumélia, ut mirábili pulluláret in glória. Exiit ergo Jesus portans corónam spíneam, et purpúreum vestiméntum, et dicit eis Pilátus: Ecce homo. Hic appáret, non ignoránte Piláto hæc a milítibus facta, sive jússerit ea, sive permíserit; illa scílicet causa, quam supra díximus, ut hæc ejus ludíbria inimíci libentíssime bíberent, et ultérius sánguinem non sitírent. Egréditur ad eos Jesus portans spíneam corónam, et purpúreum vestiméntum, non clarus império, sed plenus oppróbrio; et dícitur eis: Ecce homo. Si regi invidétis, jam párcite, quia dejéctum vidétis: flagellátus est, spinis coronátus, ludibriósa veste amíctus est, amáris convíciis illúsus est, álapis cæsus est; fervet ignomínia, frigéscat invídia; sed non frigéscit, inardéscit pótius, et incréscit.

℟. **Mílites prǽsidis suscipiéntes Jesum in prætórium, congregavé-**

runt ad eum univérsam cohórtem, et exuéntes eum, chlámydem coccíneam circumdedérunt ei; * Et plecténtes corónam de spinis, posuérunt super caput ejus. ℣. Genu flexo ante eum, illudébant ei, dicéntes: Ave, Rex Judæórum. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix. de Homilia Feriæ.

Ad Laudes

et per Horas.

Ant. 1. Mílites præsidis suscipiéntes Jesum in prætórium, congregavérunt ad eum univérsam cohórtem.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Et exuéntes eum, chlámydem coccíneam circumdedérunt ei.

3. Et plecténtes corónam de spinis, posuérunt super caput ejus, et arúndinem in déxtera ejus.

4. Et genu flexo ante eum, illudébant ei, dicéntes: Ave, Rex Judæórum.

5. Et exspuéntes in eum, accepérunt arúndinem, et percutiébant caput ejus.

Capitulum. Cant. 3.

Egredímini, et vidéte, fíliæ Sion, Regem Salomónem in diadémate, quo coronávit illum mater sua in die desponsatiónis illíus, et in die lætítiæ cordis ejus.

Hymnus.

Lustra sex qui jam perégit,
Tempus implens córporis,
Sponte líbera Redémptor
Passióni déditus,
Agnus in Crucis levátur
Immolándus stípite.

Felle potus ecce languet,
Spina, clavi, láncea
Mite corpus perforárunt,
Unda manat, et cruor:
Terra, pontus, astra, mundus
Quo lavántur flúmine!

Crux fidélis, inter omnes
Arbor una nóbilis;
Silva talem nulla profert
Fronde, flore, gérmine:
Dulce ferrum, dulce lignum
Dulce pondus sústinent.

Flecte ramos, arbor alta,
Tensa laxa víscera,
Et rigor lentéscat ille,
Quem dedit natívitas;
Et supérni membra Regis
Tende miti stípite.

Sola digna tu fuísti
Ferre mundi víctimam,
Atque portum præparáre
Arca mundo naúfrago,
Quam sacer cruor perúnxit
Fusus Agni córpore.

Sempitérna sit beátæ
Trinitáti glória,
Æqua Patri, Filióque,
Par decus Paráclyto:
Unius, Triníque nomen
Laudet univérsitas. Amen.

℣. Avertántur retrórsum et erubéscant. ℟. Qui cógitant mihi mala.

Ad Bened. Ant. Mílites índuunt Jesum púrpura, et impónunt ei plecténtes spíneam corónam; et cœpérunt salutáre eum: Ave, Rex Judæórum.

Fit commem. Feriæ.

Ad Primam.

In ℟. br. ℣. Qui passus es pro hómine.

Ad Tertiam.

Ant. Et exuéntes eum.

Capit. Egredímini. ut supra.

℟. br. Tuam Corónam spíneam * Adorámus, Dómine. Tuam Co-

rónam. ℣. Tuam gloriósam recólimus Passiónem. Adorámus. Glória Patri. Tuam Corónam.

℣. Miserére nostri, Dómine. ℟. Qui passus es pro nobis.

Ad Sextam.

Ant. **Et plecténtes.**

Capitulum. Isaiæ 53.

Vídimus eum, et non erat aspéctus, et desiderávimus eum: despéctum, et novíssimum virórum, virum dolórum, et quasi abscónditus vultus ejus, unde nec reputávimus eum.

℟. br. **Miserére nostri,* Dómine. Miserére nostri. ℣. Qui passus es pro nobis. Dñe. Glória. Miserére.**

℣. Tibi glória, tibi triúmphus, et victória. ℟. Tibi summæ laudis, et honóris Coróna.

Ad Nonam.

Ant. **Et exspuéntes.**

Capitulum. Joann. 19.

Exívit Jesus portans corónam spíneam, et purpúreum vestiméntum; et dicit eis Pilátus: Ecce homo.

℟. br. **Tibi glória, * Tibi triúmphus, et victória. Tibi glória. ℣. Tibi summæ laudis, et honóris Coróna. Tibi triúmphus. Glória Patri. Tibi glória.**

℣. Tuam Corónam spíneam venerámur, Dómine. ℟. Tuam gloriósam recólimus Passiónem.

In II. Vesperis.

Omnia ut in I. Vesperis.

Ad Magnif. Ant. **O Corónæ miránda dígnitas! mortis pœnas débitas repéllis: tu spes lapsis, fírmitas infírmis, tu restaúras corónas pérditas.**

Officia votiva de præcepto.

Feria V.

De Ss. Sacramento.

Semiduplex.

Omnia ut in Officio votivo.

Sabbato.

De Immaculata Conceptione B. M. V.

Semiduplex.

Omnia ut in Officio votivo.

De S. Januario Episc. et Mart.

Semel in mense semid.

Omnia ut supra die 16. Dec. sed Lectiones I. Nocturni de Script. occurr.

Per annum in Suffragiis.

Coñem. **S. Januarii** Episc. Mart. post Commem. Ss. Apost.

Ad Laudes. Ant. **Igne me Dómine examinásti, et non est invénta in me iníquitas: propter hoc lætátum est cor meum, et exsultávit lingua mea.**

℣. Posuísti Dómine super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Ad Vesperas. Ant. **Liberásti me Dómine a rugiéntibus præparátis ad escam, et a pressúra flammæ, quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuátus.**

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Oratio.

Majestátem tuam Dómine súpplices exorámus: ut sicut nos júgiter beáti Januárii Mártyris tui atque Pontíficis commemoratióne lætíficas, ita semper supplicatióne defféndas.

Index alphabeticus.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 19. Septembris 1889.

G. Erlenborn, Vic. in Spirit. Gener.

Sumptibus et Typis Fr. Pustet, S. Sedis Apost. et S. Rit. Congr. Typogr.

5



PROPRIUM SANCTORUM
PRO REGNO NEAPOLITANO.

PARS VERNA.

Feria VI. post Dominicam I. Quadrag.
Ss. Lanceæ et Clavorum D. N. J. Chr.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem feria.

Feria VI. post Dominicam II. Quadrag.
Ss. V Vulnerum D. N. J. Chr.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis feria VI. post Dom. III. Quadrag.

Feria VI. post Dominicam III. Quadrag.
Pretios. Sanguinis D. N. J. Chr.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis feria VI. post Dom. IV. Quadrag.

Feria VI. post Dominicam IV. Quadrag.
Sacr. Sindonis D. N. J. C.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis feria VI. post Dom. II. Quadrag.

Die 3. Februarii.
S. Blasii Episc. et Mart.

Duplex majus.

Omnia de Communi unius Mart., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Blásium Mártyrem tuum atque Pontíficem in suis perferéndis supplíciis, et in aliórum depelléndis infirmitátibus admirábilem effecísti: concéde propítius; ut illíus et in fide constántiam imitémur, et in perículis patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Commem. Feriæ.

In I. Nocturno Lectiones A **Miléto.** de Communi.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Blásius Cáppadox nóbili génere ortus, Sebáste in Cappadócia ex médico epíscopus creátus est, ut córporum curatióni animárum cura succéderet. Huic múneri cum sédulam ac piam óperam naváret, dira tempéstas in Christiános a Licínio tyránno excitáta fuit. Blásius divíno instínctu, Christi

71

consílio et exémplo in montem Argǽum se recépit, ac sese in spelúncam ábdidit, in qua rerum divinárum contemplatióni vacans, ab ipsis feris, natívæ ferititátis oblítis, quotidiánum victum accépit, et multis obséquiis cultus est.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Ibi támdiu látuit, donec ab Agricolái præsidis milítibus casu deprehénsus, inde abstráctus, et ad præsidem ductus, illíus jussu in víncula conjéctus est. Sed vinctus ipse multos, quos ejus sanctimóniæ fama accíverat, a diversórum morbórum vínculis liberávit. In his puer fuit, qui desperáta a médicis salúte, transvérsa spina faúcibus inhæréinte, ánimam agébat. Illústris sane tum córporum, tum animárum médicus, non humána, sed divína arte; non parátis a natúra remédiis, sed Christi grátia comparátis, ægros prístinæ salúti restítuit. Omni fere miraculórum génere conspícuus; nam Christi super aquas ambulántis, et Elíæ Sareptánæ víduæ annónam multiplicántis mirácula renovávit.

℟. Desidérium ánimæ.

Lectio vi.

Atrocíssimis torméntis crudelíssimi præsidis jussu cruciátus fuit: duris verbéribus cæsus, tortus in equúleo, pectínibus férreis dilaniátus, candénti loríca indútus, aliísque exquisitíssimis supplíciis afféctus est. Sed ejus fides probári quidem pótuit, non tamen vinci. Dilaceráto córpore infráctus ánimus réstitit. Tandem, victo tyránno, cápite plexus, illústre fídei testimónium Ecclésiæ relíquit, tértio Nonas Februárii, anno Christi tercentésimo décimo sexto.

℟. Stola jucunditátis.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Si quis vult. de Comm. unius Mart. 2. loco.

Lectio ix. de Homilia et commem. Feriæ in Laud.

Die 11. Februarii.

S. Castrensis Episc. et Conf.

Duplex.

Omnia de Comũni Conf. Pontificis, præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Castrénsem Pontíficem pro tuénda fídei veritáte invícta fortitúdine roborásti, et per maris undas incólumem traduxísti: concéde propítius, ut ipsíus patrocínio eámdem in fide constántiam imitáti, inter hujus vitæ fluctus tuo semper protegámur auxílio. Per Dóminum.

Commem. Feriæ.

In I. Nocturno Lectiones **Fidélis sermo.** de Communi.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Castrénsis Epíscopus in pártibus Africæ fuit témpore persecutiónis Vandálicæ. Quo témpore multi Christiáni comprehénsi sunt, quibus illáta sunt divérsa tormentórum génera, ut fidem Cathólicam negárent. Vidéntes autem ímpii satéllites, quod nec blandítiis, nec torméntis eos possent superáre, nacti vetustíssimam navem, sanctos Dei (in quibus unus erat idem beátus Castrénsis) in eam imposuérunt; quam, ut eos pélagus absorbéret facílius, armaméntis ómnibus, et rémigum

auxílio spoliárunt. At omnípotens Deus, cui est in mari via et sémita in aquis multis, mutáto órdine, eórum versútiam in sanctórum glóriam convértit mirabíliter; illi étenim, Dómino dirigénte, incólumes ad Campániæ líttora pervenérunt. ℟. Invéni David.

Lectio v.

Erant autem Castrénsis, Priscus, Támmarus, Rósius, Heraclíus, Secundínus, Adjútor, Marcus, Augústus, Elpídius, Cánion et Vindónius; qui omnes, Angelo deducénte, ad loca própria, quæ illis Christus pro salúte credéntium destináverat, pervenérunt; in quibus dispérsi, diversísque Ecclésiis præfécti, Christiánam doctrínam propagárunt. Sanctus autem Castrénsis humánas opes et fastus despíciens, in suburbáno cujúsdam urbis húmilem céllulam incóluit. Sed qui húmiles exáltat, et corda ubíque cónspicit, et qui nec civitátem super montem, nec lumen sub módio abscóndi permíttit, ab illis fínibus, a quibus expúlsus fúerat, ejus nomen prædicári constítuit. ℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Ex quo enim spíritu supérbiæ pércitus homo crudélis et ímpius, nómine Adamántius, déderat consílium, ut sancti cariósæ navi imponeréntur, quo mergeréntur in profúndum mare, ita gráviter repénte oppréssus et contráctus est, ut véluti gibbósus terram spectáre, divíno judício, cogerétur; quam pœnam támdiu sustínuit, donec, Angelo monénte, Campáno in líttore Castrénsem benígnum Antístitem convénit, cujus accépta benedictióne, ab humo sanus erígitur, ejúsque absens conjux páriter incólumis ab ália infirmitáte effícitur: et multa ália édidit mirácula. Migrávit autem beatíssimus Castrénsis ab hoc sæculo tértio Idus Februárii. Ejúsdem sacrum corpus Montem Regálem translátum, in metropolitána sub altáre capéllæ magnífici óperis ad illíus memóriam constrúctæ, honorífice cónditum, summa veneratióne cólitur. Unde insígnes ipsíus relíquiæ in Archidiœcésim Neapolitánam translátæ, in beáti Castrénsis templo óppidi Maráni, ubi præcípuus Patrónus habétur, religióse asservántur. ℟. Iste est qui.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Vigiláte.** de Comm. 2. loco.

Lectio ix. de Homilia et commem. Feriæ in Laudibus.

Die 12. Februarii.

S. Titi Episc. et Conf.

Duplex.

Omnia ut in Breviario die 6. Febr. omissa comm. S. Dorotheæ Virg. Mart.

Die 13. Februarii.

(Dies fix. e 14. Januarii.)

S. Hilarii Ep. Conf. et Eccl. Doct.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pontif., præter sequentia. **(m. t. v.)**

In utrisque Vesp. ad Magnif. Ant. **O Doctor óptime.** ℣. **Amávit eum.**

Oratio.

Deus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum Hilárium minístrum tribuísti: præsta quǽsumus; ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cœlis. Per Dóminum.

Commem. Feriæ.

In I. Nocturno Lect. **Sapiéntiam.** de Communi.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Hilárius in Aquitánia nóbili género natus, doctrína et eloquéntia excélluit. Qui primum in matrimónio quasi mónachi vitam egit: deínde propter singuláres virtútes Pictavórum epíscopus creátur: quod munus episcopále sic gessit, ut a fidélibus summam laudem consequerétur. Quo témpore, cum terróribus, bonórum spoliatióne, exsílio, et omni crudelitáte Constántius imperátor Cathólicos vexáret, nisi ad Ariánas partes transírent: Hilárius tamquam firmíssimum murum se Ariánis oppónens, illórum furórem in se concitávit. Itaque multis petítus insídiis, tandem dolo Saturníni Arelaténsis epíscopi, de sýnodo Biterrénsi in Phrýgiam relegátus est: ubi et mórtuum suscitávit, et libros duódecim scripsit de Trinitáte contra Ariános.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Quadriénnio post coácto concílio ad Seleucíam Isaúriæ urbem, Hilárius adésse compúlsus est: ac deínde Constantinópolim proféctus, ubi extrémum fídei perículum animadvértit, tribus libéllis públice datis, audiéntiam imperatóris popóscit, ut de fide cum adversáriis coram disputáret. Verum cum Ursácius et Valens Ariáni epíscopi, quos Hilárius scriptis confutárat, præséntis eruditiónem pertiméscerent, Constántio persuasérunt, ut spécie honóris eum in suum episcopátum restitúeret. Tunc Hilárium e prælio hæreticórum reverténtem, ut inquit sanctus Hierónymus, Galliárum ecclésia compléxa est: quem ad episcopátum secútus est Martínus, qui póstea Turonénsi præfuit ecclésiæ: tantúmque illo doctóre profécit, quantum ejus póstea sánctitas declarávit.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Magna deínceps tranquillitáte Pictavórum ecclésiam administrávit: Galliámque univérsam addúxit, ut Arianórum impietátem condemnáret. Multos libros scripsit mira eruditióne: quos omnes sanctus Hierónymus ad Lætam, sine ulla erróris suspicióne legi posse testátur illis verbis: Hilárii libros inofflénso decúrrat pede. Migrávit in cœlum Idibus Januárii, Valentiniáno et Valénte imperatóribus, anno post Christum natum trecentésimo sexagésimo nono. Eum a multis Pátribus et concíliis insígnem Ecclésiæ Doctórem nuncupátum, atque uti talem in áliquot diœcésibus cultum, tandem instánte sýnodo Burdigalénsi Pius nonus Póntifex Máximus, ex sacrórum Rítuum Congregatiónis consúlto, universális Ecclésiæ Doctórem declarávit et confirmávit, ac ipsíus festo die Missam et Offícium de Doctóribus ab ómnibus recitári jussit.

℟. Iste est qui.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Vos estis sal.** de Comm. Doct. 2. loco.

Lect. ix. de Homil. et comm. Feriæ in Laud.

Die 14. Februarii.

S. Nostriani Episc. et Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pontif., præter sequentia.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui beátum Nostriánum Confessórem tuum atque Pontíficem advérsus fídei hostes invíctæ fortitúdinis róbore illustráre dignátus es: concéde propítius; ut eódem nos spíritu repléti, ab ómnium hóstium insídiis misericórditer liberémur. Qui vivis.

Com̃em. Feriæ et S. Valentini Presb. et Mart.

In I. Nocturno Lectiones **Fidélis sermo.** de Communi 1. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Nostriánus Neapolitánus epíscopus eo témpore suam rexit ecclésiam, quo in Campánia, diris barbarórum cópiis exagitáta, Pelagiána hæresis grassabátur. At sanctus præsul una cum beáto Próspero Aquitáno, quem Leo primus Summus Póntifex ad deléndam hæresim in Campániam míserat, tanta desudávit cura et vigilántia in fide tuénda ab hæreticórum conátibus, ut eórum audáciam pénitus contúderit. Ex nefário eórum grege quidam eminébat nómine Florus, qui seductiónis spíritu abréptus, dictitábat se esse prædítum virtúte ac mérito beáti Sósii, qui præclaríssimo Mártyri Januário in passióne comes fúerat, ut pópulum christifidélem dementáret, et ad errórem amplecténdum allíceret. Huic sermóne et ópere ita réstitit Nostriánus, ut étiam per fratrem suum, qui tunc témporis in Campánia prætório múnere fungebátur, ab ejus fínibus ipsum ejécerit. ℟. **Invéni David.**

Lectio v.

Una cum fídei stúdio cáritas Christi veheménter urgébat Nostriánum, qui ejúsdem fídei confessóres, inter quos sanctos epíscopos Cartháginis et Bithýniæ Quodvúltdeum et Gaudiósum, Vandalórum Arianórum immanitáte ex Africa depúlsos, hospítio recépit, expénsis fovit curísque ómnibus sublevávit. Cum autem per septémdecim annos fidélibus sibi commíssis exémplo fuísset in doctrína, in conversatióne, in castitáte, in gravitáte, in bonis opéribus, sancto fine quiévit sǽculo quinto verténte, et in crypta cœmetérii sancti Gaudiósi sepúltus est.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Dehinc décimo prope exeúnte sǽculo sancti præsulis Nostriáni corpus ex eo cœmetério translátum est in ædem sancto Januário sacram ad diaconíam, quæ sita est in platéa ex ipsíus Nostriáni nómine olim nuncupáta, quia ibi sanctus hic præsul bálneum constrúxerat, more eórum témporum ut fidélium inservíret commoditáti, ántequam in ecclésiam convenírent. In dicta vero sancti Januárii æde subtus altáre majus cónditæ fuére beáti Nostriáni exúviæ; ubi plúribus elápsis sǽculis latuére usque ad annum millésimum sexcentésimum décimum secúndum. Tunc ex insperáto invéntæ ádeo suávem diffudére odórem, ut cœléstem pótius quam

humánum astántes autumáverint. Quare cleri populíque postulatiónibus prístinus sancti Nostriáni cultus, qui témporum diuturnitáte pene exoléverat, sacris offíciis in ejus festo cohonestátus est. Leo autem décimus tértius Póntifex máximus cultum ipsum a Neapolitánis cívibus antístiti suo Nostriáno ab immemorábili témpore exhíbitum ex sacrórum Rítuum Congregatiónis consúlto, approbávit et confirmávit, ejúsque festum cum Offício et Missa sub ritu dúplici a clero Neapolitánæ archidiœcésis quotánnis celebrándum benígne indúlsit. ℟. Iste est qui.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Vigiláte.** de Communi 2. loco.

Lectio ix. de Homilia et commem. Feriæ in Laudibus.

Die 15. Februarii.

S. Petri Nolasci Confessoris.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter sequentia. **(m. t. v.)**

Oratio.

Deus, qui in tuæ caritátis exémplum, ad fidélium redemptiónem sanctum Petrum Ecclésiam tuam nova prole fœcundáre divínitus docuísti: ipsíus nobis intercessióne concéde; a peccáti servitúte solútis, in cœlésti pátria perpétua libertáte gaudére: Qui vivis.

Commem. Feriæ et Ss. Martyrum.

In I. Nocturno Lect. **Beátus vir.** de Communi 2. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Petrus Noláscus, Recaúdi prope Carcasónam in Gállia nóbili génere natus, singulári erga próximum caritáte excélluit. Cujus virtútis præságium fuit; quod, cum adhuc in cunábulis vagíret infans, exámen apum ad eum convolávit, et favum mellis in ejus déxtera constrúxit. Adoléscens paréntibus orbátus, Albigénsium hæresim, quæ tunc in Gállia grassabátur, éxsecrans, divéndito património, in Hispániam secéssit; et apud beátam Vírginem montis Serráti votum, quo pridem se obstrínxerat, exsólvit. Tum Barcinónam pergens, cum Christi fidélibus ab hóstium servitúte rediméndis omnem pecúniam consumpsísset, seípsum pro iis liberándis venum ire, aut in illórum víncula súffici cúpere dictitábat.

℟. **Honéstum fecit.**

Lectio v.

Quam gratum Deo fúerit hoc sancti viri desidérium, súbsequens declarávit evéntus: nam noctu oránti, et de Christianórum in captivitáte degéntium subsídio multa ánimo volvénti beáta Virgo appárens, Fílio suo sibíque acceptíssimum fore suggéssit, si ad sui honórem religiosórum ordo instituerétur, quibus præcípue esset cura captívos ab infidélium tyránnide liberáre. Huic cœlésti mónito íllico obtémperans, una cum sancto Raymúndo de Péñafort, et Jacóbo primo, rege Aragóniæ, de eádem re a Dei Genitríce ipsa nocte præmónitis, religiónem beátæ Maríæ de Mercéde Redemptiónis Captivórum instítuit: sodálibus suis quarto voto obstríctis, manéndi in pignus sub paganórum potestáte, si pro Christianórum liberatióne opus fúerit.

℟. **Amávit eum.**

Lectio vi.

Edito virginitátis voto, illibátam perpétuo castitátem servávit. Patiéntia, humilitáte, abstinéntia, ceterísque virtútibus mirabíliter enítuit. Prophetíæ dono illústris, futúra prædíxit: inter quæ máxime celebrátur, quod Jacóbus rex Valéntiam a Mauris occupátam expugnáverit, accépta prius ab eo obtinéndæ victóriæ securitáte. Angeli Custódis, ac Deíparæ Vírginis, frequénti apparitióne recreabátur. Sénio tandem conféctus, de imminénti morte cértior factus, in morbum íncidit, sanctísque reféctus sacraméntis, fratres suos ad caritátem erga captívos cohortátus, et Psalmum, Confitébor tibi Dómine in toto corde meo, devotíssime récitans, ad illa verba, Redemptiónem misit Dóminus pópulo suo, spíritum Deo réddidit média nocte Vigíliæ Nativitátis Dómini, anno millésimo ducentésimo quinquagésimo sexto. Cujus festivitátem Alexánder séptimus die trigésima prima Januárii celebrári præcépit.

℟. Iste homo.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Nolíte timére. de eodem Com̃. 2. loco. Lectio ix. de Homilia et commem. Feriæ in Laudibus.

Die 16. Februarii.

S. Julianæ Virg. et Martyris.

Duplex.

Omnia de Communi Virg., præter sequentia.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui infírma mundi éligis ut fórtia quæque confúndas, concéde propítius; ut, qui beátæ Juliánæ Vírginis et Mártyris tuæ solémnia cólimus; ejus apud te patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones De virgínibus. de Communi Virg.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Juliána nobilíssima Nicomediénsis Virgo, témpore Maximiáni Imperatóris a patre cuídam senatóri Eleúsio desponsáta, numquam pótuit neque blandítiis neque minis addúci, ut sponsum acceptáret, nisi is Deum adoráret quem ipsa adórat, et cóleret Dóminum quem ipsa colit. Proptérea a patre gráviter cæsa, ipsi sponso torméntis affligénda egrégia virgo tráditur, quæ mox a quátuor locis exténsa, áridis quidem nervis, virídibus autem vimínibus diu capíllis in equúleo suspénsa, verberátur.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Magna ítaque diéi parte pendens, propter violéntam extensiónem pellis a cápite Vírginis evéllitur, et super frontem trahúntur supercília: ipsa vero hílari ánimo súfferens ómnia et lætabúnda benedícens semper Dóminum, cera liquefácta toto córpore perfúnditur, sed illæsa evádens in cárcerem tráditur, ubi palam cum diábolo egrégie conflíxit. Póstera die e cárcere edúcta in fornácem ardéntem injícitur, sed terríbilis flamma, piis Vírginis lácrimis, cum indicíbili spectántis pópuli admiratióne exstínguitur.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Eo miráculo commóti viri número círciter quingénti, una

voce et mente exclamavére: unus est Deus, unus, qui est Deus Mártyris Juliánæ, quos et secútæ sunt centum et trigínta mulíeres. Súperans tandem ollam fervéntem, gloriósa victrix Juliána cápite pléctitur, cujus ánima cœlos in ætérnum triumphatúra conscéndit. Corpus vero Cumas transportátum, ea civitáte evérsa, Neápolim translátum in Ecclésia sanctimoniálium beátæ Dei Genitrícis Vírginis Maríæ de Domna Romáta religiosíssime repósitum est.

℟. Afferéntur Regi.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Símile erit regnum cœlórum.** de Communi 1. loco.

Lectio ix. de Homilia et commem. Feriæ in Laudibus.

Die 17. Februarii.

Ss. XXVI Mart. Japonensium.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis die 5. Febr.

Die 18. Februarii.

S. Canuti Reg. et Martyris.

Semiduplex ad libitum.

Omnia de Communi unius Mart., præter sequ.

Ant. Iste sanctus. ℣. Glória et.

Oratio.

Deus, qui ad illustrándam Ecclésiam tuam, beátum Canútum regem martýrii palma et gloriósis miráculis decoráre dignátus es: concéde propítius; ut, sicut ipse Domínicæ passiónis imitátor fuit, ita nos per ejus vestígia gradiéntes, ad gaúdia sempitérna perveníre mereámur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Commem. Feriæ.

In I. Nocturno Lectiones **Fratres: Debitóres.** de Comm. plurim. Mart. cum ℟℟. unius Mart.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Canútus quartus, Suenónis Esthrítii Danórum regis fílius, fide, pietáte et morum honestáte conspícuus, exímiæ sanctitátis a téneris annis spécimen dedit. Patérnum sceptrum summa ómnium acclamatióne adéptus, religióni promovéndæ sédulo incúmbere, ecclésias redítibus augére, et pretiósa supelléctili ornáre cœpit. Tum zelo propagándæ fídei succénsus, bárbara regna justo certámine aggréssus, devíctas subditásque natiónes christiánæ legi subjugávit. Victóriis autem plúrimis gloriósus, et divítiis auctus, regále diadéma ad Christi crucifíxi pedes abjécit, se et regnum illi subjíciens, qui Rex regum est, et Dóminus dominántium. Corpus suum jejúniis, cilíciis et flagéllis castigávit. In oratióne et contemplatióne assíduus, erga paúperes profúsus, erga omnes benéficus semper fuit: nec umquam a justítiæ divinǽque legis sémita defléxit.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

His alíisque virtútibus imbútus, ad suprémum perfectiónis ápicem sanctus rex properábat. Accidit autem ut Angliæ regnum a Wilhélmo Normannórum duce, formidábili exércitu invaderétur. Anglis vero, Danórum opem implorántibus, cum succúrrere rex decrevísset, belli expeditiónem Oláo fratri commísit. Qui regnándi cupiditáte illéctus, arma vertit in

regis perníciem, milítibus et pópulo contra illum concitátis. Nec defuérunt rebellióni fleménta. Cum enim rex, éditis légibus, décimas ecclésiis solvi, Dei et Ecclésiæ præcépta servári, transgressóres puníri sanxísset, pleríque pervérsi ac sceleráti hómines exacerbáti, primum quidem tumultuári, tum plebem commovére, ac tandem sanctíssimo regi necem molíri cœpérunt.

℟. Desidérium ánimæ.

Lectio vi.

Sciens ígitur rex, futurórum præscius, mortem sibi propter justítiam imminére; ea prænuntiáta, ad ecclésiam sancti Albáni Mártyris Othóniæ, tamquam ad locum certáminis, proféctus est: et sacraméntis munítus, agónem suum Dómino commendábat. Mox ibi advéniens conjuratórum multitúdo, ecclésiæ ignem admovére, fores confríngere et in eam irrúmpere tentárunt. Quod cum perfícere non possent, ad fenéstras accedéntes, saxa et sagíttas in sanctum regem, flexis génibus pro inimícis orántem, magno ímpetu juculári non cessárunt: donec lápidum et telórum íctibus, ac tandem láncea confóssus, glorióso martýrio, ante altáre exténsis bráchiis procúmbens, coronátus est, sedénte in apostólico throno Gregório séptimo. Multis póstea miráculis Mártyrem suum illustrávit Deus. Nam gravi penúria et divérsis calamitátibus oppréssa Dánia, patráti sacrilégii pœnas luit. Plures étiam váriis languóribus afflícti, ad ejus túmulum remédium et incolumitátem consecúti sunt. Cumque regína sacrum ejus corpus noctu clam surrípere, et álio transférre conarétur, emísso cœlitus ingénti splendóre pertérrita, a propósito cessávit. ℟. Stola jucunditátis.

In III. Nocturno Homil. in Evang. Si quis vult. de eodem Comm. 2. loco.

Lectio ix. de Homilia et commem. Feriæ in Laud.

Die 19. Februarii.

S. Juliani Episc. et Conf.

Semiduplex.

Omnia de Communi Conf. Pont., præter sequentia. (m. t. v.)

Oratio.

Excita, quǽsumus Dómine, in pópulo tuo spíritum caritátis, quo beátum Juliánum Confessórem tuum atque Pontíficem replére dignátus es: et concéde; ut cujus festivitátem celebrámus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum nostrum.

Commem. Feriæ.

In I. Nocturno Lectiones **Fidélis sermo.** de Communi.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Juliánus, ecclésiæ Conchénsis epíscopus, Burgis piis et honéstis paréntibus natus est. Ejus ortum præclára illíus sanctitátis et episcopális dignitátis signa divínitus data nobilitárunt. Nam ádeo formósus et pulcher in lucem éditus est, ut omnes intuéntes os ejus, cœlésti quodam fulgóre perfúsum admiraréntur. Multo magis vero, cum puer grándior palam super fontem baptismálem támdiu visus est mitra et báculo episcopálibus insígnibus ornátus, dum astántes admónuit, ut infánti Juliáni nomen impónerent. Póstea

pie sanctéque educátus, liberalibúsque disciplínis appríme erudítus, theologíæ óperam dedit, in qua plúrimum profécit. Itaque probátæ vitæ exémplo, et divíni verbi prædicatióne toti Hispániæ mirándum in modum prófuit. Archidiáconi dignitáte in ecclésia Toletána ornátus, ab Alphónso deínceps nono Castéllæ rege episcopále munus suscípere coáctus est, quod summa cum laude obívit.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Vere pater paúperum fuit: quippe qui egéntium, viduárum et pupillórum inópiam pecúnia et áliis pietátis offíciis sublevávit. Réditus ecclésiæ suæ tum sublevándis míseris, tum instaurándis ornandísque templis insúmpsit: ipse ténui victu conténtus, quem labóre mánuum suárum comparábat. In oratióne assíduus erat: cujus vi, patérna caritáte ardens, multa et magna pro salúte pópuli a Deo impetrávit. Quorum illa in primis illústria: cum aliquándo tota província rei frumentáriæ laboráret inópia, nec quidquam ámplius in episcopátus hórreis superésset, pópuli calamitátem miserátus, preces cum lácrimis ad Deum fudit. Tunc plúrimum trítici ad ædes sancti epíscopi a permúltis juméntis comportátum est, quæ depósito ónere evanuérunt. Cumque item dira in pópulum lues grassarétur, sancti epíscopi oratióne sedáta est. Multos quoque, váriis insanabílium morbórum genéribus affèctos, in sanitátem restítuit.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Super gregem suum tamquam bonus et sédulus pastor diligentíssime vigilávit: lupos arcens ab óvibus, et oves pascens verbo vitæ, cibum cuíque tríbuens pro captu congruéntem. Corpus suum jejúniis assídue castígans, seípsum bonórum óperum exémplar ómnibus præbuit. Dénique, cum annos fere octogínta máxima cum sanctitáte vixísset, plenus diérum atque virtútum, in senectúte bona migrávit ad Dóminum, quinto Kaléndas Februárii, anno millésimo ducentésimo octávo: et honorífice in ecclésia sua sepúltus, post mortem quoque miraculórum glória clarus, magna pópuli veneratióne cólitur. Anno póstmodum millésimo quingentésimo décimo octávo, Leóne décimo Pontífice Máximo, corpus ejus e sacéllo, ubi multos jacúerat annos, effóssum, ad locum prope aram máximam magnífice exornátum, tértio Idus Aprílis solémni pompa ac máxima celebritáte translátum est. Commemoratiónis ejus quoque festívitas Nonis Septémbris, ex Júlii tértii Sumi Pontíficis concessióne, recólitur.

℟. Iste est qui.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 6. c.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte thesaurizáre vobis thesaúros in terra, ubi ærúgo, et tínea demolítur, et ubi fures effódiunt et furántur. Et réliqua.

Homilía sancti Petri Chrysólogi.

Serm. 8. de jejunio et eleemosyna, circa medium.

Thesaúrus cœli est manus paúperis: quod súscipit, ne in terra péreat; et repónit in cœlum. Manus paúperis est gazophylácium Christi, quia quidquid pauper áccipit, Christus accéptat. Da ergo homo paúperi terram, ut accípias cœlum: da nummum, ut accípias regnum: da paúperi, ut des tibi: quidquid paúperi déderis, tu habébis: quod paúperi non déderis, habébit alter. Clamat Deus: Misericórdiam volo. Qui, quod vult Deus, Deo negat, a Deo sibi, quod desíderat, vult negári. Homo, petit Deus, sed tibi, non sibi: humánam misericórdiam petit, ut largiátur divínam. Est in cœlis misericórdia, ad quam per terrénas misericórdias pervenítur.

℟. Amávit eum.

Lectio viii.

Dictúrus causam in judício Dei, patrónam tibi misericórdiam, per quam liberári possis, assúme. Qui de patrocínio misericórdiæ certus est, de vénia sit secúrus, de absolutióne non dúbitet. Misericórdia non solum causam prævenit, antícipat cognitórem: sed étiam senténtiam révocat, absólvit addíctos. Quod Ninivítæ probant, quos jam senténtiæ subjéctos, pœnæ tráditos, ad víctimam stantes, morti déditos, misericórdia sic rápuit, sic ténuit, sic prævénit, ut malúerit Deus dedúci senténtiam, ne misericórdiæ quid negáret. Fratres, per misericórdias paúperum misericórdiam parémus, ut possímus esse de pœna líberi, de salúte secúri. Beáti, inquit, misericórdes, quia ipsi misericórdiam consequéntur. Gratis misericórdiam sperat ibi, qui hic non fécerit misericórdiam.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix. de Homilia et commem. Feriæ in Laudibus.

Die 20. Februarii.

B. Ægidii Mariæ a S. Josepho

Confess. I. Ord.

Duplex majus.

Omnia de Communi Conf. non Pont., præter sequ.

Oratio.

Deus, qui cum simplícibus lóqueris, et humílibus grátiam præbes: da nobis quǽsumus, suffragántibus méritis et exémplis beáti Ægídii Maríæ Confessóris tui; ut abjiciéntes omnem malítiam, tibi in simplicitáte cordis et humilitáte placeámus. Per Dñm.

In I. Nocturno Lectiones **Beátus vir.** de Communi 2. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Aegídius María a sancto Josépho, parvo sub lari Tarénti natus, jam a téneris annis peculiárem porténdere visus est sanctitátem. A solátiis aliénus, quibus proclívis est puerílis ætas, alte servábat in corde quæ de timóre Dómini, et de sanctis præcéptis ejus audíerat; ac brevi in eo fides, quæ per dilectiónem operátur, suos édidit fructus. Paréntum obséquio, non suópte ingénio se dírigens, addiscéndæ arti fuit assíduus, cui jussu patris se déderat; et quidquid témporis a labóre su-

pérerat orándo impendébat. Ita coæquáles, qui eum nóverant símplicem, et innocéntem, ad sui imitatiónem pertráxit. Mane adésse sacro, vésperi sanctíssimam Eucharístiam adoráre consuévit, quam étiam devóte comitári, cum ad infírmos deferebátur, in delíciis hábuit. Sodalítio adscríptus, cui a Rosário beátæ Vírginis nomen erat, admiratiónem confrátrum in se convértit, qui ab eo præclára ducébant exémpla virtútum.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Adhuc adoléscens, amísso patre, commendátam sibi curam matris et trium fratrum natu minórum suscépit, idque tanto cum afféctu et ingeminátis labóribus egit, ut famíliæ necessária vitæ suppeditáret, imo aléndis céteris paupéribus partem quotidiáni panis sibi detráheret. Verum post áliquot annos ab hujúsmodi ónere exémptus, eníxius institit precatiónibus, quo a Deo dignósceret, cuínam potíssimum perfectiónis vitæ géneri se dedicáret. Intellécta divína voluntáte per visum in somnis sancti Petri de Alcántara et sancti Paschális Baylon, Seráphicum Ordinem in Alcantarénsi Galátones convéntu provínciæ Lyciénsis inter fratres láicos ampléxus est, ubi sanctíssime tyrocínium pósuit, et vota solémnia vigésimo quinto suæ ætátis anno nuncupávit.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

Transmíssus non sine divíno consílio ad Neapolitánum cœnóbium sancti Paschális, perréxit alácriter vias Dómini ambuláre; et in simplicitáte morum, cordis mundítia, sui abnegatióne, oratiónis ac pœniténtiæ stúdio, ac benéfica et miti caritáte, eam charísmatum cópiam et vim supra natúram adéptus est, ut passim Thaumatúrgi nómine condecorári merúerit. Et quóniam in ea íncidit témpora veheménter cathólicæ fídei ærumnósa ob rerum publicárum subversiónem, et defectiónem multórum, ídeo hunc fámulum suum mundo contemptíbilem elégit Deus, ut in amplíssima Neapolitána Civitáte bonos in sancta religióne confirmáret, mundi sapiéntes confúnderet, et desidéria iniquitátis frustrarétur. Huic fidelíssimo servo suo ínsuper Deus diuturnitátem áddidit vitæ, ac mortem pretiosíssimam, quæ cóntigit die séptima Februárii anni millésimi octingentésimi duodécimi, ingéntem sanctitátis famam, et sepúlchrum miráculis gloriósum. Quibus comprobátis, Leo décimus tértius Póntifex Máximus anno quinquagésimo sui Sacerdótii inter beátos cœlites cum Christo regnántes eum solémniter accénsuit. ℟. Iste homo.

In III. Noct. Lect. de Homilia in Evang. Nolíte timére. de Comm. 2. loco.

Die 26. Februarii.

S. Margaritæ de Cortona.

Semiduplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 5. Martii.

S. Joannis Josephi a Cruce

Confessoris.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 18. Martii.

S. Gabriëlis Archangeli.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 5. Aprilis.

Translationis

S. Athanasii Episc. et Conf.

Semiduplex. **(m. t. v.)**

Omnia de Communi Conf. Pont., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui in Translatióne sancti Athanásii Confessóris atque Pontíficis pópuli tui mœstítiam in gaúdium commutásti: concéde propítius; ut ipso interveniénte, a præséntis vitæ luctu ad ætérnæ pátriæ lætítiam transférri mereámur. Per Dóminum nostrum.

In I. Nocturno Lect. **Laudémus viros gloriósos.** de Communi 2. loco; extra Quadragesimam de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Sancti Athanásii Neapolitáni antístitis corpus, quinto jam a depositióne anno, Cassíno in monte quiescébat in basílica sancti Benedícti, ubi miráculis incláruit. Neápoli autem dux Sérgius júnior ejus ex fratre nepos, qui sanctum antístitem nímium vexáverat, adhuc res omnes susdéque vertébat. Succésserat Athanásio in Neapolitánam cáthedram Athanásius alter, Sérgii frater, qui magni præsulis corpus diútius extra urbem suam immorári non est passus, fratrísque iram haud véritus Bonum presbýterum tresque subdiáconos Cassínum misit, qui Athanásii corpus repéterent, ac Neápolim, solémni indícta supplicatióne, reférrent.

℟. **Invéni David.**

Lectio v.

Illi ubi Cassínum pervenérunt, sanctásque relíquias expostulárunt, sanctus Berthárius abbas et mónachi in primis obniténtes, póstea cessérunt. Noctu Athanásius ipse Bonum presbýterum, dum sopíret, per visum ácriter mónuit, ut corpus suum festináret Neápolim quam cítius transférre. Ille somno excitátus sociíque cum mónachis templum ingréssi, effósso sepúlchro, corpus suávi fragrans odóre, ádeo íntegrum et incorrúptum invenérunt, ut ne capíllus quidem cápitis vel barbæ deflúxerit. Quod in génua procidéntes ac effúsi in lácrimas veneráti, mox ingénti lætítia psalléntes secum detulérunt, et magna pópuli frequéntia undequáque coácti Atéllas usque celérrime veniéntes, in ecclésia sancti Elpídii deposuérunt, misso Neápolim núntio.

℟. **Pósui adjutórium.**

Lectio vi.

Intérea Athanásius júnior cum sacerdótum ac monachórum collégiis, non ab urbe solum sed et ab univérsa Libúria accítis, occúrrere veniéntibus festinávit. Cum sacrum corpus Grumum pervenísset, obséssus quidam a dǽmone invítus sub féretrum impúlsus íllico liberátur. Mox Clivum descendéntes in templo sancti Petri substitérunt. Illuc Athanásius júnior omnísque clerus, optimátes urbis ac ingens cívium multitúdo obveniéntes, ubi primum emórtui Pon-

tíficis ac Patris sui corpus aspexérunt, per íntegram fere horam in fletus convérsi sunt; tum levántes sacrum pignus Neápolim intulérunt; medióque itínere múlier ægritúdine jámdiu labórans, tacto vix féretro, sanitáti restitúta est. Tandem in ǽdibus sancti Januárii prope túmulum sancti Joánnis Scribæ decessóris ac nutritóris ejus solémni pompa sepeliérunt, anno Dómini octingentésimo septuagésimo séptimo, ibíque plúrimis miráculis coruscávit. Nunc sancti Athanásii corpus in ejus sacéllo in templo cathedráli máxima veneratióne cólitur, caput vero argénteo simulácro inclúsum in sancti Januárii thesaúro asservátur; translatiónis autem festum Nonis Aprílis ágitur. Et Leo tértius décimus Póntifex máximus vota Guillélmi archipræsulis Neapolitáni excípiens, hujus translatiónis festum in univérsa sua diœcési sub ritu dúplici cum Offício et Missa própriis récoli indúlsit. ℟. Iste est qui.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Vigiláte.** de Communi 2. loco.

Die 6. Aprilis.

S. Vincentii Ferrerii Confess. Patr. Neap.

Duplex majus.

Omnia ut in Breviario die 5. hujus, sed Lect. I. Noct. **Beátus vir.** de Comm. 1. loco.

Die 7. Aprilis.

B. Julianæ Cornelion. Virg.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis die 5. Aprilis.

Die 24. Aprilis.

S. Boni Latronis.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 26. Aprilis.

B. Mariæ V. de Bono Consilio.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 27. Aprilis.

S. Mariæ Ægyptiacæ Patronæ Neapolitanæ.

Duplex majus.

Omnia de Communi nec Virg. nec Mart., præter sequ.

Oratio.

Clementíssime Deus, qui omnipoténtiam tuam parcéndo máxime, et miserándo maniféstas: multíplica super nos misericórdiam tuam; ut intercedénte beáta María, quos delictórum caténa constríngit, miserátio tuæ pietátis cleménter absólvat. Per Dñm.

In I. Nocturno Lectiones **Mulíerem fortem.** de Communi.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

María Ægyptíaca in ipso juventútis flore paréntum disciplínam et affectum contémnens, ætátis anno duodécimo in Alexandríæ urbem clánculum profúgit. Annis septémdecim illic impudíce transáctis, videns Lybiórum et Ægyptiórum plúrimos in festo Exaltatiónis, Christi crucem veneratúros, Hierosólymam conscéndere, cum eísdem profécta, neque in itínere, neque in sancta civitáte quidquam suæ intempe-

rántiæ remísit. Ubi vero sibi illíus festivitátis diem cum réliquis peregrínis ecclésiam íngredi sæpe perténtat, divína virtúte semper repúlsa, cœpit cogitáre, unde in tam líbero aliórum ingréssu sibi tóties negarétur intróitus.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Itaque in átrio templi divínitus edócta, propter peccatórum sordes se ab aspéctu sanctæ crucis arcéri, corde compúncta, beátæ Maríæ Vírginis, cujus imáginem ibídem conspéxit, suffrágia suspíriis et lácrimis implorávit, fírmiter promíttens anteáctæ vitæ pœniténtiam. Hac melióris vitæ data sponsióne, intra templum recípitur, sacrosánctum crucis lignum adórat, et divína próspicit arcána, per quæ docétur, quanta sit píetas Dei erga pœniténtes. In átrium regréssa, eámdem Dei Genitrícem rogans, ut pœniténtiæ modum et locum præscríbat, vocem audit suadéntis, ut Jordánis flumen pertránseat. Itíneri extémplo accíncta, tres nummos a quodam pertranseúnte accépit, quibus tótidem panes comparávit.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Sanctíssimis sacraméntis in ecclésia sancti Joánnis Baptístæ ad ripam flúminis muníta, sumpto panis dimídio, in vastam solitúdinem trans Jordánem se recépit, ubi réliquo pane, crudísque herbis annis quadragínta septem sub inténso solis ardóre, et híemis incleméntia, absque ullo córporis teguménto victitávit. Mirum quot dæmoniórum insídias et ánimi perturbatiónes invícta sustínuit. Visa tandem a Zósima abbáte, viro sanctíssimo, per eámdem solitúdinem aberránte, curávit ei omnem vitæ suæ ratiónem enarráre. Mirábili tunc consolatióne repléta, mortis præscia, ad ejus monastérium, ámbulans super aquas Jordánis, accéssit; ubi sacrosánctis refécta sacraméntis, in solitúdinem regréssa, sancto fine quiévit. Illíus corpus, ministério leónis terram effodiéntis, Zósimas sepelívit ejúsque vitam et mortem ómnibus propalávit; quam sanctus Sophrónius patriárcha Hierosolymitánus gráviter conscrípsit.

℟. Fallax grátia.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Símile est regnum cœlórum thesaúro.** ut in Communi.

Die 30. Aprilis.

S. Severi Ep. et Conf. Patr. Neap.

Duplex majus.

Omnia de Communi Conf. Pont., præter sequ.

Oratio.

Dómine Deus omnípotens, qui beátum Sevérum, Confessórem tuum atque Pontíficem, ita mirábilem effecísti, ut ad veritátis testimónium mórtuum de sepúlchro revocáverit: da, quǽsumus; ut ipsíus intercessióne majestáti tuæ fidéliter serviámus. Per Dñm.

In I. Nocturno Lect. **Fidélis sermo.** ut in eodem Communi.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Sevérus Neapolitánus post beátum Máximum pátriæ præfícitur præsul. Eo in múnere máxima sanctitátis arguménta, vir-

tutúmque præ se tulit. Sancto Ambrósio Mediolanénsi, a quo accépit epístolam, caríssimus; immo éthnicis ipsis, teste Sýmmacho, christiánæ religiónis alióqui inténso, máxime laudábilis. Multas Neápoli constrúxit basílicas, illámque præcípue extra mœnia, divo Januário sacram, in qua corpus ipsíus beatíssimi Præsulis et Mártyris ex Marciáno translátum, própriis cóndidit mánibus: mortísque non ímmemor, sibi adhuc vivens cónstrui mandávit sepúlchrum.

℟. **Invéni David.**

Lectio v.

Multa prætérea sanctus epíscopus admiránda édidit; quorum illud máxime memorándum, quod cum falsus créditor multum pecúniæ a quadam vídua repéteret, quod a defúncto ejúsdem maríto sibi débitum mentiebátur, ideóque mater illa cum fíliis servitúti esset addicénda, Sevérus re cógnita commiseratióne permótus, accersítum mendácem illum, una cum clero, aliísque multis, ad locum, in quo defúnctus jámdiu jacúerat, secum duxit: et post preces magna cum fide ad Deum profúsas, mórtuum revocávit; qui statim redivívus, se pecúniam ullam debére negávit; quo dicto, íterum obdormívit. Verum sanctus antístes, étiam in hunc sceléstum pius, vétuit ne ob hoc mendácii crimen mali áliquid paterétur.

℟. **Pósui adjutórium.**

Lectio vi.

Tot, tantísque caritátis ac pietátis opéribus plenus, gravem in morbum íncidit. Morti propínquus conciliávit Deo anathémate sejúnctos; peractísque sacris mystériis in ejus conclávi a cuncto clero ad id convocáto, ipse in oratióne defíxus. Ubi sunt, inquit, fratres mei? Tunc qui áderant arbitrántes, sanctum epíscopum diáconos accérsere: Ecce adsunt, respondérunt; at ille: Non istos, sed sanctos Januárium et Agrippínum volo, qui modo hic adfuérunt, seque íllico promisére reditúros. Exténsis deínde in cœlum mánibus, in illis verbis: Ad te levávi óculos meos, qui hábitas in cœlis; concússo per terræmótum cubículo, ad eum, qui in cœlis hábitat, evolávit, prídie Kaléndas Maji. Corpus prius in sua crypta, póstmodum in æde divi Geórgii honorífice cónditum fuit.

℟. **Iste est qui.**

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Vigiláte, quia nescítis.** de Communi 2. loco.

Dominica II. post Pascha,

vel alia ex sequ. non impedita Festo majoris ritus, ac dignitatis.

S. Francisci de Paula Confess. Neapolit. Patr. minus princip.

Duplex 2. cl. cum Octava.

In Hymno **Méruit suprémos.**

In I. Nocturno Lectiones **Beátus vir.** de Comm. 2. loco. Cetera ut in Breviario die 2. Aprilis.

Secunda die infra Octavam S. Francisci de Paula.

Semiduplex.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno Lectiones **Beáti N. dies.** de Communi Confess. non Pont. 1. loco.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Et réliqua.

Homilía sancti Fulgéntii **Epíscopi.**

Ex Sermone de Confess.

Si non omnes possunt impléré quod Dóminus ait: Véndite quæ possidétis; illud tamen quod adjécit, dicens: Date eleemósynam, ómnibus est possíbile, si adsit bona volúntas; ómnibus fácile, si non adsit dira cupíditas; ómnibus salúbre, si férveat cáritas; cunctis debet esse commúne, ut ómnibus donétur ætérna felícitas. Qui ergo tantam virtútem accépit a Dómino, ut ómnia quæ in mundo sunt, cœléstis regni amóre contémnat; quæ habet, vendat, et egénis expéndat: qui vero tantæ virtútis nondum est, de his quæ habet, in quantum habet, eleemósynam fáciat.

℟. Iste est qui.

Lectio viii.

Perféctus possídeat primum virtútis locum, imperféctus saltem pervéniat ad secúndum. Efficiátur ille glorióse dignus, sit iste laudabíliter largus. Sit ille sanctæ paupertátis ardentíssimus amátor, sit iste sanctórum paúperum piíssimus consolátor. Hábeat iste apud Deum patrónos paúperes, quos ille se gaudet virtútis habére consórtes. Sit ille talis, qui cum Dómino judicatúrus sédeat: sit iste talis, qui ad déxteram judicándus assístat. Sit ille talis, qui ætérna tabernácula perpétuo jure possídeat: sit iste talis, quem ille recípiat.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Thesaúrum nostrum, fratres, in cœlis ponámus, ut étiam cor nostrum in cœlis habére possímus. Necésse est enim, ut quo præcésserit dilectiónis thesaúrus, illuc étiam cogitatiónis sequátur afféctus. Ideo Véritas ait: Ubi enim thesaúrus vester est, ibi et cor vestrum erit. Ut ergo in cœlis thesaurizémus, cœléstia diligámus. Vis nosse ubi thesaurízas? atténde quid amas. Vis nosse quid amas? atténde quid cógitas. Ita fiet, ut thesaúrum tuum ex tuo amóre cognóscas, et amórem tuum judício tuæ cogitatiónis intélligas.

Te Deum laudámus.

Tertia die infra Octav.

S. Francisci de Paula.

Semiduplex.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

De Sermóne sancti Joánnis Chrysóstomi.

De S. Philogonio, ante med.

Lectio iv.

Ad hanc beátam réquiem tránsiit beátus Franciscus. Quænam ígitur orátio par sit viri laúdibus, quem Deus tam felíci sorte dignátus est? Non est ulla. Sed age, dic mihi, num idcírco silébimus? et cujus rei grátia conveníмus? An dicémus nos

haud posse magnitúdinem gestórum oratióne cónsequi? Atqui ob hoc ipsum necésse est dícere; quandóquidem hæc est præcípua laudum illíus pars, quod factis verba æquiparári non possint. Nam quorum benefácta natúram étiam súperant mortálem, perspícuum est, quod horum laudes excédunt linguam humánam. Haud tamen ob id aspernábitur offícium nostrum, quod pro víribus præstámus, sed suum imitábitur Dóminum: síquidem et ille víduæ duos tantum óbolos dejiciénti in gazophylácium, non tantum duórum obolórum mercédem, sed multo ámplius réddidit.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Proínde quamvis nostræ facultátes exíguæ sint minimíque prétii, áttamen, quæ póssumus, offérimus. Et licet non respóndeant magnitúdini meritórum ánimæ præclári justíque Francísci, tamen hoc ipsum celsitúdinis illíus máximum fúerit arguméntum, quod nec pusílla repéllat, sed idem fáciat quod solent dívites. Síquidem illi, cum accéperint a tenúibus exígua, quibus non egent, sua vicíssim appónunt, remunerántes eos, qui, quod póterant, obtúlerint. Itidem et hic, cum accéperit a nobis laudem verbis peráctam, qua nequáquam eget, redonábit nobis per ipsa facta benedictiónem, qua semper uti possímus.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

Unde ígitur laudatiónem illíus auspicábimur? An a magistrátu, quem Spíritus illi trádidit grátia? Nam mundáni magistrátus nequáquam possunt christianórum demonstráre virtútes, quin pótius frequénter habent accusatiónem malítiæ. Quam ob causam? quóniam et sollicitúdines amicórum, et circumcursatiónes, et adulatiónes, aliáque permúlta his fœdióra, tales magistrátus solent conciliáre. Céterum ubi Deus suo suffrágio designárit áliquem, incorrúptum suffrágium, aliénum ab omni suspicióne judícium, indubitáta fúerit delécti comprobátio, propter ejus qui delégit, auctoritátem.

℟. Iste homo.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Et réliqua.

Homilía sancti Petri Chrysólogi.

Ex Sermone 22.

Præmia statuúntur iis semper, quibus certámina dura proponúntur: ac pro magnitúdine certáminis, præmii propónitur magnitúdo. Hinc est, quod discípulis suis Christus regnum ponit in præmio, ut in certámine non cedant perículis, non timóri. Perícula déspicit, qui tendit ad regnum: victóriæ cúpidus nescit timére. Nolíte timére, inquit, pusíllus grex: quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Grex pusíllus mundo, magnus Deo: pusíllus, quia gloriósos vocat eos,

quos instítuit ad óvium innocéntiam, et mansuetúdinem christiánam.

℟. Iste est qui.

Lectio viii.

Adjécit quid faciéndum sit regnatúris: Véndite quæ possidétis. Non potest dominári ómnibus, nisi is, qui própriis non tenétur. Dejéctæ mentis est, qui familiáris rei méminit, cum vocátur ad regnum; jacens ánimus plebéjus nummulum thesaúris regálibus antepónit. Pauper sensus parvis íncubans, perdit magna; et ínhians temporálibus, déserit sempitérna. Homo, tali mónitu Christus te ditáre vóluit, non nudáre: manére tibi tua vóluit, non períre: perpetuári, non vacuári sácculos imperávit: jussit te transférre, non pérdere.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Plus consílio patris agit, quam jure dominántis. Inter insídias latrónum et tineárum morsus quare tua recóndas, objúrgat: pervígiles noctes, dies ánxios, sollícita témpora ne tibi ipse fácias, commonéris. Auri custos, servátor argénti, securitátem non habet, nescit quiétem; et cui deest secúritas, quies perit; pœna dives est ille, non censu. Thesaúrum non deficiéntem in cœlo: hoc est dícere, ubi ego sum, ibi pónite: date mihi, ego servo. Homo, da Patri, crede Deo: quia et hærédi Pater, et Deus hómini créditum non negábit: tenére tua non potest, qui sua dedit.

Te Deum laudámus.

Quarta die infra Octavam S. Francisci de Paula.

Semiduplex.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

De Sermóne sancti Joánnis Chrysóstomi.

Unde supra, paulo post.

Lectio iv.

Quantum autem sit pietátis arguméntum, quod Deus illum tanto magistrátu dignum judicárit, audi. Christus excitátus a morte, quid dicit Petro? Postquam enim illum interrogásset, Petre amas me? isque respondísset, Tu Dómine scis quod amo te; dicit illi: Si díligis me, pasce oves meas. Hoc autem dicébat, non solum ut nobis certíssime declaráret, quantópere ipsum dilígeret Petrus: verum étiam, ut palam fáceret, quantam habéret benevoléntiam erga suas oves. Itaque si quis volúerit illi commendátus esse, curam hábeat óvium illíus, públicam quærat utilitátem, fratrum suórum salúti prospíciat.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Nullum enim offícium hoc Deo cárius est, et ob id alícubi dicit: Simon, Simon, expetívit te sátanas, ut cribráret te tamquam tríticum, sed ego rogávi pro te, ne defíciat fides tua. Quid ígitur hujus sollicitúdinis curǽque prǽmium mihi repéndis? eámdem curam, quam nobis impéndit, repóscit. Nam et tu, inquit, aliquándo convérsus confírma fratres tuos. Neque prorsus ália res est, quæ per-

índe decláret doceátque, quis sit fidélis et amans Christi, quam si fratrum curam agat proque illórum salúte gerat sollicitúdinem.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

Hæc omnes aúdiant et mónachi, qui móntium occupárunt cacúmina, quique modis ómnibus seípsos mundo crucifixérunt, quo pro víribus ecclesiárum præféctos ádjuvent horúmque curas léniant précibus, concórdia, caritáte; sciéntes, quod nisi modis ómnibus opitoléntur iis, qui tot perículis objiciúntur, per grátiam Dei, totque negotiórum curas sústinent, quibuscúmque possunt ratiónibus, auxiliéntur, quamquam procul habitántes, et victus sors ipsis periísset, et tota in scópulum impegísset sapiéntia.

℟. Iste homo.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Et réliqua.

De Homilía sancti Petri Chrysólogi.

Ex Sermone 23.

Audístis hódie, quemádmodum Dóminus pastoráli júbilo clangórem tubæ cœléstis adjúnxit, ut diu inclinátas óvium mentes ad divína tólleret, cœléste prótinus promovéret ad regnum. Acquisívit humílitas, supérbia quod amísit: et grex pusíllus ac mitis, totas et várias edómuit própria mansuetúdine feritátes; pusíllus grex vicit ac fregit tot génera bestiárum, quot diversitátes súbdidit jugo Christi natiónum.

℟. Iste est qui.

Lectio viii.

Grex pusíllus ac mitis diu conténtus occídi, diu devorári passus est, donec gentílis sævítia sánguine satiáta vel cárnibus, evangélici pábuli suavitátem et divíni fontis fluénta degústans, totum contágium sæculi evitáret, et pastum: atque in hóminem redíret ex béstia, qui ex hómine fúerat dilápsus in béstiam. Hoc sensísse ante Prophétas, hoc Apóstolos implésse, hoc pertulísse Mártyres constat, attestánte illo, qui dicit: Propter te mortificámur tota die, æstimáti sumus ut oves occisiónis. Ut vero iste grex novi órdinis aggrederétur prælium, ubi vivit ille, qui fuit occísus; imitátus est suum Regem, illum secútus est Agnum, qui sicut ovis ad occisiónem ductus est.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Tibi ergo rex, tibi sacérdos, tibi pastor, tibi sacrifícium, tibi ovis, tibi agnus, tibi totum factus est qui fécerat totum. Et qui sibi numquam, tibi tóties immutátur, propter te várias monstrátur in formas, qui manet única suæ majestátis in forma. Et quid plura? dat se tibi Deus, homo, ut ferre potes: quia, ut est, tu non potes sustinére.

Te Deum laudámus.

Quinta die infra Octavam S. Francisci de Paula.

Semiduplex.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno Lect. **Derid́étur justi.** de Communi 2. loco.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Et réliqua.

De Homilía S. Petri Chrysólogi.

Unde supra.

Sed audiámus jam, quid pusíllo gregi talis promíserit pastor. Nolíte timére, inquit, pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. O bónitas effúsa! o inaudíta píetas! o ineffábilis afféctio! In societáte census pastor oves assúmit atque ad consórtium dominatiónis servos Dóminus ascíscit: ad principátum regni rex gregem pópuli totíus admíttit. Sic, sic dat, cui defícere census, cui regnum mínui, vacuári potéstas non potest largiéndo.

℟. Iste est qui.

Lectio viii.

Ecce qui dat, dare lóquitur Patrem. Numquid largitátem suam dénegat, sic dicéndo? Absit; non potestátem mínuit, sed pandit afféctum: sic dicéndo non distántiam facit, sed Patris suámque voluntátem monstrat, firmat unitátem. Quod autem dixit: Complácuit; et non dixit, plácuit; munus édocet Trinitátis: quia quod erga nos Fílio plácuit, hoc complácuit Trinitáti.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Post tantam ergo Dóminus largitátem, post suam grátiam tibi copiósius collátam, abjécta, et vília pecúlia servitútis jubet abjícere regnatúrum. Véndite quæ possidétis, et date eleemósynam. Plebéjum cultum régia non admíttit potéstas, augústus honor nónnisi diadémate confértur, et púrpura. Abjícere ergo debet hábitum servitútis, qui se regem credit divínitus consecrátum. Est consuetúdinis, est ánimi felícis, ut ascítus ad regnum, quod fuit próprium, quod privátum, mox paréntibus, mox propínquis, cívibus indigéntibus, liberáliter prorogáret, ne sit mendícus ánimo, qui censu functus et honóre.

Te Deum laudámus.

Sexta die infra Octavam S. Francisci de Paula.

Semiduplex.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papæ.

Lib. 10. c. 16. in cap. 12. Job.

Lectio iv.

Bene justi simplícitas, et lampas esse dícitur, et contémpta. Lampas, quia intérius lucet; et contémpta, quia extérius non lucet. Intus ardet flamma caritátis, foris nulla glória respléndet decóris. Lucet ergo, et despícitur, qui

flagrans virtútibus, abjéctus æstimátur. Sed úsquequo lampas ista contémnitur? úsquequo despicábilis habétur? numquid non fulgórem suum nullátenus éxerit, et numquam quanta claritáte cándeat, osténdit? Osténdit plane; nam prótinus ádditur: Paráta ad tempus statútum. Statútum quippe contémptæ lámpadis tempus, est extrémi judícii prædestinátus dies, quo justus quisque, qui nunc despícitur, quanta potestáte fúlgeat demonstrátur.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Tunc enim cum Deo júdices véniunt, qui nunc pro Deo injúste judicántur. Tunc eórum lux tanto látius émicat, quanto eos nunc manus persequéntium dúrius angústat. Tunc reprobórum óculis patéscet, quod cœlésti potestáte subníxi sunt, qui terréna ómnia sponte reliquérunt. Unde eléctis Véritas dicit: Vos, qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super duódecim sedes, judicántes duódecim tribus Israël. Neque enim plusquam duódecim júdices illa intérni concéssus cúria non habébit, sed nimírum duodenário número quántitas universitátis exprímitur: quia quisquis stímulo divíni amóris excitátus, hic posséssa relíquerit, illic proculdúbio culmen judiciáriæ potestátis obtinébit.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

Hinc est enim quod de sanctæ Ecclésiæ sponso per Salomónem dícitur: Nóbilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóribus terræ. Hinc Isaías ait: Dóminus ad judícium véniet cum senióribus pópuli sui. Hinc eósdem senióres Véritas non jam fámulos, sed amícos denúntiat, dicens: Non jam dicam vos servos, sed amícos meos. Quos Psalmísta íntuens, ait: Mihi autem nimis honoráti sunt amíci tui, Deus. Quorum dum celsitúdinem cordis aspíceret, mundi glóriam qua calce calcárent, prótinus áddidit: Nimis confortátus est principátus eórum. Ac ne paucos esse crederémus, quos profícere usque ad summam tantæ perfectiónis agnóscimus, íllico adjúnxit: Dinumerábo eos, et super arénam multiplicabúntur. Quot ítaque nunc pro amóre veritátis sese libénter humíliant, tot tunc in judício lámpades corúscant.

℟. Iste homo.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Et réliqua.

De Homilía sancti Petri Chrysólogi.

Unde supra.

Tali ergo providéntia Dóminus, consílio tali, vília et cadúca jubet ut vendámus, ut largiámur, ut donémus, qui in cœlésti regno ómnia, quæ in cœlo et quæ in terra sunt, vólumus possidére. Sed si vis serváre tuórum prétia prædiórum, et sacculórum

forte cóndita te deléctant; fac tibi sácculos quales ille præcépit, qui jam cupiditátis tuæ custos est et provísor. Dénique ut vidit quod dúriter dixit, Véndite quæ possidétis; mox adjécit: Fácite vobis sácculos, qui non veteráscunt, thesaúrum non deficiéntem in cœlis.

℟. Iste est qui.

Lectio viii.

Iterum contristátus es: quia quod habes, in cœlis cógeris collocáre. Rogo, crede Deo tuo, qui servo credis: magis Deo, quam hómini comménda. Sed si times, ne quid inde præsúmat, ne quid dispérgat píetas largitóris, signa fídei ánnulo sácculos tuos, ut tali custóde dórmias tu secúrus: quia ubi ille est, ibi locus nullus est furi. Non póterit tibi tuam pecúniam denegáre, qui tibi ómnia sua cóntulit, qui te regni sui et honóre ditávit et glória.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Ex Sermone 25. circa fin.

Novo modo, imo cœlésti modo, qui hunc audit, vendéndo cómparat, recóndit erogándo; dum amíttit, acquírit. Quam cupit pecúniam perduráre, perpetuáre sácculos divitiárum, cóndita permanére, qui dicit: Fácite vobis sácculos, qui non veteráscunt. Ecce docet avarítiam, qui cœ́perat suadére contémptum. Et qui thesaurizántes, temporáliter arguébat, ad totum cupiditátis fómitem jubet sácculos sine fine perquíri. Christe, quo te pértrahit amor tuórum! Ut avárum lucrifácias, facis eum quod desíderat, non quod opórtet audíre: sácculos ímperas, ut avárus, dum consuéta percúrrit ad lucra, aut virtútem cápiat, aut a virtúte capiátur.

Te Deum laudámus.

Septima die infra Octavam
S. Francisci de Paula.

Semiduplex.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Serm. 1. de S. Victore.

Lectio iv.

Sancti Francísci vita et glória speciális, non tam ad glóriam, quam ad virtútem próvocat omnes, qui recto sunt corde. Non recti plane, sed pervérsi est ánimi, ante quærere glóriam, quam exercére virtútem; et velle coronári, qui legítime non certáverit. Vanum est vobis, inquit, ante lucem súrgere. Ita est. Frustra ad celsitúdinem nítitur glóriæ, qui prius non cláruit virtúte. Frustra fátuæ vírgines sponso óbviam surgunt, quarum lámpades exstinguúntur: et ídeo fátuæ, quia vácuis gloriántur lampádibus, virtútis óleum non habéntes.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Virtus, gradus ad glóriam: virtus, mater glóriæ est. Fallax glória, et vana est pulchritúdo, quam illa non parturívit. Sola est, cui glória jure debétur, et secúre impénditur. Sancto Francísco nec virtus, nec glória deest: sed quemádmodum ambæ res, et quo ór-

dine in hómine processérunt, id óperæ prétium intuéri. Habémus enim, dilectíssimi, in vita Francísci et quod digne merémur, et quod salúbriter imitémur. Tútius sane æmulánda solidióra, quam sublimióra, et quæ magis virtútem redóleant, glóriam minus. Studeámus proínde móribus conformári, cui in mirabílibus similári, etsi vólumus, non valémus.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

Æmulémur in viro sóbrium victum, devótum afféctum; æmulémur mansuetúdinem spíritus, castimóniam córporis, oris custódiam, ánimi puritátem, pónere frenum iræ et modum linguæ, dormíre párcius, oráre frequéntius, commonére nosmetípsos psalmis, hymnis et cánticis spirituálibus, diébus júngere noctes, et divínis laúdibus occupári: æmulémur charísmata melióra. Æmulémur, inquam, quod éxstitit liberális in paúperes, pátiens ad peccántes, benígnus ad omnes. Hoc enim mélius. In his forma est, cui imprimámur: in miráculis glória, a qua reprimámur. Illa lætíficent, ista ædíficent: móveant illa, ista promóveant.

℟. Iste homo.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Et réliqua.

De Homilía sancti Petri Chrysólogi.

Post supradicta.

Vere Pater, o Christe, qui cum tuis quibuscúmque párvulis sic agis. Namque et nos intérdum nostris párvulis peténtibus nóxia, ingérimus salutária sub spécie noxiórum, falléntes insipiéntiam, non decipiéntes afféctum. Dixísti: Fácite vobis sácculos qui non veteráscunt. Sácculus cur parátur? quid ibi claustra, ubi ipsa custos est innocéntia? ibi quid signáculum, ubi fraudis suspício non habétur? si et in cœlo sácculis opus est, cura non amíttitur, sed mutátur.

℟. Iste est qui.

Lectio viii.

Dómine, tu vidísti, quia in thesaúris tota fides, tota spes in sácculis sit aváris; et ídeo imputríbiles in cœlo sácculos vis parári, ut qui te non séquitur ad cœlum, sequátur saltem sácculos suos. Aváre, fac tibi sácculos, et fac jubénte Deo, quia votis tuis ánnuit divína majéstas. Sed fac tibi sácculos erogándo: quia quidquid pauper accéperit, Pater cœléstis súscipit. Et ubi recóndit? in cœlo. Et ne forte perdidísse te dóleas vel usúram, céntuplum in cœlésti fœnore recípies, quidquid in cœlum paúpere transmíseris perferénte.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Usúra mundi centum ad unum, Deus unum áccipit ad centum, et tamen hómines cum Deo nolunt habére contráctum. Sunt fórsitan

de cautióne sollíciti. Quare? nonne homo hómini exíguæ chártulæ obligatióne constríngitur? Deus tot et tantis volumínibus cavet et débitor non tenétur? Sed dicis: Esto quod débeat; quo exigénte restítuet? Se ipso; quia non potest ille mentíri: idem ipse est et exsecútor, et débitor. Non erit in reddéndo durus, qui profúsus est in largiéndo. Crede, homo, Deo, quod tibi Deus dedit: majóra réddere vult, cum vult debére largítor.

Te Deum laudámus.

Octava
S. Francisci de Paula.
Duplex.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

De Sermóne S. Bernárdi Abbátis.

Serm. 2. de S. Victore.

Lectio iv.

Gaudéte in Dómino, dilectíssimi, qui inter contínua suæ pietátis benefícia indúlsit hóminem mundo, cujus multi salvaréntur exémplo. Iterum dico: Gaudéte, quod factus de médio appropiávit Deo, ut multo plures ejus intercessióne salvéntur. In terris visus est, ut esset exémplo: in cœlum levátus est, ut sit patrocínio. Hic infórmat ad vitam; illic invítat ad glóriam: factus est mediátor ad regnum, qui fuit incitátor ad opus. Bonus mediátor, qui sibi jam póstulans nihil, totum in nos transférre desíderat et supplicántis affectum, et supplicatiónis fructum: quid enim quærat sibi, qui nullíus eget?

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Hæc dies gloriósæ migratiónis ejus, dies lætítiæ cordis ejus, exsultémus et lætémur in ea: introívit in poténtias Dómini, gaudeámus, quia nunc poténtior est ad salvándum. Hódie Franciscus, pósito córpore, tanto alácrior, quanto expedítior penetrávit in sancta, símilis factus in glória sanctórum. Hódie despécto mundo, et mundi príncipe triumpháto, supra mundum vere victor ascéndit, accípiens de manu Dómini corónam victóriæ. Ascéndit autem cum imménsa supelléctili meritórum, clarus triúmphis, miráculis gloriósus: sedet veteránus miles, débita jam suavitáte et securitáte quiétus; secúrus quidem sibi, sed nostri sollícitus. O venerándam étiam ipsis Angelis sanctitátem! quam pari stúdio, etsi díspari voluntáte, et mali fúgitant, et frequéntant boni! Nec fácile díxerim, quid virum ástruat sanctiórem, horum favor, aut pavor illórum.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

O miles emérite, qui christiánæ milítiæ duris labóribus angélicæ felicitátis réquiem commutásti! réspice ad imbélles et imbecílles commilitónes tuos, qui inter hostíles gládios et spiritáles nequítias tuis laúdibus occupámur. Quam pium, quam dulce, quam suáve, o Francísce, in hoc loco afflictiónis et in hoc córpore mortis te cánere, te cólere, te precári! Nomen tuum, et memoriále tuum favus distíllans in lábiis captivórum; mel et lac sub lingua eórum, qui tui memória delectántur. Eja

ergo, fortis athléta, dulcis patróne, advocáte fidélis, exsúrge in adjutórium nobis; ut et nos de nostra ereptióne gaudeámus, et tu de plena victória gloriéris.

℟. **Iste homo.**

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Et réliqua.

De Homilía sancti Petri Chrysólogi.

Ex serm. 25. initio.

Hódie Dóminus evangélici gregis pusílla et ténera primórdia quam blanda exhortatióne sit consolátus, audístis. Aufert spes ánxias, dúbios tollit evéntus, omnémque propéllit et exclúdit timórem, quando in exórdio ipso regnum nascéntibus pollicétur. Quis de victu, quis de vestítu, quis de plebéjo censu, et vernális céspitis vilitáte suspírat; de regno certus, de dominatióne secúrus? Satis sibi ínvidet, qui elevátus ad summa, ipse se ad humília déjicit, ad egéna depónit.

℟. **Iste est qui.**

Lectio viii.

Sed scire cónvenit, Pater iste quis est, vel qualis est, vel quod regnum suis fíliis repromíttit. Quis sit iste Pater, quotídie te confiténte cognóscis, cum clamas: Pater noster, qui es in cœlis. Qualis autem sit, ipsa óperum magnitúdine pervidísti. Ex níhilo fecit cœlum, terram solidávit ex líquido, montes státuit ad statéram, mária intra legítimos términos sola præcépti auctoritáte conclúsit. Verum si regni, quod promíttit pusíllis, desíderas nosse qualitátem, ipse áperit, sic dicéndo: Sínite párvulos veníre ad me; tálium est enim regnum cœlórum. Esse in cœlo mirum est: in cœlo vívere est majestátis.

℟. **Sint lumbi.**

Lectio ix. de Homilia Dom. occurr. cum ejusd. commem. in Laud. et Vesp.

Dominica III. post Pascha.

Patrocinii S. Joseph

Sponsi B. M. V., Patroni Neapolit.

Duplex 2. classis.

Omnia ut in Brev. eadem Dominica.

Dominica I. Maji.

Translationis

S. Januarii Episcopi et Martyris, præcipui Patroni Civit. et Regni Neapolitani.

Duplex 2. class. cum Oct.

In I. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud. **30*** Ps. ut in I. Vesp. de Comm. Apost.

Hymnus. **Deus tuórum.** de Communi unius Martyris.

℣. **Ne cesses pro nobis clamáre ad Dóminum, allelúja.** ℟. **Ut salvet nos de manu inimicórum, allel.**

Ad Magnif. Ant.

Beátus Januárius, Præsul et Martyr ínclytus, exstínxit ímpetum ignis, obturávit ora ferárum, et in occisióne gládii pro Christo mórtuus, legítimi certáminis corónam accépit, allelúja.

Oratio ut ad Laudes. **31***

Et fit commem. Dominicæ.

Ad Matutinum.

Invit. Exsúltent in Dño sancti, * Allelúja.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus.

Præsulis clerus populúsque nomen
Mártyris laudet, celebrésque palmas;
Et suo lætis módulis Patróno
Cóncinat hymnos.

Béstias, ignes, gládios minátur,
Ac necem judex furibúndus ira:
Addit athlétæ válidas supérna
Grátia vires.

Horret idólis adolére thura:
Déntibus, clamat, mínuar ferárum,
Igne consúmar, fériar secúri
Víctima Christi.

Hinc vomit flammas metuénda fornax;
Rúgiunt illinc truculénta bruta;
Jussa lictóres fáciunt, eúmque
Pérdere certant.

Angelus cœlo vólitans ab alto
Imperat flammis crepitánte in æstu;
Quæ recedéntes venerántur almi
Præsulis artus.

Inde procúmbunt, feritáte missa,
Ad pedes ejus plácidi leónes:
Strénuo optátam púgili corónam
Détulit ensis.

Sint tibi plausus, decus atque virtus,
Cuncta qui nutu regis, et beátum
Mártyrem claro décoras triúmpho
Omne per ævum. Amen.

In I. Nocturno.

Ant. Sacérdos magnus, qui in ascénsu altáris sancti glóriam dedit sanctitátis amíctum, allelúja.

Psalmi trium Nocturnorum de Communi unius Mart.

℣. Ne cesses pro nobis clamáre ad Dóminum, allel. ℟. Ut salvet nos de manu inimicórum, allelúja.

In I. Nocturno Lectiones A Miléto. de Communi.

℟. i. Beátus Januárius in conspéctu præsidis bonum certámen fídei certans, * Conféssus est bonam confessiónem coram multis téstibus, allelúja. ℣. Nolíte præcogitáre quid loquámini; sed quod datum fúerit vobis in illa hora, id loquímini: non enim vos estis loquéntes, sed Spíritus sanctus. Conféssus.

℟. ii. Hæc dicit Dóminus: * Quum ambuláveris in igne, non comburéris, et flamma non ardébit in te, allelúja. ℣. Magistrátus et júdices, et poténtes regis contemplabántur virum illum, quóniam nihil potestátis habuísset ignis in córpore ejus, et capíllus cápitis ejus non esset adústus. Quum ambuláveris.

℟. iii. Mártyrem tuum, Dómine, suspendérunt in equúleo: * Et fecérunt in eo quæcúmque voluérunt, allelúja. ℣. Tyránnus, et qui cum ipso erant mirabántur Mártyris ánimum, quod tamquam níhilum dúceret cruciátus. Et. Glória Patri. Et.

In II. Nocturno.

Ant. Fortitúdo mea, et laus mea Dóminus, et factus est mihi in salútem, allelúja.

℣. Hic est qui multum orat pro pópulo, allelúja. ℟. Et univérsa sancta civitáte, allelúja.

Lectio iv.

Quo témpore beatíssimus Póntifex Januárius pro Christi confessióne Putéolis cápite plexus est, venerábilis ejus cruor, quem pro christiánæ fídei veritáte constantíssime fúderat, pie colléctus, atque in duábus vítreis ampúllis recónditus est. Póstea vero, pace Ecclésiæ réddita, Sanctus Sevérus Neapolitánus Antístes, ædificáta jam prope Neápolim sancti Januárii basílica, sacratíssimum Mártyris corpus cum magna Neapolitáni cleri populíque frequéntia, iis étiam, qui de génere beáti Januárii erant, comitántibus, ex Marciáno Neápolim religiosíssime tránstulit; et corpus quidem in ejus basílica cóndidit. Cruóris vero ampúllæ, ad hanc usque diem in templo máximo seórsum servátæ, illústre miráculum spectántibus éxhibent. Nam cum e regióne amputáti pro Christo cápitis ponúntur, cruor admirándum in modum colliquefíeri, et ebullíre, períndе atque recens effúsus, ad hæc usque témpora cérnitur.

℟. Manus Dómini facta est super servum suum; accinctísque lumbis currébat ante rhedam prǽsidis: * Donec veníret ad locum martýrii, allelúja. ℣. Neque iníquitas mea, neque peccátum meum, Dómine: sine iniquitáte cucúrri, et diréxi. Donec.

Lectio v.

Cóntigit autem sǽculo nono ut Benevénti dux Sico, longa, sed írrita, Neápolim cínxerit obsidióne, ac spe frustrátus urbem occupándi, id saltem solátii loco habúerit, ut inter ália pretiosióra, quæ abrípere lícuit, illud vel máxime pretiósum pignus, corpus beatíssimi Prǽsulis et Mártyris Januárii e sua basílica per vim sublátum, Benevéntum, castra movens asportáret. Multis vero post annis ea sacra lýpsana a Beneventána urbe ad monastérium Montis Vírginis, ne ab exércitu Frideríci secúndi imperatóris violaréntur, deláta, ibi summo stúdio sub altáre majus illíus Ecclésiæ recóndita et occultáta fuére. At vero Neapolitáni, qui tanti Mártyris, concívis quoque sui ac Patróni præcípui, præsentíssimum ac perénne patrocínium expérti fúerant, atque venerándum ipsíus caput una cum prodigióso sánguine summa religióne venerabántur, réliquum quoque córporis sibi reddéndum ardénter efflagitábant.

℟. In sua simplicitáte * Liberátus est de ore leónum, allelúja. ℣. Páveant omnes habitatóres in univérsa terra Deum: ipse est salvátor fáciens signa et mirabília, qui liberávit servum suum de lacu leónum. Liberátus.

Lectio vi.

Eórum votis ádfuit clementíssimus Deus; nam cum Olivérius Cardinális Caráfa ab Alexándro Papa sexto Abbas commendatárius Montis Vírginis fuísset renuntiátus, concívis sui, ac præsentíssimi Patróni sacra lýpsana, quæ paucis ante annis sub altáre majus Montis Vírginis fúerant invénta, pátriæ restituénda fore secum reputávit. Quaprópter Apostólicas

lítteras impetrávit, quibus Cardináli Archiepíscopo Neapolitáno Alexándro Caráfa omnímoda facúltas esset monastérium Montis Vírginis adeúndi, sacrúmque illud pignus repeténdi. Archiepíscopus, sanctis illis óssibus recéptis, nulla interpósita mora, Neápolim religiosíssime ea tránstulit, ac sex círciter post sǽcula pátriæ suæ restítuit. Quæ ut primum intra mœ́nia Civitátis illáta sunt, diram tunc sæviéntem pestem exstinxérunt; unde magna lætítia facta est in pópulo. Sacrum corpus prius in majóri templo, ut pietáti ac religióni confluéntium fíeret satis, expósitum; póstea in exquisíti óperis ipogǽo, ab ipso Olivério Cardináli ingénti ære excitáto subter altáre majus, glorióso compósitum fuit sepúlchro, ubi usque in præséntem diem máxima cólitur frequéntia ac pietáte. Neapolitáni cives, necnon Neapolitánas províncias incoléntes summis obstrícti benefíciis erga sospitatórem suum et máximum Patrónum sanctum Januárium, tum postrémæ hujus translatiónis, tum illíus antiquióris a sancto Sevéro perāctæ memóriam solémni ritu hac Domínica die célebrant.

℟. O Timóthee, Januário grátias age: * Nam propter eum tibi Dñs lumen donávit, allelúja. ℣. Ecce manus Dómini super te, et eris cæcus, et non videns solem usque ad tempus. Nam propter. Glória Patri. Nam propter.

In III. Nocturno.

Ant. Dabo prodígia in cœlo sursum, et signa in terra deórsum, sánguinem et ignem, et vapórem fumi, allelúja.

℣. Speráte in eo omnis congregátio pópuli, allelúja. ℟. Effúndite coram illo corda vestra, allelúja.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 10. b.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homilia 34. in Matth. post init.

Cum Dóminus omnem sollicitúdinem a discipulórum córdibus ejécerit, et ostensióne signórum armáverit, atque ab ómnibus negótiis sæculáribus alienátos, et ab omni temporálium rerum cura liberátos, férreos quodámmodo atque adamántinos fécerit; tum dénique eventúra illis advérsa prædícit. Multa enim ex hac prædicatióne futurárum rerum cómmoda consequebántur. Primum, ut ejus præsciéntiæ vim edíscerent. Deínde, ut nemo suspicarétur ex magístri infirmitáte tam grávia mala descéndere. Prætérea, ne, qui ea passúri erant, súbito ac inopináto rerum evéntu perturbaréntur. Dénique, ne, cum ista sub ipsum passiónis suæ tempus audírent, nímium commoveréntur.

℟. Exaúdi me, Dómine, exaúdi me, ut discat pópulus iste, quia tu es Dóminus Deus: * Et tu convertísti cor eórum, allelúja. ℣. Multi autem credidérunt, et factus est númerus virórum quinque míllia. Et tu convertísti.

Lectio viii.

Jam vero, ut intélligant novum hoc esse belli genus, et insólitum præliándi morem cum illos nudos mítteret, una indútos túnica, sine cálceis, absque virga, et absque zona et pera, et ab excipiéntibus ali jubéret, non fecit hic dicéndi finem, sed inexplicábilem virtútem suam próferens: étiam sic eúntes, inquit, mansuetúdinem tamen óvium osténdite, quamvis ad lupos itúri, nec simplíciter ad lupos, sed étiam in médio lupórum (neque vero óvium tantum mansuetúdinem habére jubet, sed étiam colúmbæ simplicitátem); sic enim virtútem meam máxime osténdam, cum ab óvibus lupi superabúntur: et quamvis illæ sint in médio lupórum, et innúmeris mórsibus laceréntur, non modo non consúmptæ fúerint, verum étiam illos in sui natúram transmutáverint.

℟. Vidi ánimas decollatórum propter testimónium Jesu, et verbum Dei: * Qui non adoravérunt béstiam, neque imáginem ejus, allelúja. ℣. Æstimáti sumus sicut oves occisiónis; sed in his ómnibus superámus propter eum, qui diléxit nos. Qui. Glória Patri. Qui.

Lectio ix. de Homilia Dominicæ occurrentis.

Ad Laudes
et per Horas.

Ant. 1. Suscitábo mihi * sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum, et ánimam meam fáciet, allelúja.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Esto fidélis * usque ad mortem, et dabo tibi corónam vitæ, allelúja.

3. Nihil horum tímeas, * quæ passúrus es: ecce missúrus est diábolus áliquos ex vobis in cárcerem, ut tentémini, allelúja.

4. Nihil horum véreor, * nec fácio ánimam meam pretiosiórem quam me; dúmmodo consúmmem cursum meum, et ministérium verbi, allelúja.

5. In omni ópere * dedit confessiónem sancto et excélso in verbo glóriæ, allelúja.

Capitulum. Hebr. 11.

Fratres: Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes: obturavérunt ora leónum, exstinxérunt ímpetum ignis, effugérunt áciem gládii, convaluérunt de infirmitáte, fortes facti sunt in bello, castra vertérunt exterórum.

Hymnus.

Mira, quæ patras, tua, Januári,
Cívitas gaudens récolit: stupéntes
Advenæ cernunt: resonántque totum
Nota per orbem.

Namque concrétus diutúrno ab ævo,
Sanguis ampúlla vítrea liquéscens
Bullit: ac rebus pópulo est sinístris
Dulce levámen.

Tu parens adsis; patriǽque custos
Se, fac, insígnem pietáte avíta
Præbeat semper, fideíque vera
Dógmata servet.

Tu probos mores dócili juvéntæ,
Tu senectúti plácidam quiétem,
Alma tu regno bona pacis omnes
Impetra in annos.

Pelle tu pestem, furiásque belli,
Tu famem, terræ subitósque motus,
Atque Vesévi fera damna nostris
Mœ́nibus arce.

Laus sit excélsæ Tríadi perénnis,
Quæ tibi sertum tríbuens corúscum,
Te viam nobis fámulis precánte
Pandat ad astra.
Amen.

℣. Prótegam civitátem istam, allelúja. ℟. Ut salvem eam, allelúja.

Ad Bened. Ant. Igne me, Dómine, * examinásti, et non est invénta in me iníquitas: propter hoc lætátum est cor meum, et exsultávit lingua mea, allelúja.

Oratio.

Deus, qui in Translatióne beáti Januárii Mártyris tui atque Pontíficis, pretióso nos præsídii tui pígnore locupletásti: quæsumus; ut, ipso intercedénte, pópulum tuum ab ómnibus perículis éruas, ac de thesaúris tuis divítias in nos ineffábilis misericórdiæ benígnus effúndas. Per Dóminum.

Et fit commem. Dominicæ occurr.

Ad Tertiam.

Ant. Esto fidélis.

Capit. Fratres: Sancti per fidem. ut supra. 30*

℟. br. Ne cesses pro nobis clamáre ad Dóminum, * Allelúja, allelúja. Ne cesses. ℣. Ut salvet nos de manu inimicórum. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Ne cesses.

℣. Hic est qui multum orat pro pópulo, allelúja. ℟. Et univérsa sancta civitáte, allelúja.

Ad Sextam.

Ant. Nihil horum tímeas.

Capitulum. Hebr. 11.

Alii vero ludíbria et vérbera expérti, ínsuper et víncula et cárceres: lapidáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt.

℟. br. Hic est qui multum orat pro pópulo. * Allelúja, allelúja. Hic est. ℣. Et pro univérsa sancta civitáte. Allelúja, allel. Glória Patri. Hic est.

℣. Speráte in eo omnis congregátio pópuli, allelúja. ℟. Effúndite coram illo corda vestra, allelúja.

Ad Nonam.

Ant. In omni ópere.

Capitulum. Hebr. 11.

Et hi omnes testimónio fídei probáti invénti sunt in Christo Jesu Dómino nostro.

℟. br. Speráte in eo omnis congregátio pópuli. * Allelúja, allelúja. Speráte. ℣. Effúndite coram illo corda vestra. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Speráte.

℣. Prótegam civitátem istam, allelúja. ℟. Ut salvem eam, allel.

In II. Vesperis.

Omnia ut in I. Vesp., et loco ultimi Psalm. Crédidi.

Ad Magnif. Ant. Liberásti me, * Dómine, a rugiéntibus præparátis ad escam, et a pressúra flammæ, quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuátus, allelúja.

Si Dominica I. hujus mensis fuerit a Dominica in Albis impedita, tunc Festum Translat. S. Januarii cum Oct. celebratur Domin. II. ejusdem mensis Maji.

Si occurrat hoc Festum cum alio Festo altioris ritus, vel dignitatis, veluti cum Festo Patrocinii S. Joseph, vel Ss. Philippi, et Jacobi Apost. vel Inventionis Ss. Crucis, et S. Francisci de Paula, atque aliis, præfertur ex antiqua consuetudine, quamvis sit inferioris ritus, et dignitatis.

Dominica II. Maji.

Octava Translationis

S. Januarii Episc. et Mart.

Duplex.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

De S. Ignatio Mart. tom. 5.

Lectio iv.

Tempus animadvértite, fratres, quo dignitátem episcopálem beátus Januárius est assecútus. Neque enim est éadem nunc, quæ tunc erat, Ecclésiam gubernándi condítio. Non æquális est labor viam tritam et plane parátam post multos íngredi viatóres, atque eam, quæ nunc primo secánda est, quæque prærúpta et saxósa ferísque plena, nec ullum adhuc viatórem admísit. Tunc autem quocúmque quis óculos vérteret, ubíque præcipítia, bárathra, et bella, et pugnæ, et perícula: imperatóres et reges, et pópuli, et civitátes, et gentes, et doméstici, et aliéni credéntibus insídias tendébant.

℟. Manus Dómini. 28*

Lectio v.

Quemádmodum ígitur gubernatórem admirámur, non quod vectóres possit in portum incólumes dúcere, cum mare tranquíllum est, cumque navis fertur ventis secúndis; sed cum insaniénte pélago, ventísque sæviéntibus, qui in navi sunt, inter se disséntiunt, magna tempestáte intus et foris navigántes exagitánte, navim tamen potest dirígere et conserváre. Sic eos, qui tunc Ecclésiam regébant, multo magis, quam illos, qui eam in præséntia gubérnant, suspícere debémus et admirári; quando multa bella intus et foris; quando fídei planta imbecíllior erat adhuc, et diligéntia magis indigébat; quando véluti modo génitus infans Ecclésiæ pópulus, magnam providéntiam atque sapiéntiam ánimæ, a qua nutriéndus esset, postulábat.

℟. In sua simplicitáte. 28*

Lectio vi.

Verum, ne totum tempus in episcopátus consideratióne collocántes, ab iis, quæ ad eum uti Mártyrem spectant, enarrándis excludámur; age, ad illíus certámina contendámus. Versútus enim diábolus, et ad struéndas aptus insídias existimábat, si pastóres sustulísset, ovília se fácile direptúrum. Sed qui comprehéndit astútos in eórum astútia, osténdens ecclésias suas non ab homínibus gubernári, sed eos, qui in ipsum credunt, semper a se regi, id fíeri permittébat, ut, cum cérneret, rectóribus sublátis, non tamen religiónem deléri, nec veritátis prædicatiónem exstíngui, sed pótius augéri; ex rebus ipsis, et ipse, et qui ei inserviébant, omnes intellígerent, christianórum disciplínam non ab homínibus pendére, sed

in cœlis radíces ágere, Deúmque esse, qui ubíque ecclésias tuerétur.

℟. O Timóthee. 29*

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 10.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ecce ego mitto vos, sicut oves in médio lupórum. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homilia 34. in Matth. longe post init.

Diligénter considera, qui sunt, qui hæc árdua et laborióa ádeunt; formidolósi vidélicet et indócti, illitteráti, rudes, obscúri quidam hómines et ignóti, qui numquam Philosophórum percepérunt institúta vixque umquam in forum descendérunt, piscatóres et publicáni, multis repléti rebus, quæ jure ánimos eórum possent dejícere. Nam si magnos et claros viros tanta difficúltas rerum potuísset commovére; quómodo non potuísset imperítos hómines, quibus nullíus rei magni áliquid venit in mentem? Sed non dejécit, neque turbávit: nec id injúria, dicet quíspiam, cum se intellígerent posse leprósos mundáre, dæmónia ejícere.

℟. Exaúdi me. 29*

Lectio viii.

Ego autem dícere non dubitárim, quia vidélicet idípsum jure debébat ipsos conturbáre; quóniam qui tantam potestátem habérent, ut defúnctos étiam a morte possent excitáre, hi tanta perícula essent subitúri, tanta bella gestúri, ad júdices vincti deducéndi, commúnis dénique totíus orbis admonítio futúri. Quæ ígitur in ómnibus his erat consolátio? Sola mitténtis virtus. Quocírca ita signánter incœ́pit: Ecce ego mitto vos. Sufficiat hoc vobis ad omnem consolatiónem, satis sit ad confiténdum. Vides, quanta ejus est auctóritas? Intélligis, quóniam máxima sit potéstas? Pércipis inexpugnábilem ejus esse virtútem?

℟. Vidi. 30*

Lectio ix. de Homil. Domin. occurr., de qua fit etiam commem. in Laudibus.

Die 10. Maji.

(Juxta dec. S. R. C. 30. Aprilis 1887.)

S. Eustathii Episc. Neap. et Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pontif., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui pópulum tuum per beátum Eustáthium Confessórem atque Pontíficem in fide et caritáte confirmásti: concéde propítius; ut, ipso intercedénte, contra advérsa ómnia cœlésti semper protectióne muniámur. Per Dñm.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Eustáthius Epíscopus postquam septémdecim años sǽculo tértio Neapolitánam ecclésiam sanctíssime gubernásset, sexto Idus Majas obdormívit in Dómino. Qua porro vivens sanctitátis fama floruerit et quantópere post óbitum cives eum cólere et

venerári cœperint, etsi prisca nobis desint monuménta, témporum vícibus amíssa, ex ipsa tamen solémni córporis translatióne satis supérque declarátur. Hoc síquidem constat, pópuli stúdio et pietáte in eum flagránte, sacras ipsíus exúvias e prióri, ubi jacúerant, loco edúctas, insígni supplicatióne elevátas fuísse, et in templum sanctæ Maríæ in Cósmodin translátas, sub ara máxima religiosíssime cónditas. Depositiónis die in marmóreis fastis assignáto, patres nostri, ejus patrocínium expérti, Eustáthium amplióri quotídie cultu prosequúti sunt.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Anno autem Dómini millésimo sexcentésimo decimoséxto, decimoséxto Kaléndas Decémbris, sancti Eustáthii corpus sub ejúsdem ecclésiæ altári majóri in véteri marmórea urna repértum ibídem servátum fuit. Hoc sane facto, sacri pígnoris apud cives aucta religióne cultúque instauráto, ejus cápitis relíquiæ in argénteo simulácro affábre elaboráto repósitæ sunt, simúlque ánnua festivitátis dies indícta. Tandem anno millésimo octingentésimo octuagésimo, quarto Idus Septémbris recógnita íterum sancti Epíscopi lipsána, et eódem in altári sanctæ Maríæ in Cósmodin, eadémque urna, ubi háctenus jacent, compósita sunt, atque ejúsdem cultum ab immemorábili témpore exhíbitum, ex sacræ Congregatiónis Rítuum consúlto, Leo decimustértius Póntifex Máximus confirmávit, ejúsque in honórem Offícium recitári et Missam celebrári sacro illíus depositiónis die in univérsa Neapolitána Archidiœcési concéssit.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Sermo sancti Máximi Epíscopi.

Ex Homilia 59. de S. Eusebio 2.

Beáti Patris Eustáthii mérita jam in tuto pósita secúri magnificémus: qui gubernáculum fídei viríliter tenens, ánchoram spei tranquílla jam in statióne compósuit, et plenam cœléstibus divítiis et ætérnis mércibus navem optáto in líttore collocávit: qui contra omnes adversários scutum timóris Dei támdiu infatigabíliter ténuit, donec ad victóriam perveníret. Quid enim fuit totus vitæ illíus cursus, nisi unus cum vígili hoste conflíctus?

℟. Iste est qui.

In III. Nocturno Homil. in Evang. Homo péregre. de Comm. 1. loco.

Lectio ix. de Ss. Gordiano et Epimacho Mart.

Die 11. Maji.

S. Francisci de Hieronymo

Conf. Patroni Neap.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

In I. Noct. Lect. **Justus.** de Comm. 1. loco.

Die 14. Maji.

S. Pomponii Episc. Neap.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pontif., præter sequentia. (m. t. v.)

Oratio.

Deus, qui beátum Pompónium Confessórem atque Pontíficem beneficéntiæ tuæ thesaúris

locupletásti: da, ut ejus auxílio, et imitatióne cœléstes misericórdiæ tuæ divítias consequámur. Per Dóminum nostrum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Pompónius nobilitáte géneris ac sapiéntia conspícuus, post beátum Asprénum vigésimus ad Neapolitánam sedem evéctus, sollicitúdine quam máxima desudávit, ut commíssas sibi oves christiánæ pietátis pábulo ubérius enutríret, ab ariána contagióne tutátus, ne perfídiæ luem imbíberet, cum Theodorícus, Gothórum rex hæréticus, Neápoli potítus, cathólicos insectarétur. Ejus audáciæ sanctus antístes constantíssime réstitit, comendátus idcírco a Joánne Pontífice máximo, qui ab eódem ímpio rege Ravénnæ mancipátus cárceri vinculísque constríctus, apostólicam scripsit epístolam, qua tum mónitis, tum exémplis omnes Itáliæ præsules ad orthodóxam fidem propugnándam hortabátur.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Réliquas inter virtútes, præcípuum erga Deíparam amórem cultúmque exhíbuit, cui templum título sanctæ Maríæ Majóris a se excitátum nuncupári vóluit, tunc témporis in primis mole et structúra magníficum, quod a Románo Pontífice consecrátum multísque locupletátum indulgéntiis magno semper in honóre a Neapolitánis ipsis régibus hábitum est. Multum prætérea gregi suo in públicis ærúmnis prófuit eíque præsentíssimam opem precum suffrágiis impetrávit. Demum post ecclésiam suam per annos octo supra vigínti, magna prudéntia ac pietáte gubernátam, prídie Kaléndas Maji, quinto post Christum sæculo, ad cœléstem vitam excéssit.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Sacrum corpus sub ara máxima ejúsdem basílicæ humátum miráculis effúlsit; ex quo pérhibent prodigiósum liquórem olim effluxísse medéndis animárum corporúmque morbis aptíssimum. Vixit Hormísda, Joánne, Felíce ac Bonifácio summis Ecclésiæ Pontifícibus, imperánte Justíno. Festum diem solémni ritu Neápolis prídie Idus Majas célebrat. Et clérici reguláres Minóres fundátam a sancto antístite basílicam, in recentiórem formam affábre redáctam, incoléntes, honorífico cultu quotánnis piíssime venerántur.

℟. Iste est qui.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Vigiláte.** de Comm. Conf. Pont. 2. loco.

Die 16. Maji.

S. Joannis Nepomuceni Mart.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die 1. loco.

Sed Lectiones I. Noct. **Fratres: Debitóres.** de Communi plurim. Mart.

Die 17. Maji.

S. Restitutæ Virg. et Mart.

Duplex.

Omnia de Communi Virg. et Mart., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátam Restitútam Vírginem et Mártyrem tuam illǽsam in flammis custodísti: ejúsdem nobis intercessióne concéde; ut tua caritáte succénsi, ab ardóribus sempitérnis arceámur. Per Dóminum nostrum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Restitúta virgo, Ponizárii in Africa nata, géneris splendóre non magis, quam divínæ sapiéntiæ caritáte refúlsit. Quod veram religiónem profiterétur deláta, Carthāginem ad Próculum impietátis præféctum addúcitur, ac tum minis, tum blandítiis attentáta, ánimum obfirmávit, certa pótius mori, quam ut virginitátem, aut fidem próderet. Tum præses rábie succénsus, equúleo torquéri, capíllis suspéndi pedésque ingénti clavo defígi jubet. Cum tamen nihil evínceret, mágicis ártibus tríbuens invíctam constántiam, ad incéndium in pélago parátum damnat.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Vínculis ítaque constrícta, in navículam sarméntis, stupa, pice resináque refértam immíttitur, ac quíndecim stádiis procul a líttore ignis admótus, divíno nutu nihil Vírgini nóxius, incendiários omnes absúmpsit, ac próximam, in qua erat, navim repénte demérsit: Ad spectáculum ardéntior in Deum Restitúta, óculis ad cœlum eréctis exclamávit: O altitúdo poténtiæ et cleméntiæ tuæ, Dómine! ubi est supérbia impiórum? Jube me, Dómine, ad ætérnæ salútis portum perveníre. Qua in oratióne dúplicem consecúta Vírginis et Mártyris palmam, vívere désiit, décimo sexto Kaléndas Június, Valeriáno imperatóre. Tum navícula, qua vehebátur, sine velo ac rémige ad Ænáriam ínsulam in Campánia, salva divínitus áppulit.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Ejúsdem ínsulæ pia quædam múlier Lucína, ab Angelo de his ómnibus in somnis admónita, atque ut illibátum Vírginis corpus decóro cónderet túmulo, expergefácta, in loco, quem ad ripas vocant, onerāriam tanti thesaúri navem nacta est, accersitóque ad prodígium pópulo, non sine débito gratiárum obséquio, exsequéndis Dei jussis óperam dedit. His permótus Constantínus inter Cǽsares Magnus, sacras relíquias in basílica a se erécta Neápoli, Restitútæ título insigníta, honorífice translátas depósuit. Festus dies a clero maximéque a venerábili canonicórum collégio solémni pompa celebrátur ad pátriæ tutélam et glóriam.

℟. Afferéntur Regi.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus. de eodem Comm. 1. loco.

Die 21. Maji.

S. Felicis a Cantalicio Conf.

Semiduplex.

Omnia ut inter Officia pro aliqu. locis eadem die.

Die 23. Maji.

S. Euphebii Episcopi et Confess.
Patroni Neapolitani.

Duplex majus.

Omnia de Communi Conf. Pontif., præter sequ.

Oratio.

Deus, qui pópulo tuo in multis perículis constitúto beáti Euphébii, Confessóris atque Pontíficis, mira vigilántia providísti: concéde propítius; ut cujus gloriósa venerámur mérita, perénnibus auxíliis muniámur. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lect. **Fidélis sermo.** de Communi Conf. Pont. 1. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Euphébius Neapolitánus, vitæ sanctimónia, et prodigiórum magnitúdine illústris, post Eustáchium illíus urbis antístitem, ómnium suffrágiis, solus ipse relúctans, institútus epíscopus, divíni honóris tuéndi zelo succénsus, sédulo curávit, ne cultóres idolórum, barbaræque natiónes, tunc témporis Campániam incoléntes, ad superstitiónem novítium Christi gregem tradúcerent: si quas vero aberrántes oves reperísset, salútis in páscua reducébat.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Ecclésia sua sanctíssime gubernáta, excéssit e vita décimo Kaléndas Június, séptimus post beátum Asprénum antístes. Corpus admirándo fragrans odóre, extra mœnia cónditum, mox post barbarórum incúrsus, Salvatóris in basílicam, deínde in álteram divo Euphébio sacram translátum est: quod longa post témpora, Sixto quinto Pontífice, cum corpóribus beatórum Fortunáti et Máximi Neapolitanórum antístitum, ibídem repértum est. Caput vero in sacro reliquiárum thesaúro máximi templi pia cívium veneratióne cólitur.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Nec vivens modo, sed defúnctus quoque óvibus suis mirífice prófuit: sacerdótem namque ad ejus sacéllum operántem sacris servávit incólumem a districtis Saracenórum gládiis, qui ne astántem quidem aspexérunt. Perjúro debitóri, qui ímpio sacraménto ante ejus sepúlchrum pecúniam débitam se redditúrum adstrínxerat, in somnis appárens, ácriter interminátus est; eíque præcípiens, ut creditóri, qui eídem sancto antístiti se commendáverat, íllico satisfáceret. Illud præcípue memorándum, quod Saracénos Neápolim obsidéntes mirum in modum fugáverit, immanémque cladem pátriæ impendéntem avérterit. Quem ídeo cívitas univérsa, tanto obstrícta benefício, suum in Patrónum elégit.

℟. Iste est qui.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Homo péregre.** de Comm. Conf. Pont. 1. loco.

Die 24. Maji.

B. Mariæ Virginis
sub titulo
Auxilium Christianorum.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 26. Maji.
S. Philippi Nerii Conf. Patroni Civit. et Cleri Neapolitani.
Duplex 2. classis.

In I. Vesperis.

Ant. de Laud. **41*** Ps. ut in I. Vesp. de Communi Apost.

Capitulum. Rom. 5. c.

Cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris per inhabitántem Spíritum ejus in nobis.

Hymnus.

**Pangámus Nério débita cántica,
Quem supra nítidi sídera vérticis
Virtus, et méritum sústulit ínclytum
Carptúrum pia gaúdia.**

**Hic uri súbitis dum videt ígnibus
Ædes, quas hábitat, flétibus ábstinet,
Flammas cum pénitus quíverit hórridas
Paucis víncere lácrimis.**

**Oblátum pátrui munus, et aúreos
Nummos magnánimus calcat, et ímpiger
Romam digréditur, quam magis ómnibus
Illústrem facit úrbibus.**

**Noctes sub spécubus, córpora Mártyrum
Quas implent, vígilat sédulus íntegras;
Ex ipsis sátagens díscere mórtuis
Normam, qua bene víveret.**

**Almæ sit Tríadi glória pérpetim,
Quam cœlum, bárathrum, térraque súscipit:
Quæ nobis Nérii det prece júgia
Dulcis gaúdia pátriæ. Amen.**

℣. **Deus virtútum réspice de cœlo, et vísita víneam istam, allelúja.** ℟. **Et pérfice eam, quam plantávit déxtera tua, allelúja.**

Ad Magnif. Ant. **Domus mea, domus oratiónis vocábitur: dicit Dóminus, allelúja.**

Oratio.

Deus, qui beátum Philíppum Confessórem tuum Sanctórum tuórum glória sublimásti: concéde propítius; ut cujus solemnitáte lætámur, ejus virtútum proficiámus exémplo. Per Dóminum.

Ad Matutinum.

Invit. **Veníte, adorémus Regem regum, * Qui in domum oratiónis nos congregávit, allelúja.**

Ps. **Veníte, exsultémus.**

Hymnus.

**Noctu dum Nérius fércula paúperi
Gestans præcípitat, pénniger Angelus
Tecto signíficat, quáliter éxcidat
Numquam férvida cáritas.**

**Orántis pénetrans cordis in íntimum
Laxávit spátium Spíritus ímpete
De cœlo véniens, esset ut hóspiti
Imménso locus ámplior.**

**Ponti de médio gúrgite naúfragum
Tractúrus vétulum, sub pede vórtices
Durávit flúidos, et prope túrbidum
Convértit mare in áridam.**

**Tractans exánimis membra puélluli
In lucem révocat, mox jubet émori,**

Donátus Dómini múnere clávibus
Vitæ, mortis et ínferi.
Almæ sit Tríadi glória pérpetim,
Quam cœlum, bárathrum térraque súscipit;
Quæ nobis Nérii det prece júgia
Dulcis gaúdia pátriæ. Amen.

In I. Nocturno.

Ant. Quid mihi est in cœlo, et a te quid vólui super terram, Deus meus, allelúja.

Psalmi trium Nocturnorum ut in Communi Conf. non Pont.

℣. Tibi dixit cor meum, exquisívit te fácies mea, allelúja. ℟. Fáciem tuam, Dómine, requíram, allelúja.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. Cap. 51.

Laudábo nomen tuum assídue et collaudábo illud in confessióne, et exaudíta est orátio mea. Et liberásti me de perditióne, et eripuísti me de témpore iníquo. Proptérea confitébor, et laudem dicam tibi, et benedícam nómini Dómini. Cum adhuc június essem, priúsquam oberrárem, quæsívi sapiéntiam palam in oratióne mea. Ante templum postulábam pro illa, et usque in novíssimis inquíram eam. Et efflóruit tamquam præcox uva, lætátum est cor meum in ea. Ambulávit pes meus iter rectum, a juventúte mea investigábam eam. Inclinávi módice aurem meam, et excépi illam. Multam invéni in meípso sapiéntiam, et multum proféci in ea.

℟. Replétus Spíritu sancto beátus Philíppus ascensiónes suas dispósuit in corde suo: * Et totis viscéribus diligébat Deum, allelúja. ℣. Dedit ei Spíritus Dómini sapiéntiam, et prudéntiam multam nimis, et latitúdinem cordis. Et.

Lectio ii.

Danti mihi sapiéntiam dabo glóriam. Consiliátus sum enim, ut fácerem illam: zelátus sum bonum, et non confúndar. Colluctáta est ánima mea in illa, et in faciéndo eam confirmátus sum. Manus meas exténdi in altum, et insipiéntiam ejus luxi. Animam meam diréxi ad illam, et in agnitióne invéni eam. Possédi cum ipsa cor ab início: propter hoc non derelínquar. Venter meus conturbátus est quæréndo illam: proptérea bonam possidébo possessiónem. Dedit mihi Dóminus linguam mercédem meam, et in ipsa laudábo eum.

℟. Spíritus sanctus a throno procédens, illíus cor penetrávit, * Novo sanctificatiónis signo, allel. ℣. Advénit ignis divínus, confríngens, urens, et illúminans; et tríbuit ei charísmatum dona. Novo.

Lectio iii.

Appropiáte ad me indócti, et congregáte vos in domum disciplínæ. Quid adhuc retardátis? et quid dícitis in his? Animæ vestræ sítiunt veheménter. Apérui os meum, et locútus sum: Comparáte vobis sine argénto, et collum vestrum subjícite jugo, et suscípiat ánima vestra disciplínam: in próximo est enim inveníre eam. Vidéte óculis vestris, quia módicum laborávi, et invéni mihi multam réquiem. Assúmite disciplínam in multo número argénti, et copiósum aurum possidéte in ea. Læté-

tur ánima vestra in misericórdia ejus, et non confundémini in laude ipsíus. Operámini opus vestrum ante tempus, et dabit vobis mercédem vestram in témpore suo.

℟. Amóre vulnerátus languébat júgiter, dicens: * Quis me separábit a caritáte? allel. ℣. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita póterit me separáre a caritáte Dei, quóniam ipse in me manet et ego in eo. Quis. Glória Patri. Quis.

In II. Nocturno.

Antiph. Quam diléeta tabernácula tua, Dómine! concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini, allelúja.

℣. Unam pétii a Dómino, hanc requíram, allelúja. ℟. Ut inhábitem in domo Dómini, allelúja.

Lectiones ut in Breviario in eodem Festo cum ℟℟. sequ.

℟. iv. Oculis et mánibus in cœlum semper inténtus * Invíctum ab oratióne spíritum non relaxábat, allelúja. ℣. Clamans clamábat ad Dóminum: quando véniam, et apparébo ante fáciem Dei? Invíctum.

℟. v. Obitum suum longe ante præscívit, dixítque frátribus: * Cúpio dissólvi, et esse cum Christo, allelúja. ℣. Interióra mea intra me efferbuérunt absque ulla réquie. Cúpio.

℟. vi. Hódie Philíppus migrávit a sǽculo, gèmma sacerdótum, * Per quem in cœlo vivéntem tanta mirácula corúscant, allelúja. ℣. O virum ineffábilem, nec labóre victum nec morte vincéndum! Per. Glória Patri. Per.

In III. Nocturno.

Ant. Congregáte illi sanctos ejus, qui órdinant testaméntum ejus super sacrifícia, allelúja.

℣. Meménto Congregatiónis tuæ, allelúja. ℟. Quam possedísti ab inítio, allelúja.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Et réliqua.

Homilía S. Ambrósii Epíscopi.

Lib. 8. in Luc.

Beáti servi illi, quos cum vénerit Dóminus, invénerit vigiléntes. In superióribus vigiláre nos vóluit, per ómnia exspectántes moménta Dómini Salvatóris advéntum; ne dum áliquis remíttit, et négligit, et de die in diem ópera sua differt, judícii futúri die, vel própria morte prævéntus méritum suæ commendatiónis amíttat. Et illa quidem in omnes præcépti forma generális: (quod si díxerit servus ille in corde suo, moram facit Dóminus meus veníre); verum séries sequéntis exémpli dispensatóribus, hoc est, sacerdótibus vidétur esse propósita, quo sciant sibi gravem in futúrum pœnam esse subeúndam, si sæculáribus inténti delíciis, famíliam Dómini, plebémque commíssam sibi gubernáre negléxerint. Ille autem servus, qui cognóvit voluntátem Dómini sui, et non præparávit, et non fecit secúndum voluntátem ejus, vapulábit multis.

℟. Domus mea domus oratiónis vocábitur: * In ea omnis, qui petit, áccipit: et qui quærit, ínvenit; et pulsánti aperiétur, allel. ℣. Lætificábo eos in domo oratiónis. In ea omnis.

Lectio viii.

Sed quia exíguus est proféctus, et parva meritórum grátia, supplícii metu ab erróre revocári, majórque prærogatíva caritátis et amóris est; Dóminus ad promeréndam sui grátiam stúdia nostra ácuit, et acquiréndæ cupiditáte divinitátis inflámmat, dicens: Ignem veni míttere in terram; non útique illum ignem consumptórem bonórum, sed bonæ voluntátis auctórem, qui aúrea Domínicæ domus vasa meliórat, fœnum vero consúmit, et stípulam, ac sæculária ómnia mundi voluptáte concréta, peritúræque opus carnis exúrit; ille ignis divínus, qui flammigerábat in óssibus Prophetárum, sicut sanctus Jeremías dixit, qui factus est sicut ignis ardens flammígerans in óssibus meis. Est enim ignis Dómini, de quo dictum est: Ignis ante eum ardébit.

℟. Obsecro ítaque, fílii, oratiónes fíeri, postulatiónes, et gratiárum actiónes pro ómnibus: * Et dilígite decórem domus Dei, allel. ℣. Manéte in vocatióne, atténdite lectióni, exhortatióni, et doctrínæ; conversatiónem inter gentes habéte bonam. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix. S. Eleutherii Papæ et Mart. ut in Breviario, et si transferatur, tunc erit:

Lectio ix.

Sint autem lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes, et ídeo quia nox est dies hujus vitæ, lucérna est necessária. Hunc ignem in se étiam et Amaon, et Cléophas a Dómino missum esse testántur, dicéntes: Nońe cor nostrum ardens erat in via, cum aperíret nobis Scriptúras? Evidénter ítaque docuérunt, qualis istíus ignis sit operátio, qui secréta cordis illúminat. Et ídeo fortásse Dóminus in igne ventúrus est, ut resurrectiónis témpore vítia univérsa consúmat, suíque conspéctu desidéria cómpleat singulórum, meritorúmque, et mysteriórum lumen accéndat.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

et per Horas.

Ant. 1. De excélso * misit ignem in óssibus meis, et erudívit me, allelúja.

Psalm. Dóminus regnávit.

2. Concáluit cor meum * intra me, et in meditatióne mea exardéscet ignis, allelúja.

3. Cor meum, * et caro mea exsultavérunt in Deum vivum, allel.

4. Factus est * in corde meo quasi ignis exæstuans, et deféci ferre non sústinens, allelúja.

5. Defécit caro mea, * et cor meum, Deus cordis mei, et pars mea Deus in ætérnum, allelúja.

Capitulum. Rom. 5. c.

Cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris per inhabitántem Spíritum ejus in nobis.

Hymnus.

Cœlórum Dómino dum sacra múnera
Libábat Nérius, sæpius ádvolans
Tellúrem rápido córpore déserit
Christo fiat ut óbvius.

Illi non rútilans púrpura príncipum
Sacrórum tégumen, non rubra pílei
Majéstas plácuit, cui placet única
Vestis cándida vírginum.

Ægrótus Maríæ dans pia bráchia
Collo virgíneo, fertur in áëra
Intro ceu cúperet posse cubículum
Duci Matris in árduum.

Corpus deséruit, cum Deus hóstiæ
Fertur sub níveæ tégmine cónditus,
Prudens in pátriam pérgere spléndido
Nolens absque viático.

Almæ sit Tríadi glória pérpetim,
Quam cœlum, bárathrum, térraque súscipit;
Quæ nobis Nérii det prece júgia
Dulcis gaúdia pátriæ.
Amen.

℣. Cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris, allelúja. ℟. Per Spíritum sanctum, qui datus est nobis, allelúja.

Ad Bened. Ant. Hæc est cáritas Dei, ut mandáta ejus custodiámus, et mandáta ejus grávia non sunt, allelúja.

Oratio.

Deus, qui beátum Philíppum Confessórem tuum sanctórum tuórum glória sublimásti: concéde propítius; ut cujus solemnitáte lætámur, ejus virtútum proficiámus exémplo. Per Dóminum.

Et fit commem. S. Eleutherii.

Ad Tertiam.

Ant. Concáluit cor meum.

Capit. Cáritas Dei. 41*

℟. br. Nunc manent fides, spes, cáritas; tria hæc, * Allelúja, allel. ℣. Major autem horum est cáritas. Allelúja. Glória Patri. Nunc.

℣. Sectámini caritátem, allelúja. ℟. Æmulámini spirituália, allelúja.

Ad Sextam.

Ant. Cor meum.

Capitulum. 1. Joann. 3.

Qui víderit fratrem suum necessitátem habére, et claúserit víscera sua ab eo, quómodo cáritas Dei manet in eo?

℟. br. Filíoli mei, non diligámus verbo, neque lingua. * Allelúja, allelúja. ℣. Sed ópere, et veritáte. Allelúja. Glória Patri. Filíoli.

℣. In hoc cognóscimus, allelúja. ℟. Quóniam ex veritáte sumus, allelúja.

Ad Nonam.

Ant. Defécit caro mea.

Capitulum. 1. Cor. 13.

Cáritas pátiens est, benígna est, non æmulátur, non agit pérperam, non inflátur, non est ambitiósa, non quærit quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi.

℟. br. In hoc scimus, quóniam cognóvimus eum, si mandáta ejus observémus. * Allelúja, allelúja. ℣. Qui dicit, se nosse eum, et mandáta ejus non custódit, mendax est. Allelúja. Glória Patri. In.

℣. Qui autem servat verbum ejus, allelúja. ℟. Vere in hoc cáritas Dei perfécta est, allelúja.

In II. Vesperis.

Omnia ut in I. Vesperis.

℣. Meménto congregatiónis tuæ, allelúja. ℟. Quam possedísti ab inítio, allelúja.

Ad Magnif. Ant. **Veníte fílii, audíte me, timórem Dómini docébo vos, allelúja.**

Oratio ut supra. 42*

Die 30. Maji.

S. Ferdinandi III. Castellæ et Legionis Regis, Conf.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 4. Junii.

S. Francisci Caracciolo Conf. Patroni Neapolit.

Duplex majus.

Omnia ut in Breviario eadem die, sed Lectiones I. Nocturni **Justus.** de Communi 1. loco.

Die 10. Junii.

S. Maximi Episc. Neap. et Mart.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart., præter sequentia.

Oratio.

Effúnde, quǽsumus, Dómine, super Ecclésiam tuam spíritum fortitúdinis, quo beátum Máximum Mártyrem tuum atque Pontíficem pro tuénda fídei veritáte roboráre dignátus es: et concéde ipsíus suffragántibus méritis; ut eódem nos repléti, et in fide inveniámur stábiles et in ópere efficáces. Per Dóminum nostrum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Máximus Neapolitánus ab ineúnte sua ætáte strénuus Jesu Christi miles eo difficíllimo témpore vixit, quo Arianórum hǽresis, Constántio imperánte, dire Ecclésiam exagitábat, nullúmque non movébat lápidem, ut Neápoli quoque suas radíces ágeret. Zelo custodiéndæ fídei præclárus post beátum Fortunátum ad Neapolitánam sedem evéctus, mira vigilántia, ferventíque stúdio adlaborávit ut Nicǽna fides sarta téctaque servarétur, ovésque sibi créditæ ab Arianórum perfídia redderéntur immúnes. Nec sine peculiári Dei providéntia factum est, ut eódem ferme témpore et Libérius Summus Póntifex in univérsa Ecclésia, et in Oriénte sanctus Athanásius præcípue et sanctus Basilíus magnus, sicut et in Gállia sanctus Hilárius Pictaviénsis; in Itália vero sanctus Eusébius Vercellénsis, sanctus Dionýsius Mediolanénsis, nec non Máximus noster aliíque fídei propugnatóres quamplúrimi contra Nicǽnæ fídei hostes se pro muro oppónere non dubitáverint. Quare áccidit, ut Ariáni Constántii imperatóris poténtia et patrocínio suffúlti, sicut álios complúres e strénuis illis antistítibus, ita Máximum multis diu afféctum injúriis diro mulctáverint exsílio. Dumque licet infírma valetúdine, ánimi constántia fideíque virtúte fretus ómnia fórtiter superáret, prævaricátor quidam nómine Zósimus, Ariánis ártibus, in episcopálem ejus cáthedram summo Neapolitanórum mœróre intrúsus est. ℟. Lux perpétua.

Lectio v.

At Máximus, ne gregem suum lupi rapáces dispérgerent et mactárent, in exsílio constántior ánimo contra ímpium Zósimum anathématis senténtiam tulit, quæ

quidem justo animadverténtis Dei judício eum ita pérculit, ut quóties coram pópulo sacra múnia obíre adgréditur, inter pontifícii solémnia verba ejus lingua contra natúræ modum proláta extra os protendátur, bovis instar anhéli; nec eam retráhere aut verba prómere váleat, nisi egréssus basílica, quam intráverat. Id quum tóties pátitur, quóties divérsis vícibus sacrum templum íngredi perténtat, tandem intélligit, in pœnam suæ impietátis linguam sibi præpedíri. Quaprópter pérperam sibi deláto episcopátu sese abdicávit, et contínuo ei linguæ usus íntegre restitútus est. Ita Deus latam in Zósimum senténtiam et servi sui Máximi sanctitátem manféstis étiam osténtis probátam vóluit, quem exsílii quidem ærúmnis conféctum jamprídem in cœléstem pátriam advocáverat. ℟. In servis suis.

Lectio vi.

Sacrum ejus corpus, Constántio vita functo, cives Neapolitáni e loco exsílii Neápolim transtulére, ut sancti antístitis et Mártyris, quem vivum ad ecclésiam suam reverténtem amplécti nequíverant, réduces saltem exúvias læti excíperent, et in æde sancto Fortunáto dicáta condidérunt: deínde magna cum pompa in Stephaníam basílicam intulérunt; postrémo in álteram sancto Euphébio sacram, ubi sub ara máxima una cum corpóribus sanctórum Euphébii et Fortunáti summa veneratióne cólitur. Quibus permótus Pius nonus Póntifex máximus instánte Cardináli archiepíscopo Neapolitáno Xysto, cultum, quem Neapolitána ecclésia ab antiquíssimis usque tempóribus solémni cultu beáto Máximo exhibére consuéverat, ex sacræ Congregatiónis Rítuum consúlto anno sui Pontificátus vigésimo séptimo ineúnte auctoritáte Apostólica approbávit, atque de eódem beáto Máximo Officium recitándi et Missam celebrándi sub ritu dúplici in civitáte ac diœcési Neapolitána facultátem fecit.

℟. Fíliæ Jerúsalem.

In III. Nocturno Homil. in Evang. **Ego sum vitis vera.** de Comm. Mart. temp. Pasch. 1. loco.

Die 15. Junii.

S. Fortunati Ep. Neap. et Conf.

Duplex, sed ad modum Simplicis recolendum.

In I. Vesperis. Ant. **Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum, allelúja.**

℣. **Amávit eum Dñs, et ornávit eum, allelúja.** ℟. **Stolam glóriæ índuit eum, allelúja.**

Ad Laudes. Ant. **Euge serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus, allelúja.**

℣. **Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja.** ℟. **Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.**

In II. Vesp. Ant. **Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum, allelúja.**

℣. **Justum.** ut supra.

Oratio.

Deus, qui beátum Fortunátum Confessórem tuum atque Pontíficem, cœléstis regni desidério júgiter flagrántem, glóriæ tuæ illu-

stratióne voti cómpotem effecísti: ejus précibus concéde; ut eódem nos, quo iste, amóre succénsi, et quæ sursum sunt in via quærere, et post hujus vitæ éxitum in pátria perpétuo possidére valeámus. Per Dóminum nostrum.

Die 17. Junii.

B. Pauli Buralis Card. de Aretio, Episc. Neap. et Conf.

Duplex, sed ad modum Simplicis recolendum.

In I. Vesperis. Ant. **Sacérdos.** ut supra. ℣. **Amávit.** ut supra.

Ad Laudes. Ant. **Euge serve.** ut supra. ℣. **Justum.** ut supra.

In II. Vesperis. Ant. **Amávit.** ut supra. ℣. **Justum.** ut supra.

Oratio.

Deus qui admirábiles vocatiónis tuæ trámites in beáto Paulo multifórmiter ostendísti: ejus nobis intercessióne concéde; ut te vocántem et intellígere, et fidéliter sequi valeámus. Per Dóminum.

Die 18. Junii.

B. Petri de Pisis Confessoris.

Duplex, sed ad modum Simplicis recolendum.

In I. Vesp. Ant. **Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram, allelúja.**

℣. **Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja.** ℟. **Stolam glóriæ índuit eum, allelúja.**

Ad Laudes. Ant. **Euge serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gaúdium Dómini tui, allel.**

℣. **Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja.** ℟. **Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.**

In II. Vesp. Ant. **Hic vir despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cœlo cóndidit ore, manu, allelúja.**

℣. **Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja.** ℟. **Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.**

Oratio.

Deus, qui in Ecclésia tua nova semper instaúras exémpla virtútum: da nobis beáti Petri Confessóris tui ita inhærére vestígiis, ut assequámur et præmia. Per Dóminum nostrum.

Officia votiva de præcepto.

Feria V.

De Ss. Sacramento.

Semiduplex.

Omnia ut in Officio votivo.

Sabbato.

De Immaculata Conceptione B. M. V.

Semiduplex.

Omnia ut in Officio votivo.

De S. Januario Episc. et Mart.

Semel in mense semid.

Omnia ut supra Dom. I. Maji. **26***, præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui per beáti Januárii, Mártyris tui atque Pontíficis, confessiónem et sánguinem, admirábili testimónio ac triúmpho Ecclésiæ tuæ fidem illustráre dignátus es: quæsumus; ut ejúsdem nos fídei consórtio et patrocínio munítos, triúmphi étiam et glóriæ partícipes effícias. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Januárius Benevénti epíscopus, Diocletiáno et Maximiáno in christiános sæviéntibus, ad Timótheum Campániæ prǽsidem ob christiánæ fídei professiónem Nolam perdúcitur. Ibi ejus constántia várie tentáta, in ardéntem fornácem conjéctus, ita illǽsus evásit, ut ne vestiméntum aut capíllum quidem flamma violáverit. Hinc præses accénsus iracúndia, Mártyris corpus ímperat usque eo dístrahi quoad nervórum compáges artuúmque solvántur. Festus intérea ejus diáconus, et Desidérius lector comprehénsi vinctíque, una cum epíscopo ante rhedam prǽsidis Putéolos pertrahúntur; et in eúmdem cárcerem, in quo Sósius, Misénas, et Próculus Puteolánus diáconus, Eutýches, et Acútius láici ad béstias damnáti detinebántur, simul conjiciúntur.

℟. Manus Dómini. 28*

Lectio v.

Póstero die omnes in amphitheátro feris objécti sunt, quæ naturális oblítæ feritátis, ad Januárii pedes se prostravére. Id Timótheus mágicis cantiónibus tríbuens, cum senténtiam cápitis in Christi Mártyres pronuntiásset, óculis repénte captus oránte mox beáto Januário, lumen recépit: quo miráculo hóminum míllia fere quinque Christi fidem suscepérunt. Verum ingrátus judex níhilo placátior factus benefício, sed conversióne tantæ multitúdinis actus in rábiem, véritus máxime príncipum decréta, sanctum epíscopum cum sóciis gládio pércuti jussit.

℟. In sua simplicitáte. 28*

Lectio vi.

Horum córpora finítimæ urbes, pro suo quæque stúdio certum sibi Patrónum ex iis apud Deum adoptándi, sepeliénda curárunt. Januárii corpus Neapolitáni divíno admónitu extulére: quod primo Beneventum, inde ad monastérium Montis Vírginis, postrémo Neápolim translátum, et in majóri ecclésia cónditum, multis miráculis cláruit. Sed illud in primis memorándum, quod erumpéntes olim e monte Vesúvio flammárum globos, nec vicínis modo, sed longínquis étiam regiónibus vastitátis metum afferéntes, exstínxit. Præclárum illud quoque, quod ejus sanguis, qui in ampúlla vítrea concrétus asservátur, cum in conspéctu cápitis ejúsdem Mártyris pónitur, admirándum in modum colliquefíeri et ebullíre, perínde atque recens effúsus, ad hæc usque témpora cérnitur.

℟. O Timóthee. 29*

In III. Nocturno Lectiones vii. et viii. ut supra. 29*

Lectio ix.

Majus certe, atque admirabílius est mentem adversariórum commutáre, et ánimum in divérsum transférre, quam illos occídere: præsértim cum duódecim tantum essent et lupis plenus esset orbis univérsus. Erubescámus ígitur, qui longe divérsa faciéntes, tamquam lupi in adversários rúi-

mus. Nam quámdiu oves fuérimus, víncimus, étiam si mille circúmstent lupi, superámus, et victóres sumus: quod si lupi fuérimus: víncimur. Tunc enim a nobis pastóris auxílium recédit, qui non lupos, sed oves pascit.

Te Deum laudámus.

Per annum in Suffragiis.

Coṁem. **S. Januarii** Episc. Mart. post Commem. Ss. Apost.

Ad Laudes. Ant. Igne me Dómine examinásti, et non est invénta in me iníquitas: propter hoc lætátum est cor meum, et exsultávit lingua mea.

℣. Posuísti Dómine super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Ad Vesperas. Ant. Liberásti me Dómine a rugiéntibus præparátis ad escam, et a pressúra flammæ, quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuátus.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Oratio.

Majestátem tuam Dómine súpplices exorámus: ut sicut nos júgiter beáti Januárii Mártyris tui atque Pontíficis commemoratióne lætíficas, ita semper supplicatióne defendas.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 19. Septembris 1889.

G. Erlenborn, Vic. in Spirit. Gener.

Index alphabeticus.

Sumptibus et Typis Fr. Pustet, S. Sedis Apost. et S. Rit. Congr. Typogr.



PROPRIUM SANCTORUM
PRO REGNO NEAPOLITANO.

PARS ÆSTIVA.

Die 11. Maji.

S. Francisci de Hieronymo Conf. Patroni Neap.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

In I. Noct. Lect. **Justus.** 1. loco.

Die 14. Maji.

S. Pomponii Episc. Neap.

Duplex, sed ad modum Simplicis recolendum.

Omnia de Communi Conf. Pontif., præter sequentia. **(m. t. v.)**

In I. Vesperis. Ant. **Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.**

℣. **Amávit eum Dñs, et ornávit eum.** ℟. **Stolam glóriæ índuit eum.**

Oratio.

Deus, qui beátum Pompónium Confessórem atque Pontíficem beneficéntiæ tuæ thesaúris locupletásti: da, ut ejus auxílio, et imitatióne cœléstes misericórdiæ tuæ divítias consequámur. Per Dóminum nostrum.

Ad Laudes. Ant. **Euge serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.**

℣. **Justum dedúxit Dóminus per vias rectas.** ℟. **Et osténdit illi regnum Dei.**

In II. Vesp. Ant. **Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum: et ad portas paradísi coronávit eum.**

℣. **Justum.** ut supra.

Die 16. Maji.

S. Joannis Nepomuceni Mart.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die 1. loco.

Sed Lectiones I. Noct. **Fratres: Debitóres.** de Communi plurim. Mart.

Die 17. Maji.

S. Restitutæ Virg. et Mart.

Duplex, sed ad modum Simplicis recolendum.

In I. Vesp. Ant. **Veni sponsa Christi: áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.**

℣. **Spécie tua et pulchritúdine tua.** ℟. **Inténde, próspere procéde, et regna.**

Oratio.

Deus, qui beátam Restitútam Vírginem et Mártyrem tuam illæsam in flammis custodísti: ejúsdem nobis intercessióne concéde; ut tua caritáte succénsi, ab ardóribus sempitérnis arceámur. Per Dóminum nostrum.

Ad Laudes. Ant. **Símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri, quærénti bonas margarítas: invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.**

℣. **Diffúsa est grátia in lábiis tuis.** ℟. **Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.**

In II. Vesp. Ant. **Veni sponsa.** ut supra. ℣. **Diffúsa.** ut supra.

Die 21. Maji.

S. Felicis a Cantalicio Conf.

Semiduplex.

Omnia ut inter Officia pro aliqu. locis eadem die.

Die 23. Maji.

S. Euphebii Episcopi et Confess. Patroni Neapolitani.

Duplex majus.

Omnia de Communi Conf. Pontif., præter sequ.

Oratio.

Deus, qui pópulo tuo in multis perículis constitúto beáti Euphébii, Confessóris atque Pontíficis, mira vigilántia providísti: concéde propítius; ut cujus gloriósa venerámur mérita, perénnibus auxíliis muniámur. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lect. **Fidélis sermo.** de Communi Conf. Pont. 1. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Euphébius Neapolitánus, vitæ sanctimónia, et prodigiórum magnitúdine illústris, post Eustáchium illíus urbis antístitem, ómnium suffrágiis, solus ipse relúctans, institútus epíscopus, divíni honóris tuéndi zelo succénsus, sédulo curávit, ne cultóres idolórum, barbaræque natiónes, tunc témporis Campániam incoléntes, ad superstitiónem novítium Christi gregem tradúcerent: si quas vero aberrántes oves reperísset, salútis in páscua reducébat.

℟. **Invéni David.**

Lectio v.

Ecclésia sua sanctíssime gubernáta, excéssit e vita décimo Kaléndas Június, séptimus post beátum Asprénum antístes. Corpus admirándo fragrans odóre, extra mœnia cónditum, mox post barbarórum incúrsus, Salvatóris in basílicam, deínde in álteram divo Euphébio sacram translátum est: quod longa post témpora, Sixto quinto Pontífice, cum corpóribus beatórum Fortunáti et Máximi Neapolitanórum antístitum, ibídem repértum est. Caput vero in sacro reliquiárum thesaúro máximi templi pia cívium veneratióne cólitur.

℟. **Pósui adjutórium.**

Lectio vi.

Nec vivens modo, sed defúnctus quoque óvibus suis miríſice prófuit: sacerdótem namque ad ejus sacéllum operántem sacris servávit incólumem a districtis Saracenórum gládiis, qui ne astántem quidem aspexérunt. Perjúro

debitóri, qui ímpio sacraménto ante ejus sepúlchrum pecúniam débitam se reddítúrum adstrínxerat, in somnis appárens, ácriter interminátus est; eíque præcípiens, ut creditóri, qui eídem sancto antístiti se commendáverat, íllico satisfáceret. Illud præcípue memorándum, quod Saracénos Neápolim obsidéntes mirum in modum fugáverit, iñanémque cladem pátriæ impendéntem avérterit. Quem ídeo cívitas univérsa, tanto obstrícta benefício, suum in Patrónum elégit. ℟. Iste est qui.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Homo péregre.** de Comm. Conf. Pont. 1. loco.

Die 24. Maji.

B. Mariæ Virginis

sub titulo

Auxilium Christianorum.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 26. Maji.

S. Philippi Nerii Conf. Patroni Civit. et Cleri Neapolitani.

Duplex 2. classis.

In I. Vesperis.

Ant. de Laud. **7*** Ps. ut in I. Vesp. de Communi Apost.

Capitulum. Rom. 5. c.

Cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris per inhabitántem Spíritum ejus in nobis.

Hymnus.

Pangámus Nério débita cántica,
Quem supra nítidi sídera vérticis
Virtus, et méritum sústulit ínclytum
Carptúrum pia gaúdia.

Hic uri súbitis dum videt ígnibus
Ædes, quas hábitat, flétibus ábstinet,
Flammas cum pénitus quíverit hórridas
Paucis víncere lácrimis.

Oblátum pátrui munus, et aúreos
Nummos magnánimus calcat, et ímpiger
Romam digréditur, quam magis ómnibus
Illústrem facit úrbibus.

Noctes sub spécubus, córpora Mártyrum
Quas implent, vígilat sédulus íntegras;
Ex ipsis sátagens díscere mórtuis
Normam, qua bene víveret.

Almæ sit Tríadi glória pérpetim,
Quam cœlum, bárathrum, térraque súscipit:
Quæ nobis Nérii det prece júgia
Dulcis gaúdia pátriæ. Amen.

℣. **Deus virtútum réspice de cœlo, et vísita víneam istam.** ℟. **Et pérfice eam, quam plantávit déxtera tua.**

Ad Magnif. Ant. **Domus mea, domus oratiónis vocábitur: dicit Dóminus.**

Oratio.

Deus, qui beátum Philíppum Confessórem tuum Sanctórum tuórum glória sublimásti: concéde propítius; ut cujus solemnitáte lætámur, ejus virtútum proficiámus exémplo. Per Dóminum.

Ad Matutinum.

Invit. **Veníte, adorémus Regem regum, * Qui in domum oratiónis nos congregávit.**

Ps. **Veníte, exsultémus.**

Hymnus.

Noctu dum Nérius fércula paúperi
Gestans præcípitat, péñiger Angelus
Tecto signíficat, quáliter éxcidat
Numquam férvida cáritas.

Orántis pénetrans cordis in íntimum
Laxávit spátium Spíritus ímpete
De cœlo véniens, esset ut hóspiti
Imménso locus ámplior.

Ponti de médio gúrgite naúfragum
Tractúrus vétulum, sub pede vórtices
Durávit flúidos, et prope túrbidum
Convértit mare in áridam.

Tractans exánimis membra puélluli
In lucem révocat, mox jubet émori,
Donátus Dómini múnere clávibus
Vitæ, mortis et ínferi.

Almæ sit Tríadi glória pérpetim,
Quam cœlum, bárathrum térraque súscipit;
Quæ nobis Nérii det prece júgia
Dulcis gaúdia pátriæ. Amen.

In I. Nocturno.

Ant. Quid mihi est in cœlo, et a te quid vólui super terram, Deus meus.

Psalmi trium Nocturnorum ut in Communi Conf. non Pont.

Ant. Ut fácerem voluntátem tuam, Deus meus vólui, et legem tuam in médio cordis mei.

Ant. Mandáta tua, Dómine, desiderábam: meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

℣. Tibi dixit cor meum, exquisívit te fácies mea. ℟. Fáciem tuam, Dómine, requíram.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. Cap. 51.

Laudábo nomen tuum assídue et collaudábo illud in confessióne, et exaudíta est orátio mea. Et liberásti me de perditióne, et eripuísti me de témpore iníquo. Proptérea confitébor, et laudem dicam tibi, et benedícam nómini Dómini. Cum adhuc júnior essem, priúsquam oberrárem, quæsívi sapiéntiam palam in oratióne mea. Ante templum postulábam pro illa, et usque in novíssimis inquíram eam. Et efflóruit tamquam præcox uva, lætátum est cor meum in ea. Ambulávit pes meus iter rectum, a juventúte mea investigábam eam. Inclinávi módice aurem meam, et excépi illam. Multam invéni in meípso sapiéntiam, et multum proféci in ea.

℟. Replétus Spíritu sancto beátus Philíppus ascensiónes suas dispósuit in corde suo: * Et totis viscéribus diligébat Deum. ℣. Dedit ei Spíritus Dómini sapiéntiam, et prudéntiam multam nimis, et latitúdinem cordis. Et.

Lectio ii.

Danti mihi sapiéntiam dabo glóriam. Consiliátus sum enim, ut fácerem illam: zelátus sum bonum, et non confúndar. Colluctáta est ánima mea in illa, et in faciéndo eam confirmátus sum. Manus meas exténdi in altum, et insipiéntiam ejus luxi. Animam meam diréxi ad illam, et in agnitióne invéni eam. Possédi cum ipsa cor ab iní-

tio: propter hoc non derelínquar. Venter meus conturbátus est quæréndo illam: proptérea bonam possidébo possessiónem. Dedit mihi Dóminus linguam mercédem meam, et in ipsa laudábo eum.

℟. Spíritus sanctus a throno procédens, illíus cor penetrávit, * Novo sanctificatiónis signo. ℣. Advénit ignis divínus, confríngens, urens, et illúminans; et tríbuit ei charísmatum dona. Novo.

Lectio iii.

Appropiáte ad me indócti, et congregáte vos in domum disciplínæ. Quid adhuc retardátis? et quid dícitis in his? Animæ vestræ sítiunt veheménter. Apérui os meum, et locútus sum: Comparáte vobis sine argénto, et collum vestrum subjícite jugo, et suscípiat ánima vestra disciplínam: in próximo est enim inveníre eam. Vidéte óculis vestris, quia módicum laborávi, et invéni mihi multam réquiem. Assúmite disciplínam in multo número argénti, et copiósum aurum possidéte in ea. Lætétur ánima vestra in misericórdia ejus, et non confundémini in laude ipsíus. Operámini opus vestrum ante tempus, et dabit vobis mercédem vestram in témpore suo.

℟. Amóre vulnerátus languébat júgiter, dicens: * Quis me separábit a caritáte? ℣. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita póterit me separáre a caritáte Dei, quóniam ipse in me manet et ego in eo. Quis. Glória Patri. Quis.

In II. Nocturno.

Antiph. Quam dilécta tabernácula tua, Dómine! concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini.

Ant. Quemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum, ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Ant. Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum; quando véniam, et apparébo ante fáciem Dei?

℣. Unam pétii a Dómino, hanc requíram. ℟. Ut inhábitem in domo Dómini.

Lectiones ut in Breviario in eodem Festo cum ℟℟. sequ.

℟. iv. Oculis et mánibus in cœlum semper inténtus * Invíctum ab oratióne spíritum non relaxábat. ℣. Clamans clamábat ad Dóminum: quando véniam, et apparébo ante fáciem Dei? Invíctum.

℟. v. Obitum suum longe ante præscívit, dixítque frátribus: * Cúpio dissólvi, et esse cum Christo. ℣. Interióra mea intra me efferbuérunt absque ulla réquie. Cúpio.

℟. vi. Hódie Philíppus migrávit a sǽculo, gemma sacerdótum, * Per quem in cœlo vivéntem tanta mirácula corúscant. ℣. O virum ineffábilem, nec labóre victum nec morte vincéndum! Per. Glória Patri. Per.

In III. Nocturno.

Ant. Congregáte illi sanctos ejus, qui órdinant testaméntum ejus super sacrifícia.

Ant. Benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem, vidébitur Deus deórum in Sion.

Ant. Qui hábitant in domo tua, Dómine, in sǽcula sæculórum laudábunt te.

℣. Meménto Congregatiónis tuæ. ℟. Quam possedísti ab inítio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Et réliqua.

Homilía S. Ambrósii Epíscopi.

Lib. 8. in Luc.

Beáti servi illi, quos cum vénerit Dóminus, invénerit vigilántes. In superióribus vigiláre nos vóluit, per ómnia exspectántes moménta Dómini Salvatóris advéntum; ne dum áliquis remíttit, et négligit, et de die in diem ópera sua differt, judícii futúri die, vel própria morte prævéntus méritum suæ commendatiónis amíttat. Et illa quidem in omnes præcépti forma generális: (quod si díxerit servus ille in corde suo, moram facit Dóminus meus veníre); verum séries sequéntis exémpli dispensatóribus, hoc est, sacerdótibus vidétur esse propósita, quo sciant sibi gravem in futúrum pœnam esse subeúndam, si sæculáribus inténti delíciis, famíliam Dómini, plebémque commíssam sibi gubernáre negléxerint. Ille autem servus, qui cognóvit voluntátem Dómini sui, et non præparávit, et non fecit secúndum voluntátem ejus, vapulábit multis.

℟. Domus mea domus oratiónis vocábitur: * In ea omnis, qui petit, áccipit: et qui quærit, ínvenit; et pulsánti aperiétur. ℣. Lætificábo eos in domo oratiónis. In ea.

Lectio viii.

Sed quia exíguus est proféctus, et parva meritórum grátia, supplícii metu ab erróre revocári, majórque prærogatíva caritátis et amóris est; Dóminus ad promeréndam sui grátiam stúdia nostra ácuit, et acquiréndæ cupiditáte divinitátis inflámmat, dicens: Ignem veni míttere in terram; non útique illum ignem consumptórem bonórum, sed bonæ voluntátis auctórem, qui aúrea Domínicæ domus vasa meliórat, fœnum vero consúmit, et stípulam, ac sæculária ómnia mundi voluptáte concréta, periturǽque opus carnis exúrit; ille ignis divínus, qui flammigerábat in óssibus Prophetárum, sicut sanctus Jeremías dixit, qui factus est sicut ignis ardens flammígerans in óssibus meis. Est enim ignis Dómini, de quo dictum est: Ignis ante eum ardébit.

℟. Obsecro ítaque, fílii, oratiónes fíeri, postulatiónes, et gratiárum actiónes pro ómnibus: * Et dilígite decórem domus Dei. ℣. Manéte in vocatióne, atténdite lectióni, exhortatióni, et doctrínæ; conversatiónem inter gentes habéte bonam. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix. S. Eleutherii Papæ et Mart. ut in Breviario, et si transferatur, tunc erit:

Lectio ix.

Sint autem lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes, et ídeo quia nox est dies hujus vitæ, lucérna est necessária. Hunc ignem in se étiam et Amaon, et Cléophas a Dómino missum esse testántur, dicéntes: Nonne cor nostrum ardens erat in via, cum aperíret nobis Scriptúras? Evidénter ítaque docuérunt, qualis istíus ignis sit operátio, qui secréta cordis illúminat. Et ídeo fortásse Dóminus in igne

ventúrus est, ut resurrectiónis témpore vítia univérsa consúmat, suíque conspéctu desidéria cómpleat singulórum, meritorúmque, et mysteriórum lumen accéndat.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes
et per Horas.

Ant. 1. De excélso * misit ignem in óssibus meis, et erudívit me.

Psalm. Dóminus regnávit.

2. Concáluit cor meum * intra me, et in meditatióne mea exardéscet ignis.

3. Cor meum, * et caro mea exsultavérunt in Deum vivum.

4. Factus est * in corde meo quasi ignis exǽstuans, et deféci ferre non sústinens.

5. Defécit caro mea, * et cor meum, Deus cordis mei, et pars mea Deus in ætérnum.

Capitulum. Rom. 5. c.

Cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris per inhabitántem Spíritum ejus in nobis.

Hymnus.

Cœlórum Dómino dum sacra múnera
Libábat Nérius, sæpius ádvolans
Tellúrem rápido córpore déserit
Christo fiat ut óbvius.

Illi non rútilans púrpura príncipum
Sacrórum tégumen, non rubra pílei
Majéstas plácuit, cui placet única
Vestis cándida vírginum.

Ægrótus Maríæ dans pia bráchia
Collo virgíneo, fertur in aëra
Intro ceu cúperet posse cubículum
Duci Matris in árduum.

Corpus deséruit, cum Deus hóstiæ
Fertur sub níveæ tégmine cónditus,
Prudens in pátriam pérgere spléndido
Nolens absque viático.

Almæ sit Tríadi glória pérpetim,
Quam cœlum, bárathrum, térraque súscipit;
Quæ nobis Nérii det prece júgia
Dulcis gaúdia pátriæ.
Amen.

℣. Cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris. ℟. Per Spíritum sanctum, qui datus est nobis.

Ad Bened. Ant. Hæc est cáritas Dei, ut mandáta ejus custodiámus, et mandáta ejus grávia non sunt.

Oratio.

Deus, qui beátum Philíppum Confessórem tuum sanctórum tuórum glória sublimásti: concéde propítius; ut cujus solemnitáte lætámur, ejus virtútum proficiámus exémplo. Per Dóminum.

Et fit commem. S. Eleutherii.

Ad Tertiam.

Ant. Concáluit cor meum.

Capit. Cáritas Dei. ut supra.

℟. br. Nunc manent tria hæc, * Fides, spes, cáritas. Nunc. ℣. Major autem horum est cáritas. Fides. Glória Patri. Nunc.

℣. Sectámini caritátem. ℟. Æmulámini spirituália.

Ad Sextam.

Ant. Cor meum.

Capitulum. 1. Joann. 3.

Qui víderit fratrem suum necessitátem habére, et claúserit víscera sua ab eo, quómodo cáritas Dei manet in eo?

℟. br. Filíoli mei, * Non diligámus verbo, neque lingua. Filíoli. ℣. Sed ópere, et veritáte. Non. Glória Patri. Filíoli.

℣. In hoc cognóscimus. ℟. Quóniam ex veritáte sumus.

Ad Nonam.

Ant. Defécit caro mea.

Capitulum. 1. Cor. 13.

Cáritas pátiens est, benígna est, non æmulátur, non agit pérperam, non inflátur, non est ambitiósa, non quærit quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi.

℟. br. In hoc scimus, quóniam cognóvimus eum, * Si mandáta ejus observémus. In. ℣. Qui dicit, se nosse eum, et mandáta ejus non custódit, mendax est. Si. Glória Patri. In.

℣. Qui autem servat verbum ejus. ℟. Vere in hoc cáritas Dei perfécta est.

In II. Vesperis.

Omnia ut in I. Vesperis.

℣. Meménto congregatiónis tuæ. ℟. Quam possedísti ab inítio.

Ad Magnif. Ant. Veníte fílii, audíte me, timórem Dómini docébo vos.

Die 30. Maji.

S. Ferdinandi III. Castellæ et Legionis Regis, Conf.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis eadem die.

Feria VI.

post Octavam Corporis Christi.

Ss. Cordis D. N. J. Chr.

Duplex 1. classis.

Omnia ut in Breviario fine Maji.

Die 4. Junii.

S. Francisci Caracciolo Conf. Patroni Neapolit.

Duplex majus.

Omnia ut in Breviario eadem die, sed Lectiones I. Nocturni **Justus.** de Communi 1. loco.

Die 10. Junii.

S. Maximi Episc. Neap. et Mart.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart., præter sequentia.

Oratio.

Effúnde, quæsumus, Dómine, super Ecclésiam tuam spíritum fortitúdinis, quo beátum Máximum Mártyrem tuum atque Pontíficem pro tuénda fídei veritáte roboráre dignátus es: et concéde ipsíus suffragántibus méritis; ut eódem nos repléti, et in fide inveniámur stábiles et in ópere efficáces. Per Dóminum nostrum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Máximus Neapolitánus ab ineúnte sua ætáte strénuus Jesu Christi miles eo difficíllimo témpore vixit, quo Arianórum hæresis, Constántio imperánte, dire Ecclésiam exagitábat, nullúmque non movébat lápidem, ut Neápoli quoque suas radíces ágeret. Zelo custodiéndæ fídei præclárus post beátum Fortunátum ad Neapolitánam sedem evéctus, mira vigilántia, ferventíque stúdio adlaborávit ut Nicǽna fides sarta téctaque servarétur, ovésque sibi créditæ ab Arianórum perfídia redderéntur imúnes. Nec sine

peculiári Dei providéntia factum est, ut eódem ferme témpore et Libérius Summus Póntifex in univérsa Ecclésia, et in Oriénte sanctus Athanásius præcípue et sanctus Basilíus magnus, sicut et in Gállia sanctus Hilárius Pictaviénsis; in Itália vero sanctus Eusébius Vercellénsis, sanctus Dionýsius Mediolanénsis, nec non Máximus noster aliíque fídei propugnatóres quamplúrimi contra Nicǽnæ fídei hostes se pro muro oppónere non dubitáverint. Quare áccidit, ut Ariáni Constántii imperatóris poténtia et patrocínio suffúlti, sicut álios complúres e strénuis illis antistítibus, ita Máximum multis diu afféctum injúriis diro mulctáverint exsílio. Dumque licet infírma valetúdine, ánimi constántia fideíque virtúte fretus ómnia fórtiter superáret, prævaricátor quidam nómine Zósimus, Ariánis ártibus, in episcopálem ejus cáthedram summo Neapolitanórum mœróre intrúsus est.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

At Máximus, ne gregem suum lupi rapáces dispérgerent et mactárent, in exsílio constántior ánimo contra ímpium Zósimum anathématis senténtiam tulit, quæ quidem justo animadverténtis Dei judício eum ita pérculit, ut quóties coram pópulo sacra múnia obíre adgréditur, inter pontifícii solémnia verba ejus lingua contra natúræ modum proláta extra os protendátur, bovis instar anhéli; nec eam retráhere aut verba prómere váleat, nisi egréssus basílica, quam intráverat. Id quum tóties pátitur, quóties divérsis vícibus sacrum templum íngredi perténtat, tandem intélligit, in pœnam suæ impietátis linguam sibi præpedíri. Quaprópter pérperam sibi deláto episcopátu sese abdicávit, et contínuo ei linguæ usus íntegre restitútus est. Ita Deus latam in Zósimum senténtiam et servi sui Máximi sanctitátem maniféstis étiam osténtis probátam vóluit, quem exsílii quidem ærúmnis conféctum jamprídem in cœléstem pátriam advocáverat.

℟. Desidérium ánimæ.

Lectio vi.

Sacrum ejus corpus, Constántio vita functo, cives Neapolitáni e loco exsílii Neápolim transtulére, ut sancti antístitis et Mártyris, quem vivum ad ecclésiam suam reverténtem amplécti nequíverant, réduces saltem exúvias læti excíperent, et in æde sancto Fortunáto dicáta condidérunt: deínde magna cum pompa in Stephaníam basílicam intulérunt; postrémo in álteram sancto Euphébio sacram, ubi sub ara máxima una cum corpóribus sanctórum Euphébii et Fortunáti summa veneratióne cólitur. Quibus permótus Pius nonus Póntifex máximus instánte Cardináli archiepíscopo Neapolitáno Xysto, cultum, quem Neapolitána ecclésia ab antiquíssimis usque tempóribus solémni cultu beáto Máximo exhibére consuéverat, ex sacræ Congregatiónis Rítuum consúlto anno sui Pontificátus vigésimo séptimo ineúnte auctoritáte Apostólica approbávit, atque de eódem beáto Máximo Offícium recitándi et Missam celebrándi sub

ritu dúplici in civitáte ac diœcési Neapolitána facultátem fecit.

℟. Stola jucunditátis.

In III. Nocturno Homil. in Evang. Si quis venit ad me. de Communi Mart. 1. loco.

℟. viii. Dómine prævenísti.

Die 13. Junii.

S. Antonii de Padua Conf.

Duplex 1. class. cum Oct.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

In I. Nocturno Lectiones **Justus**. de Communi 1. loco.

Die 15. Junii.

S. Fortunati Ep. Neap. et Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pontif., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Fortunátum Confessórem tuum atque Pontíficem, cœléstis regni desidério júgiter flagrántem, glóriæ tuæ illustratióne voti cómpotem effecísti: ejus précibus concéde; ut eódem nos, quo iste, amóre succénsi, et quæ sursum sunt in via quærere, et post hujus vitæ éxitum in pátria perpétuo possidére valeámus. Per Dóminum nostrum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Fortunátus Neapolitánus epíscopus, tértio Ecclésiæ sæculo jam ferme labénte ad salútem, et tutámen suórum cívium datus a Deo est, quo témpore Ariáni, ut ímpias blasphémias libérius disseminárent, orthodóxos divexábant. Et præsul sanctíssimus nihil labóri, industriǽque suæ réliquum fecit, quo verbo, et exémplis oves sibi commíssas cathólicæ doctrínæ præcéptis informáret, ne de Christi caula discéderent: et non sine peculiári Dei providéntia factum est, ut ne quidem una descísceret. Animi vero magnitúdine, prudéntia, ac róbore vere sacerdotáli magnam auctoritátem, et reveréntiam est adéptus.

℟. **Invéni David.**

Lectio v.

Tot ígitur tantísque curis fórtiter adhíbitis, grege ab Arianórum erróribus tutáto, cœléstis pátriæ desidérium, quo æstuábat, in dies tam illi fervéntius esse cœpit, ut numquam neque diu, neque noctu fundéndis précibus abstinúerit, quo mercédem labóribus a Deo promíssam recíperet, tamque vero simul constans ánimus ad quævis pro Christo ejúsque Ecclésia advérsa feréndа, ut eum antíquitas Confessóris nómine appelláre non dubitáverit.

℟. **Pósui adjutórium.**

Lectio vi.

Tandem labóribus detrítus, in Christi pace extrémum clausit diem; corpúsque ejus primum Neápoli in sacram ædem ipsíus Fortunáti nómine insígnem illátum est, deínde per episcopórum manus ad Stephaníam translátum, pópulo comitánte, et patrocínii ejus opem imploránte: postrémo ad Euphebiánam, ibíque sub ara máxima cónditum est. Quæ ómnia perpéndens Gregórius décimus sextus Póntifex Máximus, instánte cardináli archiepíscopo Neapolitáno,

cultum, quem beáto antístiti suo ab ejus die migratiónis Neapolitanórum gens usque nunc attríbuit, ex Sacræ Congregatiónis Rítuum consúlto, auctoritáte apostólica confirmávit, ac de eódem Fortunáto officium recitándi, ac missam celebrándi in civitáte, ac diœcési Neapolitána potestátem fecit.

℟. **Iste est qui.**

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Homo péregre.** Lectio ix. vero de Ss. Vito et Soc. Mart., cum commem. Oct. S. Antonii, et Ss. Mart. in Laud.

Eadem Die.

Ss. Viti et **Sociorum** Martyrum.

Duplex.

Omnia de Communi plurim. Mart., præter sequentia.

Oratio ut in Breviario.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno Lectiones iv. et v. ut in Brev. Lectio vi. **Quotiescúmque.** de Communi.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 10.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit. Et réliqua.

Homilía Venerábilis Bedæ Presbýteri.

Lib. 3. in Luc. 10. cap. 42. paulo ante finem.

Et in audiéndo quisque, vel spernéndo Evangélii prædicatóre non viles quasque persónas, sed Dóminum Salvatórem, imo ipsum Patrem spérnere se, vel audíre dísceret, ait: Qui vos audit, me audit: et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum, qui me misit. Quia procul dúbio in discípulo magíster audítur, et in Fílio Pater honorátur. Potest et ita intélligi: Qui non facit misericórdiam uni de frátribus meis mínimis, nec mihi facit; quia et ipse pro his formam servi, et paúperis hábitum suscépi.

℟. **Propter testaméntum.**

Lectio viii.

Revérsi sunt autem septuagínta duo cum gaúdio, dicéntes: Dómine, étiam dæmónia subjiciúntur nobis in nómine tuo. Bene quidem conféssi sunt, deferéntes honórem nómini Christi; sed quia infírma adhuc fide gaudébant in virtútibus, vide quid aúdiant. Et ait illis: Vidébam sátanam sicut fulgur de cœlo cadéntem. Non modo vídeo, sed prius vidébam quando córruit. Quod autem ait, sicut fulgur, vel præcípitem de supérnis ad ima lapsum signíficat; vel quia dejéctus adhuc transfigúrat se in Angelum lucis.

℟. **Sancti mei.**

Lectio ix.

Ecce dedi vobis potestátem calcándi supra serpéntes et scorpiónes. Hoc est omne genus immundórum spiríttuum de obséssis corpóribus ejiciéndi. Quamvis et ad lítteram rectíssime possit áccipi. Síquidem et Paulus, a vípera invásus, nihil advérsi pátitur et Joánnes, ut história tradit, hausto venéno non lǽditur. Hoc sane inter serpéntes, qui dente, et scorpiónes, qui cauda nocent, distáre árbitror: quod serpéntes apérte sæviéntes, scorpiónes clánculo in-

sidiántes, vel hómines, vel dǽmones signíficent. Serpéntes qui inchoándis virtútibus venéna pravæ persuasiónis objíciunt: scorpiónes qui consummátas virtútes ad finem vitiáre conténdunt. Verúmtamen in hoc nolíte gaudére: Quia spíritus ejícere, sicut et virtútes álias fácere, intérdum non est ejus mériti, qui operátur, sed invocátio nóminis Christi hoc agit.

Te Deum laudámus.

Die 16. Junii.

S. Margaritæ Scot. Reg. et Vid.

Semiduplex.

Omnia ut in Breviario die 10. Junii.

Eadem Die.

S. Joannis Francisci Regis Conf. Soc. Jesu.

Semiduplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 17. Junii.

B. Pauli Buralis Card. de Aretio, Episc. Neap. et Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Confess. Pont., præter sequ.

Oratio.

Deus qui admirábiles vocatiónis tuæ trámites in beáto Paulo multifórmiter ostendísti: ejus nobis intercessióne concéde; ut te vocántem et intellígere, et fidéliter sequi valeámus. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Paulus de Arétio, ex prisca Burálium stirpe Itrii in Campánia ortus, ab ineúnte ætáte omni génere virtútis non unum spécimen dedit. Sǽculi illécebras, et Neapolitáni fori jam sibi arridéntem celebritátem in ipso juventútis flore contémnens, Itrium secéssit: refugiénsque régium sanctæ Claræ consílium, in quo a Cárolo quinto se cooptátum intelléxerat, rusticáno hábitu se ábdidit in silvis. Sed ab immíssa équitum manu quæsítus, deprehensúsque, Neápolim régredi, impositúmque munus capéssere cógitur. Verum vir Dei aúlicos, ac forénses strépitus fastídiens, regulárem pótius vitæ statum, ac recéssum ardébat. Quem tandem, plúribus humilitátis et perseverántiæ prǽstitis arguméntis, inter cléricos reguláres obtínuit.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Diutúrni, atque exoptatíssimi voti compos efféctus, in ipso statim tyrocínio, mirum, quantum in reguléri disciplína atque in omni virtútum génere profécerit. Cum sóciis, Andréa Avellíno præsértim, de majóri alacritáte, et de durióri quólibet, ac fœdióri ópere perfungéndo contendébat sǽpius, et præ víribus pugnábat. A quo humilitátis stúdio ad vilíssima quæque dedúcto, post repetítas sui órdinis præfectúras, post amplíssimam ad Philíppum Hispaniárum regem functam legatiónem, post hábitas étiam de morum controvérsiis lectíssimas consultatiónes, numquam vel mínimum discéssit. Ut strénue proínde non una episcopáli sede recusáta, ad Placentínam, tum ad Neapolitánam non potúerit, nisi suprémis ádigi obediéntiæ légibus; et inter ipsos pur-

purátos Patres nónnisi ánxio, ac reluctánti ánimo ascísci.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Verum in his ómnibus nihil immutátus, caritátis atque religiónis stúdio veheméntius exársit. Tridentíni decréta morúmque reformatiónem éditis sýnodis zelávit, induxítque, christiánæ disciplínæ scholas apéruit. Religiosórum cœnóbia, feminárum collégia, clericórum semanária excitávit non solum, sed victu étiam fovit, et stipe frequénti. Hæréticis, Hebræis, Turcis, sodalitátibus concionibúsque ad eórum conversiónem institútis, consúluit. Ac úndique ópera ejus, et exémplo instauráti mores, excísæ corruptélæ, usúræ, blasphémiæ, impudicítiæ procul amandátæ. Quibus, aliísque plúribus labóribus, ærúmnis, pœnitentiísque conféctus, et præ vírium imbecillitáte córpore pene fatíscens, in terram acérbo casu, fémore fracto, prostrátus est. Quo ex vúlnere, anno ætátis sexagésimo séptimo, diris dolóribus ad extrémum usque fórtiter tolerátis, evolávit in cœlum.

℟. Iste est qui.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Homo péregre.** de Communi 1. loco.

Die 18. Junii.

B. Petri de Pisis Confessoris.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui in Ecclésia tua nova semper instaúras exémpla virtútum: da nobis beáti Petri Confessóris tui ita inhærére vestígiis, ut assequámur et præmia. Per Dóminum nostrum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Petrus Gambacúrta, Pisis in Etrúria nóbili génere natus, in ipso juventútis flore pátriam, paréntes, atque divítias propter Christum relínquens, in erémum secéssit, ac in Cessánæ monte agri Urbinátis aliquámdiu inténtam divínis rebus vitam duxit. Ibi ex pia Christi fidélium stipe anno Dómini millésimo trecentésimo octogésimo, cœnóbio cum parva ecclésia in honórem sanctíssimæ Trinitátis exstrúcto, una cum duódecim sóciis ad mundi contémptum, et eremíticæ vitæ cultum incénsis, prima suæ congregatiónis jecit fundaménta; quam a sancto Hierónymo, in quem præcípua veneratióne afféctus vixit, nuncupávit, ejúsque virtútes imitári conténdit. In idem propósitum pios sodáles potíssimum est adhortátus, profecítque in dies morum sanctimónia.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Caritáte in Deum flagrábat quam máxime: ita vero proximórum salúti stúduit, ut ob illórum multitúdinem, qui ad meliórem frugem ipsíus ópera se recéperant, brevi multa monastéria sint constrúcta. Dei Genitrícem singuláriter cóluit, ejúsque patrocínium non uno obséquii génere méruit. In divinórum meditatióne assídue incúm-

bens, média étiam nocte ad Deum laudándum surgébat. Corpus fere quotídie jejúniis, et flagéllis macerábat; super páleas, vel humi cubans dúriter, ac vix necessárium carpébat somnum. Ad nudam carnem vestem ásperam instar cilícii adhíbuit. Paupertátis amans, et cultor, nec quidquam hábuit próprium; et institúti sui ásseclas paúperes propter Christum appellári vóluit. Suas et fratrum calamitátes patiénter tolerábat: benignitáte et ánimi demissióne emícuit: singulórum vero indigéntiæ famulári, tum étiam vilíssima quæque obíre múnera in delíciis hábuit.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

Donis a Deo ob sanctitátem auctus, quamplúrimos morbis grávibus afflictátos sanitáti restítuit. Dæmones ab humánis corpóribus misérrime oppréssis et cruciátis decédere cómpulit: multis in extrémo discrímine opitulátus est. Futúra quoque prædíxit. Románis Pontifícibus virtútum mérito carus, et in prétio hábitus, ab ipsis multis cumulátus est benefíciis, quæ in institútam a se religiósam famíliam redundárunt. Dénique octogésimum annum agens, Venétiis, quo cœtus sui causa concésserat, prænuntiáto mortis die, ac sacraméntis Ecclésiæ suscéptis, décimo quinto Kaléndas Július, anno Dómini millésimo quadringentésimo trigésimo quinto migrávit in cœlum, miráculis multis post óbitum clarus. ℟. Iste homo.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Sint lumbi. de Communi 1. loco.

Die 20. Junii.

Octava

S. Antonii de Padua Conf.

Duplex.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Serm. 2. de S. Victore.

Lectio iv.

Gaudéte in Dómino, dilectíssimi, qui inter contínua suæ pietátis benefícia indúlsit hóminem mundo, cujus multi salvaréntur exémplo. Iterum dico: Gaudéte, quod factus de médio appropiávit Deo, ut multo plures ejus intercessióne salvéntur. In terris visus est, ut esset exémplo: in cœlum levátus est, ut sit patrocínio. Hic infórmat ad vitam; illic invítat ad glóriam: factus est mediátor ad regnum, qui fuit incitátor ad opus. Bonus mediátor, qui sibi jam póstulans nihil, totum in nos transférre desíderat et supplicántis afféctum, et supplicatiónis fructum: quid enim quærat sibi, qui nullíus eget?

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Hæc dies gloriósæ migratiónis ejus, dies lætítiæ cordis ejus, exsultémus et lætémur in ea: introívit in poténtias Dómini, gaudeámus, quia nunc poténtior est ad salvándum. Hódie Antónius, pósito córpore, tanto alácrior, quanto expedítior penetrávit in sancta, símilis factus in glória sanctórum. Hódie despécto mundo, et mundi príncipe triumpháto, supra mundum vere victor ascéndit,

accípiens de manu Dómini corónam victóriæ. Ascéndit autem cum imménsa supelléctili meritórum, clarus triúmphis, miráculis gloriósus: sedet veteránus miles, débita jam suavitáte et securitáte quiétus; secúrus quidem sibi, sed nostri sollícitus. O venerándam étiam ipsis Angelis sanctitátem! quam pari stúdio, etsi díspari voluntáte, et mali fúgitant, et frequéntant boni! Nec fácile díxerim, quid virum ástruat sanctiórem, horum favor, aut pavor illórum.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

O miles emérite, qui christiánæ milítiæ duris labóribus angélicæ felicitátis réquiem commutásti! réspice ad imbélles et imbecílles commilitónes tuos, qui inter hostíles gládios et spiritáles nequítias tuis laúdibus occupámur. Quam pium, quam dulce, quam suáve, o Antóni, in hoc loco afflictiónis et in hoc córpore mortis te cánere, te cólere, te precári! Nomen tuum, et memoriále tuum favus distíllans in lábiis captivórum; mel et lac sub lingua eórum, qui tui memória delectántur. Eja ergo, fortis athléta, dulcis patróne, advocáte fidélis, exsúrge in adjutórium nobis; ut et nos de nostra ereptióne gaudeámus, et tu de plena victória gloriéris.

℟. Iste homo.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Et réliqua.

Homilía sancti Fulgéntii Epíscopi.

Ex Sermone de Confess.

Si istum Dómini sermónem secúndum lítteram velímus accípere, nihil in eo cómmodi spiritális póssumus inveníre: quid enim próficit ad ánimæ salútem, si áliquis corporáliter aut lumbos præcíngat, aut lucérnam accéndat? In lumbis ítaque concupiscéntia carnális osténditur, in lucérnis vero fides, et cáritas christiána monstrátur. Jubens ígitur Dóminus lumbos nostros præcíngi, concupiscéntias carnis sine dúbio præcipit refrenári; ímperans autem, ut lucérnas ardéntes habeámus, hoc útique jubet, ut et lúmine veræ fídei splendeámus, et sanctæ caritátis opéribus ferveámus.

℟. Iste est qui.

Lectio viii.

Ista, quæ de Evangélio proposúimus, cum prophéticis sermónibus conferámus. Utrúmque enim testaméntum Deus instítuit, unus Dóminus dedit: et si sunt utriúsque testaménti divérsa pro tempóribus sacraménta, concórdat tamen in utróque salútis humánæ senténtia, qua præcípitur, ut non peccémus, et jubétur ut bonis opéribus insistámus. Per Isaíam Dóminus omnes his ádmonet verbis: Auférte malum cogitatiónum vestrárum ab óculis meis; quiéscite pervérse ágere; díscite benefácere. Quid est enim, sint lumbi vestri præcíncti, nisi quiéscite ágere per-

vérse? Quid est, sint lucérnæ ardéntes, nisi díscite benefácere?

℟. Sint lumbi.

Lectio ix. de S. Silverio, ut in Brev.

Die 21. Junii.

S. Aloysii Gonzagæ Confessoris et Patroni Neap.

Duplex majus.

Omnia ut in Breviario, sed Lect. I. Nocturni **Justus.** de Comm. 1. loco.

Die 22. Junii.

S. Joannis Episc. Neap. et Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont., præter sequentia. **(m. t. v.)**

Oratio.

Deus, qui beátum Joánnem Confessórem atque Pontíficem, méritis onústum ad cœléste regnum beáti Paulíni vócibus advocásti: præsta; ut ejúsdem natalítia veneráti, et recta vestígia secúti ad ætérnæ vitæ páscua perducámur. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Joánnes Neapolitánus non virtútibus minus, quam doctrínis excúltus, a Gregório quarto Pontífice máximo cleri electióni, precibúsque pópuli suffragánte, pátriæ instítúitur antístes. Mira in paúperes, in ærumnósos caritáte, ómnium bono natus, exársit. Nullíus malefícia, nisi benefíciis vindicávit; neque in flagitiósos hómines visus est umquam, sed in sola flagítia indignári. Tam demíssi ánimi exímia virtúte præcélluit, ut súbditus ómnibus malúerit vidéri, quam præsul: non álio quam Justi ac Sancti nómine nuncupátus. Cujus proptérea intemerátæ fídei Neapolitánus dux fílium Athanásium, sacræ ínfulæ ac sanctitátis hærédem, doctrínis imbuéndum, et piis móribus trádidit.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Tot tantísque ánimi dótibus sapiéntia insígnis prudentiáque accéssit. Códices plures, utilésque conscrípsit. Civitátem a Sarracénis terra maríque obséssam ópere et consílio juvit, eíque a Sicárdo Longobardórum príncipe pacem obtínuit. Máximum templum sacra supelléctili aúrea, et argéntea donávit; atque in vita functos étiam pius, decessórum antístitum corpóribus in Stephaníæ, basílicam translátis, et monuménta pósuit, et imágines sepulchráles appínxit. Tot dénique virtútibus gestísque præcláram vitam óbitu beatíssimo terminávit.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Dignus namque in morte fuit, ut eádem nocte, quæ suprémam Christi cœnam antecédit, beátum Paulínum Nolánum antístitem in somnis oblátum prospíceret, et invitántem ad cœlum seréno vultu, et suavíssimis his vócibus audíret: Joánnes frater, quid hic agis? Exsólve jam víncula, et ad nos évola. Eo conspéctu et allocutióne inflammátus, anhélans ad cœléstia, Sábbati post Parascéven die, válidus procéssit ad templum; et oratióne ad pópulum hábita, ad altáre

perréxit; indéque repénte ánimam exspírans ad cœli templum emigrávit, anno octingentésimo quadragésimo nono. Sacrum corpus sub ara máxima ecclésiæ sanctæ Restitútæ veneratióni habétur.

℟. **Iste est qui.**

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Vigiláte.** de Communi 2. loco.

Die 23. Junii.

S. Paulini Episc. Nolani et Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Confess. Pont., præter sequentia.

Orátio.

Deus, qui beáto Paulíno Confessóri tuo atque Pontífici summam in próximum caritátem conférre dignátus es: ejus nobis intercessióne concéde; ut sanctíssima caritáte conjúncti, ad perénnem in cœlis glóriam perveníre mereámur. Per Dóminum.

In I. Nocturno.

De libro Job.

Lectio i. Cap. 28.

Unde sapiéntia venit, et quis est locus intelligéntiæ? Abscóndita est ab óculis ómnium vivéntium, vólucres quoque cœli latet. Perdítio et mors dixérunt: Aúribus nostris audívimus famam ejus. Deus intélligit viam ejus, et ipse novit locum illíus; ipse enim fines mundi intuétur; et ómnia, quæ sub cœlo sunt, réspicit. Qui fecit ventis pondus, et aquas appéndit in mensúra. Quando ponébat plúviis legem, et viam procéllis sonántibus, tunc vidit illam, et enarrávit, et præparávit, et investigávit; et dixit hómini: Ecce timor Dómini, ipsa est sapiéntia; et recédere a malo, intelligéntia.

℟. **Euge serve bone.**

Lectio ii. Cap. 29.

Auris aúdiens beatificábat me, et óculus videns testimónium reddébat mihi; eo quod liberássem paúperem vociferántem, et pupíllum, cui non esset adjútor. Benedíctio peritúri super me veniébat, et cor víduæ consolátus sum. Justítia indútus sum; et vestívi me, sicut vestiménto et diadémate, judício meo. Oculus fui cæco, et pes claudo; pater eram paúperum; et causam, quam nesciébam, diligentíssime investigábam.

℟. **Ecce sacérdos.**

Lectio iii. Cap. 29.

In nídulo meo móriar, et sicut palma multiplicábo dies. Radix mea apérta est secus aquas, et ros morábitur in messióne mea. Glória mea semper innovábitur, et arcus meus in manu mea instaurábitur. Qui me audiébant, exspectábant senténtiam, et inténti tacébant ad consílium meum. Verbis meis áddere nihil audébant, et super illos stillábat elóquium meum. Exspectábant me sicut plúviam, et os suum aperiébant quasi ad imbrem serótinum. Si quando ridébam ad eos, non credébant, et lux vultus mei non cadébat in terram. Si voluíssem ire ad eos, sedébam primus; cumque sedérem quasi rex circumstánte exércitu, eram tamen mœréntium consolátor.

℟. **Jurávit Dóminus.**

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Paulínus Nolæ epíscopus, erudítus stúdiis humanitátis, doctus étiam divínis lítteris, multa elegánter et ornáte scripsit vérsibus, et solúta oratióne. Hujus viri cáritas præcípue celebrátur, quod, vastáta a Gothis Campánia, omnem facultátem, ne relíctis quidem sibi rebus ad vitam necessáriis, in aléndos paúperes et captívos rediméndos contúlerit. Quo témpore, ut scribit sanctus Augustínus, ex opulentíssimo dívite voluntáte paupérrimus, et copiosíssime sanctus, captus a bárbaris sic Deum precabátur: Dómine, ne excrúcier propter aurum et argéntum: ubi enim sint ómnia mea, tu scis. Póstea vero Wándalis eásdem regiónes infestántibus, cum ab eo pósceret vídua, ut fílium sibi redímeret, consúmptis rebus ómnibus in offício pietátis, seípsum pro illo in servitútem trádidit.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Igitur in Africam profectus, dómini sui, qui regis erat gener, hortum colendum suscépit. Verum cum prophetíæ dono regis mortem ipsi dómino prædixísset, et rex in somnis Paulínum sedéntem médium inter duos júdices, sibíque de mánibus eripiéntem flagéllum vidísset; tantus vir cógnitus honorificentíssime dimíssus est, condonátis ei ómnibus suis cívibus, qui captívi fúerant. Nolam revérsus ad episcopále offícium, cum verbo et exémplo omnes ad pietátem Christiánam inflammáret, láterum dolóre corréptus est; mox cubículum, in quo jacébat, terræmótu contrémuit, ac paulo post ánimam Deo réddidit.

℟. Pósui adjutórium.

De Epístola S. Paulíni Epíscopi Noláni ad Delphínum Epíscopum.

Lectio vi. Epist. 20.

Meminérimus nos ab útero terræ et cognatiónis nostræ segregátos Delphíni fílios esse factos, ut efficerémur illi pisces, qui perámbulant sémitas maris. Meminérimus te non solum Patrem, sed et Petrum nobis esse factum, quia tu misísti hamum ad me de profúndis et amáris hujus sæculi flúctibus extrahéndum, ut captúra salútis effícerer, et cui vivébam, natúræ mórerer, ut cui mórtuus eram, víverem Dómino. Sed si piscis tuus sum, débeo ore pretiósum præférre denárium, in quo non Cǽsaris figúra et inscríptio, sed Regis ætérni viva et vivíficans imágo præfúlgeat, fidem scílicet veritátis, quæ doctrínæ tuæ monétam et ánnuli tui sýmbolum nummo cordis mei et ceræ mentis imprésserit. Doctrína enim tua argéntum igne examinátum, probátum terræ, purgátum séptuplo. Donet oratiónibus tuis Dóminus, ut monétæ tuæ nummus, ut hami tui piscis, ut vitis tuæ sarméntum, ut úteri castitátis tuæ fílius sim. Fílii enim Delphíni reputabúntur in fíliis Aaron. ℟. Iste est qui.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére pusíl-

lus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Et réliqua.

Homilía sancti Paulíni Epíscopi Noláni.

De Gazophylacio.

Potúerat, dilectíssimi, Dóminus omnípotens æque univérsos dívites fácere, ut nemo indigéret áltero; sed infinítæ bonitátis consílio sic parávit miséricors et miserátor Dóminus, ut tuam in illis mentem probet. Fecit míserum ut agnósceret misericórdem; fecit ínopem ut exercéret opuléntum. Matéria divitiárum tibi est fratérna paupértas, si intélligas super egénum et paúperem; nec tibi tantum hábeas quod accepísti, quia ídeo et illíus partem tibi in hoc sǽculo cóntulit Deus, ut tibi debéret quod de suis donis tuo voluntário affécte indigéntibus obtulísses, ac te vicíssim in ætérna die de illíus parte ditáret. Per ipsos enim nunc áccipit Christus, et tunc pro ipsis repéndet.

℟. Amávit eum.

Lectio viii.

Réfice esuriéntem ánimam et non timébis in die malo ab ira superventúra. Beátus enim (inquit) qui intélligit super egénum et paúperem, in die malo liberábit eum Dóminus. Operáre ígitur et éxcole hanc regiónem terræ tuæ, frater, ut gérminet tibi frugem fértilem, plenam ádipe fruménti, magno cum fœnore centésimum tibi fructum multiplicáti séminis afferéntem. In hujus vel possessiónis vel negotiatiónis appetítum et stúdium: sancta et salutáris est avarítia, nam talis cupíditas, quæ regnum cœléste merétur et bonum perénne desíderat, radix bonórum est. ⁋ Tales ígitur divítias concupíscite, et hujúsmodi possidéte patrimónium, quod in centénos fructus vobis créditor pénsitet, ut vestros quoque vobíscum bonis perénnibus augeátis hærédes. Posséssio enim hæc vere magna et pretiósa est, quæ possessórem suum non cúmulo sæculári ónerat, sed réditu ditat ætérno.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Verum, dilectíssimi, non solum ut bona ætérna quærátis, sed ut mala innúmera vitáre mereámini, præsénti sollicitúdine et sédula operatióne justítiæ providéte. Magno enim adjutório atque præsídio nobis opus est, et multárum atque indeficiéntium orationum patrocíniis indigémus. Adversárius enim noster non quiéscit, et in nostrum pérvigil hostis intéritum óbsidet omnes vias nostras. Multæ prætérea nobis in hoc sǽculo cruces, innúmera discrímina, morbórum labes, fébrium ignes, et dolórum tela grassántur in ánimam, cupiditátum faces accendúntur, ubíque prætenti latent láquei, úndique stricti horrent gládii, inter insídias et pugnas vita transígitur, et per ignes dolóso cíneri suppósitos ambulámus. Igitur priúsquam in áliquam tantárum ægritúdinum labem casu vel mérito actus incúrras, festína médico suscéptus et carus fíeri, ut in témpore necessitátis parátum hábeas remédium salútis. Aliud est, quando tu

solus oras pro te, et áliud, quando multitúdo pro te apud Deum trépidat.

Te Deum laudámus.

Die 29. Junii.

In Festo

Ss. Apost. Petri et **Pauli.**

Commemorationes

omnium Ss. Apostolorum et **omnium Ss. Mart.**

In I. Vesperis pro Apostolis.

Ant. **In hoc cognóscent omnes, quia discípuli mei estis, si dilectiónem habuéritis ad ínvicem.**

℣. **Nimis honoráti sunt amíci tui Deus.** ℟. **Nimis confortátus est principátus eórum.**

Oratio.

Exaúdi nos, Deus salutáris noster, et ómnium sanctórum Apostolórum tuórum tuére præsídiis, quorum donásti fidéles esse doctrínis.

Pro omnibus Ss. Martyribus.

Ant. **Isti sunt sancti, quos elégit Dóminus in caritáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam.**

℣. **Justi epuléntur, et exsúltent in conspéctu Dei.** ℟. **Et delecténtur in lætítia.**

Oratio.

Deus, qui glorificáris in concílio sanctórum Mártyrum tuórum, réspice ad preces humilitátis nostræ: ut quorum solémnia celebrámus, eórum précibus adjuvári mereámur. Per Dóminum.

Ad Laudes pro Apostolis.

Ant. **Vos qui secúti estis me, sedébitis super sedes, judicántes duódecim tribus Israël.**

℣. **In omnem terram exívit sonus eórum.** ℟. **Et in fines orbis terræ verba eórum.**

Oratio. **Exaúdi.** ut supra.

Pro omnibus Ss. Martyribus.

Ant. **Sancti tui, Dómine, semper benedícant te, et glóriam regni tui dicant.**

℣. **Mirábilis Deus in sanctis suis.** ℟. **In sanctis ejus laudáte Deum.**

Oratio. **Deus.** ut supra.

In II. Vesperis pro Ss. Apost.

Ant. **Vos amíci mei estis, si féceritis, quæ ego præcípio vobis, dicit Dóminus.**

℣. **Gloriósus in sanctis suis fáciens mirabília.** ℟. **Hic Deus meus, et glorificábo eum.**

Oratio. **Exaúdi.** ut supra.

Pro omnibus Ss. Martyribus.

Ant. **Dico autem vobis amícis meis, ne timeátis ab iis, qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere.**

℣. **Justi autem in perpétuum vivent.** ℟. **Et apud Dóminum est merces eórum.**

Oratio. **Deus.** ut supra.

Dominica II. Julii.

Sacrarum Reliquiarum

quæ in ecclesia cathedrali et diœcesi asservantur.

Duplex 2. class.

In I. Vesperis.

Ant. 1.

Justi quasi virens fólium germinábunt: radix justórum non commovébitur.

Psalm. **Dixit Dóminus.** cum reliqu., ut in I. Vesp. de Comm. Apost.

2. Sit memória illórum in benedictióne: et ossa eórum púllulent de loco suo.

3. Ossa eórum púllulent de loco suo: nam corroboravérunt Jacob, et redemérunt se in fide virtútis.

4. Illi viri misericórdiæ sunt quorum pietátis non defuérunt, et glória eórum non derelinquétur.

5. Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt; nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem.

Capitulum. Rom. 8. 11.

Si spíritus ejus qui suscitávit Jesum a mórtuis, hábitat in vobis; qui suscitávit Jesum Christum a mórtuis, vivificábit et mortália córpora vestra, propter inhabitántem Spíritum ejus in nobis.

Hymnus.

O vos unánimes Christíadum chori,
Sanctórum túmulos et cíneres patrum,
Dulces exúvias pígnora cœlitum
Lætis dícite cántibus.

Cœlo quando piis æqua labóribus
Felíces ánimæ gaúdia póssident,
Pœnárum sóciis débita rédditur
Hic laus et decus óssibus.

Passim sparsa Deus, pollíciti memor,
Custos, ne péreant, pígnora cólligit;
Electósque suis próvidus ággerit
Aptándos lápides locis.

Quin et relíquias et túmulos sibi
Aras ipse Deus cónsecrat hóstia;
Conjungénsque suis se caput ártubus
Hos secum simul ímmolat.

Vos, quorum cíneres supplícibus pia,
Tutum præsídium, plebs colit ósculis,
Si vos nostra movent, subsídium, boni,
Vestris ferte cliéntibus.

Ut cum nostra novis spléndida dótibus
Surget juncta choris spiríituum caro,
Indivísa Trias, sit Deus ómnia
Nobis semper in ómnibus.
Amen.

℣. Pretiósa in conspéctu Dñi.
℟. Mors Sanctórum ejus.

Ad Magnif. Ant. Amodo jam dicit Spíritus, ut requiéscant a labóribus suis: ópera enim illórum sequúntur illos.

Oratio ut ad Laudes. 27*

Ad Matutinum.

Invit. Mirábilem in sanctis suis Dóminum, * Veníte adorémus.

Ps. Veníte exsultémus.

Hymnus. O vos unánimes. ut supra.

In I. Nocturno.

Ant. Dixit Deus: Ego sum qui sum, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob; hoc nomen mihi est in ætérnum.

Psalmi de Communi plurim. Mart. et in reliqu. Nocturnis.

Ant. De manu mortis liberábo eos: de morte rédimam eos.

Ant. Fáciam propter servos meos, ut non dispérdam totum; adhuc illis loquéntibus ego aúdiam.

℣. Orábit ad te omnis sanctus.
℟. In témpore opportúno.

Ex libro Apocalýpsis beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio i. Cap. 6.

Vidi subtus altáre ánimas interfectórum propter verbum Dei, et propter testimónium, quod habébant, et clamábant voce magna dicéntes: Usquequo Dómine, sanctus et verus, non júdicas et non víndicas sánguinem nostrum de iis qui hábitant in terra? Et datæ sunt illis síngulæ stolæ albæ, et dictum est illis, ut requiéscerent adhuc tempus módicum, donec compleántur consérvi eórum, et fratres eórum, qui interficiéndi sunt, sicut et illi.

℟. Abel testimónium consecútus est esse justus, testimónium perhibénte munéribus ejus Deo, * Et per fidem defúnctus adhuc lóquitur. ℣. Dixit Dóminus ad Cain: Quid fecísti? vox sánguinis fratris tui clamat ad me de terra. Et.

Lectio ii. Cap. 7.

Respóndit unus de senióribus, et dixit mihi: Hi qui amícti sunt stolis albis, qui sunt et unde venérunt? Et dixit illi: Dómine mi, tu scis. Et dixit mihi: Hi sunt qui venérunt de tribulatióne magna, et lavérunt stolas suas, et dealbavérunt eas in sánguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei, et sérviunt ei die ac nocte in templo ejus; et qui sedet in throno, habitábit super illos: non esúrient, neque sítient ámplius, nec cadet super illos sol, neque ullus æstus: quóniam Agnus, qui in médio throni est, reget illos, et dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum, et abstérget Deus omnem lácrimam ab óculis eórum.

℟. Cum emisísset Phárao pópulum, tulit Móyses ossa Joseph secum, eo quod adjurásset fílios Israël, dicens: * Visitábit vos Deus: efférte ossa mea hinc vobíscum. ℣. Fide Joseph móriens, de profectióne filiórum Israël memorátus est, et de óssibus mandávit. Visitábit vos.

Lectio iii. Cap. 19.

Post hæc audívi quasi vocem turbárum multárum in cœlo dicéntium: Allelúja: salus, et glória, et virtus Deo nostro est; quia vera et justa judícia sunt ejus, qui judicávit de meretríce magna, quæ corrúpit terram in prostitutióne sua, et vindicávit sánguinem servórum suórum de mánibus ejus. Et íterum dixérunt: Allelúja. Et fumus ejus ascéndit in sæcula sæculórum. Et cecidérunt senióres vigintiquátuor, et quátuor animália, et adoravérunt Deum sedéntem super thronum, dicéntes: Amen, Allelúja. Et vox de throno exívit, dicens: Laudem dícite Deo nostro omnes servi ejus: et qui timétis eum, pusílli et magni. Et audívi quasi vocem turbæ magnæ, et sicut vocem aquárum multárum, et sicut vocem tonitruórum magnórum, dicéntium: Allelúja: quóniam regnávit Dóminus Deus noster omnípotens. Gaudeámus, et exsultémus: et demus glóriam ei: quia venérunt núptiæ Agni, et uxor ejus præparávit se. Et datum est illi, ut coopériat se býssino splendénti et cándido. Býssinum enim justificatiónes sunt sanctórum. Et dixit mihi: Scribe: Beáti qui ad cœnam nuptiárum Agni vocáti sunt.

℟. Projecérunt cadáver in sepúlchro Elisǽi: quod * Cum tetigísset ossa Elisǽi, * Revíxit homo et stetit super pedes suos. ℣. Per fidem accepérunt de resurrectióne mórtuos. Cum. Glória Patri. Revíxit.

In II. Nocturno.

Ant. Dico vobis amícis meis: Ne terreámini ab iis qui occídunt corpus, et post hæc non habent ámplius quid fáciant.

Ant. Nonne quinque pásseres véneunt dipóndio? et unus ex illis non est in oblivióne coram Deo.

Ant. Capílli cápitis vestri omnes numeráti sunt; nolíte timére, multis passéribus pluris estis vos.

℣. Custódit Dóminus ómnia ossa eórum. ℟. Unum ex his non conterétur.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homilia 26. in II. ad Cor. n. 5.

Lectio iv.

Sepúlchra Sanctórum qui Crucifíxo serviérunt régias aulas splendóre vincunt, non magnitúdine aut pulchritúdine ædificiórum (nam hac parte illa súperant), sed, quod multo majus est, coeúntium stúdio. Nam et ille qui púrpuram gestat, ad sepúlchra illa se confert ut ea exosculétur, abjectóque fastu, supplex stat, Sanctósque óbsecrat, ut ipsi apud Deum sibi præsídio sint: atque, ut et tentoriórum opíficem et piscatórem, et quidem fato functos, patrónos hábeat, précibus is conténdit qui diadémate cinctus est. Ergóne, dic, quæso, horum Dóminum mórtuum dícere audébis, cujus servi, étiam defúncti, eórum qui univérso orbi ímperant patróni sunt? Atque id non Romæ solum fieri quíspiam víderit, sed étiam Constantinópoli. Nam et hic quoque Constantínum magnum fílius ita demum ingénti honóre se affectúrum existimávit, si eum in piscatóris vestíbulo cónderet. Quodque imperatóribus sunt in aulis janitóres, hoc in sepúlchro piscatóribus sunt imperatóres.

℟. Amen amen dico vobis: qui credit in me, ópera quæ ego fácio et ipse fáciet, et majóra horum fáciet. * Et quodcúmque petiéritis Patrem in nómine meo, hoc fáciam. ℣. Dabo vos in nomen et in laudem ómnibus pópulis terræ. Et.

Lectio v.

Quod si cum imperatóriis aulis hæc sepúlchra conférre líbeat, penes hæc rursus victória futúra est. Illic enim multi sunt qui turbam submóveant: hic contra multi qui invítent, atque et dívites et paúperes, et viros et féminas, et servos ac líberos áttrahant. Illic ingens terror: hic lætítia quæ núllis verbis explicári queat. At dulce spectáculum est imperatórem auro amíctum et coróna redimítum vidére, astantésque béllicos duces, præféctos, tribúnos, centuriónes, prætóres. Verum hæc ádeo illis augustióra, magísque treménda sunt, ut præ istis illa scena quædam ac merus ludus censéri possint. Simul enim atque límina transilíeris, locus ipse mentem ad cœlum, ad supérnum regem, ad Angelórum exércitum, ad sublíme illud sólium, ad inaccéssam glóriam transmíttit.

℟. Per manus Apostolórum fiébant prodígia, ita ut in platéas ejícerent infírmos; ut veniénte Petro, saltem umbra illíus obumbráret quemquam illórum; * Qui curabántur omnes. ℣. Misericórdia tua, Dómine, advéniens sanábat illos. Qui.

Lectio vi.

Sanctórum ossa dǽmones sistunt, et excrúciant acerbissimísque illis vínculis eos qui astrícti sunt solvunt. Quid hoc tribunáli terribílius fingi potest? Cum nemo cernátur, nemo dǽmonis láteri incúmbat, voces et dilaceratiónes, vérbera et cruciátus, linguæ conflagrántes audiúntur, dǽmone admirábilem poténtiam mínime ferénte. Atque isti qui córpora gestárunt, virtútes córpore vacántes súperant; pulvísque, ossa, et cinis natúras illas invisíbiles dilácerant. Ideo nemo est, qui peregrinatiónem umquam iníre sustíneat, ut imperatórum aulas vídeat; contra multi plerúmque imperatóres péregre profécti sunt, ut hoc spectáculo frueréntur. Síquidem sanctórum Mártyrum templa futúri judícii vestígia et signa éxhibent, dum dǽmones flagris cædúntur, hominésque castigántur ac liberántur. Viden quæ Sanctórum, étiam vita functórum, vis sit? Porro Neapolitána cívitas plúrimis Sanctórum exúviis se jámdiu ditátam esse jure gloriátur: nullum enim pene in ea urbe templum fuit, quod pátria píetas Sanctórum lípsanis augére non studúerit, ádeo ut in sacris plerísque ǽdibus Sacrárum Reliquiárum sacélla erécta fúerint. Ut autem tot tántaque cœlicolárum pígnora, præsértim quæ in templo máximo fúerant recóndita, majóri quo fieri possit in honóre haberéntur, in eódem templo Guliélmus Archiepíscopus Cardinális, quod céteris incitaménto et exémplo esset, sacéllum Lipsanothécam constítuit, collectísque Sanctórum relíquiis, eas ibi cælátis argénti atque auri thecis inclúsas, órdine quasque suo circumpósuit, mediúmque eréxit altáre, quod solémniter dedicávit. Ejúsdem vero preces ac vota suscípiens Leo décimus tértius Póntifex Máximus, ad augéndum erga Sanctórum exúvias cultum, offícium cum Missa próprium Sanctárum Reliquiárum, univérsæ Neapolitánæ Archidiœcési benígne indúlsit.

℟. Virtútes non quáslibet faciébat Deus per manus Pauli, ita ut super lánguidos deferréntur a córpore ejus sudária et semicínctia; * Et recedébant ab eis languóres, et spíritus nequam egrediebántur. ℣. Quis símilis tui, Dómine, magníficus in sanctitáte, fáciens mirabília? Extendísti manum tuam. Et. Glória Patri. Et.

In III. Nocturno.

Ant. Ossa árida audíte verbum Dómini.

Ant. Dicit Dóminus Deus óssibus his: Ecce ego intromíttam in vos spíritum, et vivétis.

Ant. Dabo super vos nervos, et succréscere fáciam super vos carnes, et superexténdam in vobis cutem, et dabo vobis spíritum et vivétis.

℣. Exsultábunt Dño. ℟. Ossa humiliáta.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 20.

In illo témpore: Accessérunt quidam Sadducæórum, qui negant esse resurrectiónem. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi **Presbýteri.**

Epist. 37. alias 75. adversus Vigilantium.

Dolet Vigilántius Mártyrum relíquias pretióso operíri velámine, et non vel pannis, vel cilício colligári vel prójici in sterquilínium, ut solus Vigilántius ébrius et dórmiens adorétur. Ergo sacrílegi sumus, quando Apostolórum basílicas ingrédimur? Sacrílegus fuit Constántius Imperátor, qui sanctas relíquias Andréæ, Lucæ et Timóthei tránstulit Constantinópolim, apud quas dæmones rúgiunt, et inhabitatóres Vigilántii illórum se sentíre præséntiam confiténtur? Sacrílegus dicéndus est Arcádius, qui ossa beáti Samuélis longo post témpore de Judǽa tránstulit in Thráciam? Omnes Epíscopi, non solum sacrílegi, sed et fátui judicándi, qui rem vilíssimam et cíneres dissolútos in sérico et vase aúreo portavérunt? Stulti ómnium Ecclesiárum pópuli, qui occurrérunt sanctis Relíquiis et tanta lætítia, quasi præséntem viventémque Prophétam cérnerent, suscepérunt; ut de Palæstína usque Chalcédonem jungeréntur populórum exámina, et in Christi laudes una voce resonárent? vidélicet adorábant Samuélem et non Christum, cujus Sámuel et levíta et prophétes fuit. Mórtuum suspicáris; et idcírco blasphémas. Lege Evangélium: Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob non est Deus mortuórum, sed vivórum.

℟. Multi de his qui dórmiunt in terræ púlvere * Evigilábunt in vitam ætérnam, et fulgébunt quasi splendor firmaménti in perpétuas æternitátes. ℣. Quia resúrgunt mórtui, Móyses dicit Deum Abraham, et Deum Isaac, et Deum Jacob; Deus autem non est mortuórum sed vivórum. Evigilábunt.

Lectio viii.

Dicis in libéllo tuo quod, dum vívimus, mútuo pro nobis oráre póssumus; postquam autem mórtui fuérimus, nullíus sit pro álio exaudiénda orátio, præsértim cum Mártyres ultiónem sui sánguinis obsecrántes impetráre non quíverint. Si Apóstoli et Mártyres adhuc in córpore constitúti possunt oráre pro céteris, quando pro se adhuc debent esse sollíciti; quanto magis post corónas, victórias et triúmphos! Unus homo Móyses sexcéntis míllibus armatórum ímpetrat a Deo véniam; et Stéphanus imitátor Dómini sui, et primus martyr in Christo, pro persecutóribus véniam deprecátur; et postquam cum Christo esse cœperint, minus valébunt? Paulus Apóstolus ducéntas septuagínta sex sibi dicit in navi ánimas condonátas; et postquam resolútus esse cœperit cum Christo, tunc ora clausúrus est, et pro iis qui in toto orbe ad suum Evangélium credidérunt mutíre non póterit? ℨ Male facit ergo Románus Epíscopus, qui super mortuórum hóminum Petri et Pauli, secúndum nos, ossa veneránda, secúndum te, vilem pulví-

sculum, offert Dómino sacrifícia, et túmulos eórum Christi arbitrátur altária? Et non solum uníus urbis, sed totíus orbis errant Epíscopi, qui Vigilántium contemnéntes, ingrediúntur basílicas mortuórum, in quibus pulvis vilíssimus et favílla néscio quæ jacet linteámine convolúta, ut pollúta ómnia pólluat: et quasi sepúlchra pharisáica foris dealbáta sint, cum intus immúndo cínere juxta te immúnda ómnia óleant, atque sórdeant? O porténtum in terras últimas deportándum?

℟. Ecce ego apériam túmulos vestros, et edúcam vos de sepúlchris vestris, pópulus meus; * Et sciétis quia ego Dóminus locútus sum et feci. ℣. Ego sum resurréctio et vita: qui credit in me, etiámsi mórtuus fúerit, vivet. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix. de Homilia Dominicæ, et commem. ejusdem in Laudibus.

Ad Laudes

et per Horas.

Ant. 1. Vidi subtus altáre * ánimas interfectórum propter verbum Dei, et propter testimónium quod habébant.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Clamábant voce * magna, dicéntes: Usquequo, Dómine, sanctus et verus, non júdicas et non víndicas sánguinem nostrum?

3. Datæ sunt illis * síngulæ stolæ albæ, et dictum est illis ut requiéscerent adhuc tempus módicum, donec compleántur consérvi eórum.

4. Hi sunt * ante thronum Dei, et sérviunt ei die ac nocte in templo ejus, et qui sedet in throno, habitábit super illos.

5. Agnus, qui in médio * throni est, reget illos, et dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum, et abstérget Deus omnem lácrimam ab óculis eórum.

Capitulum. Is. 26. 21.

Ecce Dóminus egrediétur de loco suo, ut vísitet iniquitátem habitatóris terræ contra eum; et revelábit terra sánguinem suum, et non opériet ultra interféctos suos.

Hymnus.

Adéste, Sancti, plúrimo
Dum thure, vestra, dum piis
Colúntur ossa rítibus,
Votis favéte súpplicum.

Non illa, quamquam trístibus
Imum redácta in púlverem
Dudum sepúlchris squáleant,
Divína virtus déserit.

Sed sancta præsénti fovet
Implétque templa Númine,
Sed et futúræ Spíritus
Post sæcla servat glóriæ.

Hinc ille qui nostris latet
Cinis sub aris cónditus,
Ægris medétur éfficax,
Torquet fugátque dǽmones.

Sit summa, Christe, laus tibi,
Ventúre judex sǽculi,
Cum Patre et almo Spíritu
In sæculórum sǽcula.
Amen.

℣. Exsultábunt Sancti in glória.
℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Bened. Ant. Vivent mórtui tui, Israël: interfécti mei resúrgent: expergiscímini, et laudáte, qui habitátis in púlvere. Allelúja.

Oratio.

Auge in nobis, Dómine, resurrectiónis fidem, qui in Sanctórum tuórum Relíquiis mirabília operáris: et fac nos immortális glóriæ partícipes, cujus in eórum cinéribus pígnora venerámur. Per Dóminum nostrum.

Ad Tertiam.

Ant. **Clamábant voce.**

Capitulum. Rom. 8. 22.

Scimus quod omnis creatúra ingemíscit, et párturit usque adhuc: non solum autem illa, sed et nos ipsi, primítias spíritus habéntes: et ipsi intra nos gémimus adoptiónem filiórum Dei exspectántes, redemptiónem córporis nostri.

℟. br. **Posuérunt morticína servórum tuórum, * Escas volatílibus cœli. Posuérunt. ℣. Carnes sanctórum tuórum, béstiis terræ. Escas.** Glória Patri. **Posuérunt.**

℣. **Secúndum magnitúdinem bráchii tui Dómine.** ℟. **Pósside fílios mortificatórum.**

Ad Sextam.

Ant. Datæ **sunt illis.**

Capitulum. Coloss. 3.

Mórtui estis, et vita vestra est abscóndita cum Christo in Deo. Cum Christus apparúerit, vita vestra, tunc et vos apparébitis cum ipso in glória.

℟. br. **Quam magna multitúdo dulcédinis tuæ, * Quam abscondísti timéntibus te! Quam magna. ℣. Perfecísti eis qui sperant in te. Quam.** Glória Patri. **Quam magna.**

℣. **Non discédimus a te: vivificábis nos.** ℟. **Et nomen tuum invocábimus.**

Ad Nonam.

Ant. **Agnus, qui in médio.**

Capitulum. Philipp. 3.

Nostra conversátio in cœlis est, unde étiam Salvatórem exspectámus Dóminum nostrum Jesum Christum, qui reformábit corpus humilitátis nostræ, configurátum córpori claritátis suæ.

℟. br. **Ambulábunt, Dómine, * In lúmine vultus tui. Ambulábunt. ℣. In nómine tuo exsultábunt. In.** Glória Patri. **Ambulábunt.**

℣. **In ætérnum exsultábunt.** ℟. **Et habitábis in eis.**

In II. Vesperis.

Ant. 1. **Fidélis sermo: si commórtui sumus Christo, et convivémus: si sustinébimus, et conregnábimus.**

Ps. ut in I. Vesp. de Comm. Apost. et loco ultimi, Psalmus. **Crédidi.**

2. **In ómnibus tribulatiónem pátimur, semper mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferéntes; ut et vita Jesu manifestétur in corpóribus nostris.**

3. **Habéntes eúmdem spíritum fídei, et nos crédimus: sciéntes quóniam qui suscitávit Jesum, et nos cum Jesu suscitábit.**

4. **Vivificábit nos Dóminus, suscitábit nos: et vivémus in conspéctu ejus.**

5. **Cum mortále hoc indúerit immortalitátem, tunc fiet sermo qui scriptus est: Absórpta est mors in victória.**

Capitulum. 1. Cor. 15. 42.

Seminátur in corruptióne, surget in incorruptióne; seminátur in ignobilitáte, surget in glória; se-

minátur in infirmitáte, surget in virtúte: seminátur corpus animále, surget corpus spirituále.

Hymnus. **O vos unánimes.** ut in I. Vesperis. 21*

℣. **Qui séminant in lácrimis.** ℟. **In exsultatióne metent.**

Ad Magnif. Ant. **Cum a mórtuis resurréxerint, sunt sicut Angeli in cœlis: neque enim ultra mori póterunt, et fílii sunt Dei, cum sint fílii resurrectiónis, allelúja.**

Commem. Dominicæ.

Domin. III. Julii.
Ss. Redemptoris.

Duplex 2. class.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem Dominica.

Die 5. Julii.
S. Michaëlis de Sanctis Conf.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 7. Julii.
In Dedicatione
Cathedralis Ecclesiæ Neapolit.

Duplex 1. classis (cum Octava in Civitate tantum).

Omnia de Communi Dedicationis Ecclesiæ, præter sequentia.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Inter loca sacra, quæ Neapolitáni cives sum̃a religióne ac pietáte quovis témpore frequentárunt, ille profécto célebris in quo sancti Aspréni domum fuísse vétera monuménta testántur. Ibi enim majóres nostri ad sacram synáxim convenire consuéverant et ad fídei doctrínam addiscéndam ab eódem Aspréno, quem beátus Petrus Apostolórum Princeps primum nobis antístitem constítuit. Ibi páriter antíquo cultu incláruit Imágo beatíssimæ Dei Genitrícis sedéntis, púerum Jesum ulnis ante grémium gestántis, quam magno concúrsu et a pátribus in fílios transmíssa pietáte ad hæc usque témpora fidéles venerántur. Tradunt quippe eam sub ipsis Ecclésiæ exórdiis fuísse conféctam, atque deínceps sanctæ Maríæ de Princípio appellatióne nuncupátam, útpote quæ prima exstíterit ómnium Deíparæ Imáginum, saltem in hac civitáte, depictárum. Quarto autem ineúnte Ecclésiæ sǽculo Constantínus Magnus imperátor, sicut Romæ in suo Lateranénsi palátio divíno Salvatóri ecclésiam dedicáverat, ita Neápoli basílicam cathedrálem ipsíus Salvatóris effígie et nómine insígnem cóndidit, amplíssimis oblátis donis, multísque prǽdiis eídem attribútis.

℟. **Orántibus in loco isto, * Dimítte peccáta pópuli tui, Deus, et osténde eis viam bonam, per quam ámbulent, et da glóriam in loco isto.** ℣. **Qui regis Israël inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph, qui sedes super Chérubim. Dimítte.**

Lectio v.

Constantiniánam illam basílicam sexto decurrénte sǽculo Stéphanus epíscopus, cui primo inter Neapolitanórum antístites hoc nomen fuit, amplióribus ditávit spátiis ac splendidiórem réddidit. Póstea vero alter epíscopus Stéphanus diro incéndio crem̃átam pene ab intéritu vindicávit, ma-

gnísque súmptibus renovávit; a cujus idcírco nómine Stephaníæ quoque título exínde gavísa est, donec sanctæ Restitútæ nomen simul accépit, quum Vírginis hujus et Mártyris pretiósæ exúviæ in eam fuérunt inlátæ. Decimoquárto tandem sǽculo disjécta basílicæ pars novæ cathedráli locum cessit, quæ látior ac magnificéntior quam ántea sub régibus Andegavénsibus a fundaméntis fuit erécta, et in honórem beátæ Maríæ Vírginis in cœlum Assúmptæ dedicáta. Sanctórum plúrimæ relíquiæ, et íntegra córpora in ea quiéscunt, præsértim beatórum antístitum Aspréni, qui primus ténuit Neapolitánam cáthedram, et Januárii ínclyti Mártyris, civitátis nostræ Patróni principális, cujus redivívus sanguis in perinsígni Thesaúri sacéllo religiosíssime asservátur.

℟. O quam metuéndus est locus iste: * Vere non est hic áliud, nisi domus Dei et porta cœli. ℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta, bene fundáta est supra firmam petram. Vere.

Lectio vi.

Porro dilectióne decóris domus Dei acti Neapolitáni archiepíscopi, labéntibus annis, cathedrálem hanc basílicam præclaríssimam assíduis curis prosecúti sunt. Hinc eórum stúdio, multísque impénsis, tum miríficæ in ea exstrúctæ fores, sculptúræ ópere æque ac matéria præstántes, tum elegántis formæ cónditum baptistérium, tum ália superáddita sive ad ornátus increméntum, sive ad ea quæ vetustáte defécerant reficiénda, atque in prístinum splendórem revocánda. Præ céteris tamen memorátu dignum, quod Sum̃us Póntifex Pius nonus, paucis transáctis ab ínito glorióso Pontificátu annis, ob Romæ debacchántes rebéllium turbas in Neapolitánam ditiónem confúgiens in eádem basílica divínum sacrifícium iteráto óbtulit, ac Deíparæ, a septem dolóribus nuncupátæ, Icónem suis ipse mánibus aúrea coróna redimívit. De his tanti Pontíficis gestis monuménta posteritáti exstáre vóluit Xystus cardinális archiepíscopus, cujus páriter zelo et templi absis, ingénti cópia auri, instauráta, et ália adjécta sunt ornaménta ad ædifícii majestátem. Ipsíus autem novi templi metropolitáni consecratiónem Neapolitánus antístes cardinális Ascánius anno sexcentésimo quadragésimo quarto supra millésimum ritu solémni explévit, ejusdémque memóriam Nonis Júlii, ut majóres nostri consuéverant, quotánnis celebrándam constítuit.

℟. Mane surgens.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Ingréssus Jesus.** de Com̃uni Dedicat. Ecclesiæ.

Die 11. Julii.

S. Laurentii a Brundusio Conf.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis die 7. Julii.

Die 15. Julii.

S. Athanasii Episcopi et Confess. ac Patroni Neap.

Duplex majus.

Omnia de Communi Conf. Pont., præter sequentia.

Oratio.

Omnípotens ætérne Deus, qui beátum Athanásium, Confessórem tuum atque Pontíficem, invícta constántia roborásti: te supplíciter exorámus; ut illo intercedénte, ab exsequéndis mandátis tuis nulla hóstium oppugnatióne desistámus. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lect. Fidélis sermo. de eodem Communi 1. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Athanásius Neapolitánis dúcibus natus, quem pii paréntes sancti Athanásii Alexandríni précibus suscéptum, ejusdémque póstea invíctæ constántiæ æmulatórem, hoc appellárunt nómine. A pueritia clericáli milítiæ adscríptus, beáto Joánni, Neapolitáno antístiti erudiéndus tráditus est, quo doctóre tanta enítuit pietáte, litterísque, ut mérito a Leóne quarto Pontífice, cívium précibus annuénte, Neapolitánus epíscopus fúerit renuntiátus, et consecrátus. Ecclesiásticos provéntus, domesticúmque patrimónium in templórum pauperúmque inópiam sublevándam erogávit: multas Saracenórum incúrsibus pene dírutas instaurávit basílicas, eásque prædiis, sacris véstibus vasísque pretiósis locupletávit. Minístros altáris hebdomadários in templo máximo a se institútos, próprio ditávit ære. Paupéribus, et peregrínis hospítium apéruit, multúmque pecúniæ ad captívos e barbarórum servítio vindicándos, mira caritáte profúdit.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Abstinéntia fuit incredíbili, frugáli mensa utens, esum carnis sibi perpétuo interdíxit. Corpus non cilício solum flagrísque, sed gravíssimo étiam plumbi póndere a cervíce ad talos exténso affligébat, lapidéque cápiti suppósito, in léctulo humi strato cubábat. A Nicoláo primo Pontífice Romam accersítus, magno honóre est hábitus, ac Lateranénsi in sýnodo una cum áliis Pátribus tértio loco ássidens, Joánnem Ravennátem insaniéntem ántea contra Ecclésiam, qui póstea resípuit, confutávit. Neápolim regréssus, a Sérgio fratris fílio, notæ impietátis hómine, Athanásii objurgatiónes indignánte, detrúsus in cárcerem; indéque cleri ópera cum univérsæ civitátis gaúdio eréptus est.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Constánter deínde oblúctans iníquis contra ecclesiásticam libertátem postulatiónibus Sérgii, ejus ópera depúlsus e sede, unúmque mensem supra vigínti coáctus exsuláre, plúrimas per id témporis ærúmnas perpéssus est; quibus tandem conféctus, Vérulis óbiens cœléstem in pátriam recéptus est, ætátis anno quadragésimo primo, Idibus Július, post Christum natum octingentésimo septuagésimo secúndo. Corpus miráculis clarum, Cassínum prius in montem, mox Neápolim quinto post óbitum año, íntegrum adhuc repértum, solémni supplicatióne translátum est; cujus translatiónis memória Nonis Aprílis anniversária festivitáte recólitur. ℟. Iste est qui.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Homo péregre.** de eodem Communi 1. loco.

Die 19. Julii.
S. Vincentii a Paulo Conf.
Duplex.

In I. Vesperis.

Ant. 1.

[redacted]géni et paúperes quærunt aquas, et non sunt: Ego Dóminus exaúdiam eos, Deus Israël non derelínquam eos.

Psalmi ut in I. Vesperis de Communi Apost.

2. Suscitábo mihi sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum et ánimam meam fáciet: et ædificábo ei domum fidélem, et ambulábit coram Christo meo.

3. Dabo vobis pastóres juxta cor meum, et pascent vos sciéntia et doctrína.

4. Lábia enim sacerdótis custódient sciéntiam, et legem requírent ex ore ejus.

5. Inebriábo ánimam sacerdótum pinguédine, et pópulus meus bonis meis adimplébitur.

Capitulum. Eccli. 18. b.

Miserátio hóminis circa próximum suum: misericórdia autem Dei super omnem carnem. Qui misericórdiam habet, docet et érudit quasi pastor gregem suum.

Hymnus.

Qui mutáre solet grándibus ínfima,
Omnes exsúperans, máximus ómnium,
Vincénti, ténuem te Deus éxtulit,
Cœli cœtibus ínserens.

Vilis sub túguri tégmine násceris;
At splendor ténebras excípiet breves;
Te compléxa sinu præsídium sibi
Nutrix paupéries parat.

Ut promptam míseris ferre scias opem,
Duras, heu! páteris servítii vices:
Sed te, dum fídei subdit herum jugo,
Solvit cómpede véritas.

Quantus nunc óperum luce pates! tuis
Christi sponsa nitet culta labóribus:
Clero priscus honos, vívaque lánguidis
Exsúrgit pópulis fides.

Te montánus, inops, æger et órphanus,
Te plebs tota suum jure vocat patrem:
Cunctis lætus ades, córpora súblevas,
Mentes concílias Deo.

Regum consíliis jussus ades sacris,
Mentis certa tuæ lúmina cónsulunt:
Te nil tangit honos; at míseros ope,
Et regnum mónitis juvas.

Quem flectunt ínopes, máxima laus Patri,
Ægris unde salus, máxima Fílio:
Blando qui récreas péctora flámine,
Par sit laus tibi, Spíritus.
Amen.

℣. Justus tota die miserétur et cómmodat: ℟. Et semen ejus in benedictióne erit.

Ad Magnif. Ant. **Dispérsit, dedit paupéribus: justítia ejus manet in sǽculum sǽculi.**

Oratio.

Deus, qui ad salútem paúperum et cleri disciplínam, novam in Ecclésia tua per beátum Vincéntium famíliam congregásti: da, quǽsumus; ut, eódem nos quoque spíritu fervéntes, et amémus quod amávit, et quod dócuit operémur. Per Dóminum.

Ad Matutinum.

Invitat. **Evangelizántem paupéribus Dñm, * Veníte, adorémus.**

Ps. **Veníte, exsultémus.**

Hymnus.

O qui supérnæ gaúdia pátriæ
Haustu peréñi plénius ébibis,
Ne sperne, Vincénti, tuórum
Vota, preces, gémitus cliéntum.

Futúrus olim paupéribus pater,
Discis vel infans paupériem pati:
Præstantióres transitúris
Divítias tibi Christus offert.

Primis sub annis se tibi mútuo
Intácta junxit fœdere cástitas:
In corde puro caritátem
Rellígio pietásque fovit.

Christum fidéli reddis imágine,
Sermóne, gressu, móribus éxprimis:
Christíque Matris dulce nomen
Obséquiis et amóre laudas.

Vinclis onústus, tartáreis herum
Solvis caténis; hinc tibi rédditus,
Noxis ligátos quot salúti
Restítuis, subigísque Christo!

Austeriórem dum sapiéntiam
Castígat oris blanda serénitas,
Se corda subdunt, seque gaudent,
Elóquio dominánte, vinci.

Latére gestis, spléndida non sinit
Latére virtus. Régia te vocat:
Arcána tractas sacra regum,
Consílio monitísque prodes.

Doctrína puris édita fóntibus,
Pervérsa constans dógmata réspuit:
Scuto retúndis veritátis
Mille malas novitátis artes.

Laus summa Patri, súmmaque Fílio,
Compar sit tibi glória, Spíritus,
A se vocátos roboránti
Suñus honor Dómino per ævum.
Amen.

In I. Nocturno.

Ant. **Puer proficiébat atque crescébat, et placébat tam Dómino, quam homínibus.**

Psalmi trium Nocturnorum de Communi Conf. non Pont.

Ant. **Erat vir ille simplex, et rectus, ac timens Deum, et recédéns a malo.**

Ant. **Dóminus erat cum illo, et ómnia ópera ejus dirigébat.**

℣. **Servávi mandáta tua et testimónia tua.** ℟. **Quia omnes viæ meæ in conspéctu tuo.**

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Coríhthios.

Lectio i. Cap. 1. c.

Misit me Christus evangelizáre, non in sapiéntia verbi, ut non evacuétur crux Christi. Verbum enim crucis pereúntibus quidem stultítia est; iis autem qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim: Perdam sapiéntiam sapiéntium, et prudéntiam prudéntium reprobábo. Ubi sápiens? Ubi scriba? Ubi

conquisítor hujus sǽculi? Nonne stultam fecit Deus sapiéntiam hujus mundi? Nam quia in Dei sapiéntia non cognóvit mundus per sapiéntiam Deum, plácuit Deo per stultítiam prædicatiónis salvos fácere credéntes. Quóniam et Judǽi signa petunt, et Græci sapiéntiam quærunt: nos autem prædicámus Christum crucifíxum, Judǽis quidem scándalum, géntibus autem stultítiam: ipsis autem vocátis Judǽis atque Græcis, Christum Dei virtútem et Dei sapiéntiam. Quia quod stultum est Dei, sapiéntius est homínibus: et quod infírmum est Dei, fórtius est homínibus.

℟. Parávit cor suum, * Ut investigáret legem Dómini, et fáceret, et docéret in Israël præcéptum et judícium. ℣. Devítans profánas vocum novitátes, et oppositiónes falsi nóminis sciéntiæ. Ut.

Lectio ii.

Vidéte enim vocatiónem vestram, fratres, quia non multi sapiéntes secúndum carnem, non multi poténtes, non multi nóbiles; sed quæ stulta sunt mundi elégit Deus, ut confúndat sapiéntes: et infírma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia: et ignobília mundi et contemptibília elégit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrúeret: ut non gloriétur omnis caro in conspéctu ejus. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapiéntia a Deo, et justítia, et sanctificátio, et redémptio; ut quemádmodum scriptum est: Qui gloriátur, in Dómino gloriétur.

℟. Sapiéntia vénditum justum non derelíquit, sed a peccatóribus liberávit eum. * Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum. ℣. Oppréssum a nefandórum injúria ac luxuriósa conversatióne erípuit: aspéctu enim et audítu justus erat. Descendítque.

Lectio iii.

Et ego cum veníssem ad vos, fratres, veni non in sublimitáte sermónis aut sapiéntiæ, annúntians vobis testimónium Christi. Non enim judicávi me scire áliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifíxum. Et ego in infirmitáte et tremóre multo fui apud vos: et sermo meus, et prædicátio mea, non in persuasibílibus humánæ sapiéntiæ verbis, sed in ostensióne spíritus et virtútis; ut fides vestra non sit in sapiéntia hóminum, sed in virtúte Dei. Sapiéntiam autem lóquimur inter perféctos: sapiéntiam vero non hujus sǽculi, neque príncipum hujus sǽculi qui destruúntur; sed lóquimur Dei sapiéntiam in mystério, quæ abscóndita est, quam prædestinávit Deus ante sǽcula in glóriam nostram.

℟. Sapiéntia humilitáti exaltábit caput illíus, * Et in médio magnatórum consedére illum fáciet. ℣. Qui enim humiliátus fúerit, erit in glória. Et. Glória Patri. Et.

In II. Nocturno.

Ant. Tulit me Dóminus, cum séquerer gregem, et dixit Dóminus ad me: Vade, prophéta, ad pópulum meum Israël.

Ant. Annuntiábam ut pœniténtiam ágerent, et reverteréntur ad

Deum, digna pœniténtiæ ópera faciéntes.

Ant. Multi credéntium veniébant, confiténtes et annuntiántes actus suos.

℣. Pósui verba mea in ore tuo. ℟. Ut plantes cœlos, et fundes terram.

Lectiones ut in Breviario in eodem Festo cum ℟℟. sequ.

℟. iv. Sústulit eum de grégibus óvium * Páscere Jacob servum suum, et Israël hæreditátem suam. ℣. Et pavit eos in innocéntia cordis sui, et in intelléctibus mánuum suárum dedúxit eos. Páscere.

℟. v. Evangélii factus sum miníster secúndum donum grátiæ Dei, quæ data est mihi secúndum operatiónem virtútis ejus. * Mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc. ℣. Ego novíssimus evigilávi, et quasi qui cólligit ácinos post vindemiatóres, in benedictióne Dei et ipse sperávi, et quasi qui vindémiat, replévi tórcular. Mihi.

℟. vi. Factus sum infírmis infírmus, ut infírmos lucrifácerem: * Omnibus ómnia factus sum, ut omnes fácerem salvos. ℣. Oculus fui cæco, et pes claudo: pater eram paúperum. Omnibus. Glória Patri. Omnibus.

In III. Nocturno.

Ant. Addúxit sacerdótes atque levítas, et congregávit eos.

Ant. Dixítque ad eos: Audíte me, levítæ, et sanctificámini; mundáte domum Dómini, et auférte omnem imundítiam de sanctuário.

Ant. Egréssi autem circuíbant per castélla evangelizántes.

℣. Dóminus dabit voci suæ vocem virtútis. ℟. Date glóriam Deo super Israël.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 9.

In illo témpore: Circuíbat Jesus omnes civitátes et castélla, docens in synagógis eórum, et prǽdicans Evangélium regni. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbýteri.

Homilia 9. in Matth.

Cernis quod æquáliter et villis, et úrbibus, et castéllis, id est, et magnis et parvis, Evangélium prædicáverit; ut non consideráret nobílium poténtiam, sed salútem credéntium. Circuíbat civitátes: hoc habens óperis, quod mandáverat Pater, et hanc esúriem, ut doctrína sua salvos fáceret infidéles. Docébat autem in synagógis et villis Evangélium regni, et post prædicatiónem atque doctrínam, curábat omnem languórem et omnem infirmitátem; ut quibus sermo non suáserat, ópera persuadérent.

℟. Venérunt ad eum in hospítium plúrimi, quibus exponébat testíficans regnum Dei: * Suadénsque eis de Jesu ex lege Móysi et Prophétis, a mane usque ad vésperam. ℣. Et circuíbat omnes civitátes et castélla docens. Suadénsque.

Lectio viii.

Videns autem turbas, misértus est eis, quia erant vexáti et jacéntes sicut oves non habéntes pastórem. Vexátio gregis et óvi-

um, atque turbárum, pastórum culpa et vítium magistrórum est. Unde séquitur: Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Messis multa populórum signíficat multitúdinem: operárii pauci, penúriam magistrórum.

℟. Messis quidem multa, operárii autem pauci: * Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. ℣. Leváte óculos vestros, et vidéte regiónes, quia albæ sunt jam ad messem. Rogáte. Glória Patri. Rogáte.

Lectio ix.

Et ímperat ut rogent Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Isti sunt operárii, de quibus lóquitur Psalmísta dicens: Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua; veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos. Et ut apértius loquar: Messis multa, omnis turba credéntium est; operárii autem pauci, et Apóstoli et imitatóres eórum qui mittúntur ad messem.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

et per Horas.

Ant. 1. Gubernávit * ad Dóminum cor ipsíus, et in diébus peccatórum corroborávit pietátem.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Vir justus * atque perféctus fuit in generatiónibus suis, cum Deo ambulávit.

3. Oculus Dei * respéxit illum in bono, et eréxit eum ab humilitáte ipsíus, et exaltávit caput ejus: et miráti sunt in illo multi, et honoravérunt Deum.

4. In omni ópere * dedit confessiónem Sancto et Excélso in verbo glóriæ: de omni corde suo laudávit Dóminum, et diléxit Deum qui fecit illum.

5. Dedit * in celebratiónibus decus, et ornávit témpora usque ad consummatiónem vitæ, et laudárent nomen sanctum Dómini.

Capitulum. Eccli. 18. b.

Miserátio hóminis circa próximum suum, misericórdia autem Dei super omnem carnem: qui misericórdiam habet, docet et érudit quasi pastor gregem suum.

Hymnus.

Ut nunc ab alto prævia
Nos luce, Vincénti, regis!
Virtútis exémplo tuæ
Signans ad astra trámitem.

Dilécta sponso Vírginum
Corpus sacrávit Cástitas:
Ornáre virtútum chorus
Mentem pudícam géstiit.

Hinc illa qua te déprimis
Sibi timens modéstia,
Hinc blanda morum lénitas,
Vitǽque candor símplicis.

Sed inter omnes émicat
Quo fervet igne cáritas.
Quot illa pascit paúperes,
Quot corda Christo súbjicit!

Ardénte zelo pércitus,
Late Dei mystéria
Per rura pandis: nec tamen
Curam poténtum déseris.

Te sensit error íntegra
Dolos repulsántem fide:
Te sensit infénsum scelus,
Tibíque cessit ímpotens.

112

Pii labóris æmulam
Prolem sub alis cóngregas:
Hanc voce, factis, móribus,
Dux et magíster édoces.

Qui se perénne præmium
Dat caritáte férvidis,
Uni sit et trino Deo
Laus, et perénnis glória.
Amen.

℣. Sacerdótes tui, Dómine, induántur justítiam. ℟. Et sancti tui exsúltent.

Ad Bened. Ant. **Operátus est bonum, et rectum, et verum coram Dómino Deo suo in univérsa cultúra ministérii domus Dómini, juxta legem et cæremónias, volens requírere Dóminum Deum suum in toto corde suo.**

Oratio.

Deus, qui ad salútem paúperum, et cleri disciplínam, novam in Ecclésia tua per beátum Vincéntium famíliam congregásti: da, quǽsumus; ut, eódem nos quoque spíritu fervéntes, et amémus quod amávit, et quod dócuit operémur. Per Dóminum.

Ad Tertiam.

Ant. **Vir justus.**

Capitulum. Ps. 15. 8.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper, quóniam a dextris est mihi, ne commóvear.

℟. br. **Ambula * Coram me. Ambula. ℣. Et esto perféctus. Coram. Glória Patri. Ambula.**

℣. **Homo videt ea quæ parent.** ℟. **Dóminus autem intuétur cor.**

Ad Sextam.

Ant. **Oculus Dei.**

Capitulum. Eccli. 3. 20.

Humília te in ómnibus, et coram Deo invénies grátiam: quóniam magna poténtia Dei solíus, et ab humílibus honorátur.

℟. br. **Excélsus Dóminus, * Et humília réspicit. Excélsus. ℣. Et alta a longe cognóscit. Et. Glória Patri. Excélsus.**

℣. **Súscitans a terra ínopem.** ℟. **Et de stércore érigens paúperem.**

Ad Nonam.

Ant. **Dedit.**

Capitulum. Exod. 18. 19.

Esto tu pópulo in his quæ ad Deum pértinent, ut réferas quæ dicúntur ad eum, ostendásque pópulo cæremónias et ritum coléndi.

℟. br. **Qui statis * In domo Dómini. Qui statis. ℣. Extóllite manus vestras in sancta, et benedícite Dóminum. In. Glória. Qui statis.**

℣. **Date nómini ejus magnificéntiam.** ℟. **Et confitémini illi in voce labiórum vestrórum,**

In II. Vesperis.

Antiph. et Psalmi ut in I. Vesp. **31***, Capit. de Laud.

Hymnus.

**Quis novus cœlis ágitur triúmphus?
Cǽlitum plausum comiténtur hymni:
Ecce lux cleri, Pater indigéntum
Æthere splendet.**

**Facta, Vincénti, tua te perórnant:
Cáritas aptat cápiti corónam;
Teque, quam terris húmilis parásti,
Glória vestit.**

Quam rudes olim pópulos docébas,
Véritas nunc se tibi tota pandit:
Paúperi quidquid pia dextra fudit,
Reddit olýmpus.

Te sacerdótes vel adhuc magístro,
Optimum Christi réferunt odórem:
Púllulat per te sacra lætióri
Vínea fœtu,

Sed tibi quantum decus elabórant
Vírgines castæ, sociǽque matres!
Paúperum gaudent, duce te, fidéles
Esse minístræ.

Corde qui puro míseros levábas,
Disce nunc votis hóminum rogári:
Te suum clamant ínopes, amíca
Turba, Patrónum.

Summus ætérno sit honos Parénti,
Par decus Nato míseros levánti,
Sancte, sit compar tibi laus per omne,
Spíritus, ævum. Amen.

℣. Parásti in dulcédine tua paúperi Deus. ℟. Dñs dabit verbum evangelizántibus virtúte multa.

Ad Magnif. Ant. Paúperes Sion saturábo pánibus: Sacerdótes ejus índuam salutári, et sancti ejus exsultatióne exsultábunt.

Oratio. Deus, qui ad salútem. 36*

Die 20. Julii.

S. Eliæ Prophetæ.

Duplex.

Ad Vesperas.

Ant. 1.

Zelo zelátus sum pro Dómino Deo exercítuum, quia dereliquérunt pactum tuum fílii Israël.

Psalmi de Dominica, et loco ultimi, Psalm. Lauda Jerúsalem Dóminum. ut in Vesp. Sabbati.

2. Usquequo claudicátis in duas partes? Si Dóminus est Deus, sequímini eum.

3. Si homo Dei sum, descéndat ignis de cœlo, et dévoret te, et quinquagínta tuos.

4. Non ego turbávi Israël, sed tu, et domus patris tui, qui dereliquísti mandáta Dómini.

5. Occidísti ínsuper, et possedísti: Ecce ego indúcam super te malum, et démetam posterióra tua.

Capitulum. Eccli. 48.

Surréxit Elías Prophéta quasi ignis, et verbum ipsíus quasi fácula ardébat. Qui indúxit in pópulos famem, et irritántes illum invídia sua pauci facti sunt.

Hymnus.

Nunc juvat celsi properáre ad alta
Mente Carméli juga, et ore pleno
Vatis Elíæ méritos reférre
Laudis honóres.

Dum fames terras prémeret, minístro
Utitur corvo: víduæ farínam
Súfficit solers, oleóque manat
Hýdria pingui.

Hic, Deo fusis précibus, redúctum
Fínibus mortis púerum parénti
Reddit, orándo valet expetítam
Réddere lucem.

Claudit et nubes, aperítque verbo:
Imperat, post tres properánter annos,
Décidant cœlo, sitiénsque tellus
Haúriat imbres.

113

Sit Patri summo, genitǽque Proli,
Et tibi compar utriúsque, sancte
Spíritus, laus, impérium, potéstas
Tempus in omne. Amen.

℣. Verbo Dñi contínuit cœlum.
℟. Et dejécit de cœlo ignem ter.

Ad Magnif. Ant. Ecce ego mittam vobis Elíam Prophétam, ántequam véniat dies Dómini magnus, et horríbilis. Et convértet cor patrum ad fílios, et cor filiórum ad patres eórum.

Oratio.

Præsta, quǽsumus omnípotens Deus: ut qui beátum Elíam Prophétam tuum ígneo curru mirabíliter elevátum esse crédimus, eódem interveniénte, ad cœléstia sublevémur; et sanctórum tuórum consórtio gaudeámus. Per Dñm.

Ad Matutinum.

Invit. Regem Prophetárum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus. Nunc juvat celsi. 37*

In I. Nocturno.

Ant. Factum est autem, ut ægrotáret fílius mulíeris matrisfamílias, et erat lánguor fortíssimus.

Ps. trium Nocturnorum de Communi Conf. non Pont.

Ant. Dixit múlier ad Elíam: Quid mihi et tibi, vir Dei? Ingréssus es ad me, ut rememoraréntur iniquitátes meæ, et interfíceres fílium meum?

Ant. Ait Elías ad víduam: Da mihi fílium tuum. Et clamávit ad Dóminum, et revíxit puer.

℣. Verbo Dñi contínuit cœlum.
℟. Et dejécit de cœlo ignem ter.

De libro tértio Regum.

Lectio i. Cap. 17.

Dixit Elías Thesbítes de habitatóribus Gálaad ad Achab: Vivit Dóminus Deus Israël, in cujus conspéctu sto, si erit añis his ros, et plúvia, nisi juxta oris mei verba. Et factum est verbum Dómini ad eum, dicens: Recéde hinc, et vade contra Oriéntem, et abscóndere in torrénte Carith, qui est contra Jordánem, et ibi de torrénte bibes: corvísque præcépi, ut pascant te ibi. Abiit ergo: et fecit juxta verbum Dómini, cumque abiísset, sedit in torrénte Carith, qui est contra Jordánem. Corvi quoque deferébant ei panem, et carnes mane; simíliter panem, et carnes vésperi, et bibébat de torrénte. Post dies autem siccátus est torrens: non enim plúerat super terram. Factus est ergo sermo Dómini ad eum, dicens: Surge, et vade in Saréphta Sidoniórum, et manébis ibi: præcépi enim ibi mulíeri víduæ, ut pascat te.

℟. Recéde hinc, et vade contra Oriéntem, dixit Dóminus ad Elíam: * Qui ábiit, et fecit juxta verbum Dómini. ℣. Abscóndere in torrénte Carith, et ibi de torrénte bibes: corvísque præcépi, ut pascant te ibi. Qui ábiit.

Lectio ii.

Surréxit, et ábiit in Saréphta. Cumque venísset ad portam civitátis, appáruit ei múlier vídua cólligens ligna, et vocávit eam, dixítque ei: Da mihi paúlulum aquæ in vase, ut bibam. Cumque illa pérgeret, ut afférret, clamávit post tergum ejus, dicens: Affer mihi,

óbsecro, et buccéllam panis in manu tua. Quæ respóndit: Vivit Dóminus Deus tuus, quia non hábeo panem, nisi quantum pugíllus cápere potest farínæ in hýdria, et paúlulum ólei in lécytho; en cólligo duo ligna ut ingrédiar, et fáciam illum mihi, et fílio meo, ut comedámus, et moriámur. Ad quam Elías ait: Noli timére, sed vade, et fac sicut dixísti: verúmtamen mihi primum fac de ipsa farínula subcinerícium panem párvulum, et affer ad me: tibi autem, et fílio tuo fácies póstea. Hæc autem dicit Dóminus Deus Israël: Hýdria farínæ non defíciet, nec lécythus ólei minuétur usque ad diem, in qua Dóminus datúrus est plúviam super fáciem terræ. Quæ ábiit, et fecit juxta verbum Elíæ: et comédit ipse, et illa, et domus ejus: et ex illa die hýdria farínæ non defécit, et lécythus ólei non est imminútus, juxta verbum Dómini, quod locútus fúerat in manu Elíæ.

℟. Abiit múlier, et fecit juxta verbum Prophétæ: * Et comédit ipse, et illa, et domus ejus. ℣. Ex illa die hýdria farínæ non defécit, et lécythus ólei non est imminútus, juxta verbum Elíæ. Et.

Lectio iii.

Factum est autem post hæc, ægrotávit fílius mulíeris matrisfamílias, et erat languor fortíssimus, ita ut non remanéret in eo hálitus. Dixit ergo ad Elíam: Quid mihi et tibi, vir Dei? Ingréssus es ad me, ut rememoraréntur iniquitátes meæ, et interfíceres fílium meum? Et ait ad eam Elías: Da mihi fílium tuum. Tulítque eum de sinu ejus, et portávit in cœnáculum: ubi ipse manébat, et pósuit super léctulum suum. Et clamávit ad Dóminum, et dixit: Dómine Deus meus, etiámne víduam, apud quam ego utcúmque susténtor, afflixísti, ut interfíceres fílium ejus? Et expándit se, atque mensus est super púerum tribus vícibus, et clamávit ad Dóminum, et ait: Dómine Deus meus, revertátur, óbsecro, ánima púeri hujus in víscera ejus. Et exaudívit Dóminus vocem Elíæ: et revérsa est ánima púeri intra eum, et revíxit.

℟. Revérsa est ánima púeri intra eum, et revíxit, et trádidit matri suæ, et ait illi: * En vivit fílius tuus. ℣. Tulit Elías púerum, et depósuit eum in inferiórem domum, dicens. En. Glória Patri. En.

In II. Nocturno.

Ant. Factum est verbum Dómini ad Elíam, dicens: Vade, et osténde te Achab, ut dem plúviam super fáciem terræ.

Ant. Ait Elías ad Achab: Ascénde, cómede, et bibe, quia sonus multæ plúviæ est.

Ant. Manus Dómini facta est super Elíam, accinctísque lumbis currébat ante Achab, donec veníret in Jézrahel.

℣. Tu ungis reges ad pœniténtiam. ℟. Et Prophétas facis successóres post te.

Ex libro S. Epiphánii Epíscopi.

De vitis Prophet.

Lectio iv.

Elías Prophéta ex Thesbis exsistébat e continénte Arabum, de Tribu Aaron Levítæ. Morabátur autem in Gálaad:

quóniam Thesbis erant ædes sacerdótibus consecrátæ, ac destinátæ. Quem cum eniterétur parens ejus, ejúsmodi Sobac patri vísio appáruit. Viri, níveum quemdam præ se feréntes hábitum, pusiónem salutábant, matrísque ubéribus in ignem evellébant: quin et flammam ignis cibi loco ministrábant. Proféctus est ítaque in Jerúsalem génitor, vísaque ad sacerdótes rétulit. Respóndit autem illi Chrematísmus, hoc est, Oráculum, sive Respónsor: Cave maniféstum fácias: erit quippe lumen fílii hujus domicílium, sermóque ejus demonstrátio ac senténtia: et judicábit Israël cum igne, tum rhomphǽa. Hic est ille Elías, qui ter ignem e cœlo dedúxit, quique imbrem sua lingua gestávit, mórtuos item suscitávit, et in cœlum dénique nimbo, seu túrbine ignis, assúmptus est.

℟. Ait Abdías ad Elíam: Cum recéssero a te, Spíritus Dómini asportábit te in locum quem ego ignóro, et tu dicis: * Dic Dómino tuo: Adest Elías. ℣. Dixit Elías: Vivit Dóminus exercítuum, ante cujus vultum sto, quia hódie apparébo ei. Dic.

Ex libro sancti Isidóri Epíscopi.

De vita et morte Sanctorum.

Lectio v.

Elías, qui interpretátur Dóminus Deus, Thesbítes, Sacérdos magnus, atque Prophéta, habitátor solitúdinis, fide plenus, devotióne summus, in labóribus fortis, in indústria solers, excellénti ingénio prǽditus, in exercitatióne disciplínæ rectus, in sancta meditatióne assíduus, metúque mortis intrépidus. Verberávit tyránnos, sacrílegos interfécit, multísque signis virtútum effúlsit. Triénnii siccitáte clausit ímbribus cœlum. Orávit rursum, et cœlum dedit plúvias. Mórtuum mulíeris fílium suscitávit. Cujus virtúte hýdria farínæ non defécit, et vas ólei perpétuo fonte manávit. Cujus verbo super sacrifícium ignis de cœlo venit. Duos quinquagenários cum milítibus cœlésti igne combússit. Jordánem tránsiens, tactu melótis abrúpit aquas.

℟. Cum venísset Elías ad portam civitátis, appáruit ei múlier vídua cólligens ligna: et vocávit eam, dixítque ei: * Da mihi paúlulum aquæ in vase, ut bibam. ℣. Cumque illa pérgeret, ut afférret, clamávit post tergum ejus, dicens: Affer mihi, óbsecro, et buccéllam panis in manu tua. Da mihi.

Lectio vi.

Post hæc ígneo curru in cœlum raptus ascéndit, ventúrus, juxta Malachíam Prophétam, in fine mundi, præcursúrus Christum, annuntiatúrus última ejus advéntum cum magnis virtútibus, prodigiísque signórum, ita ut bellum gerat Antichrístus advérsus eum, et Henoch, qui cum eo ventúrus est: et occídet eos. Cadávera vero eórum tribus diébus, et sex horis in platéis insepúlta jacébunt. Dehinc suscitáti a Dómino regnum Antichrísti plaga magna percútient. Post hæc véniet Dóminus, et interfíciet Antichrístum gládio oris sui, et eos, qui adoravérunt eum, et regnábit Dóminus cum ómnibus sanctis suis in ætérnum.

℟. Expándit se, atque mensus est Elías super púerum tribus vícibus, et clamávit ad Dóminum: * Et exaudívit Dóminus vocem Elíæ. ℣. Dómine Deus meus, revertátur, óbsecro, ánima púeri hujus in víscera ejus. Et. Glória Patri. Et.

In III. Nocturno.

Ant. Dixit Elías Prophétis Baal: Elígite vobis bovem unum, et invocáte nómina deórum vestrórum; qui clamábant, et non erat, qui respondéret eis.

Ant. Cum jam tempus esset, ut offerrétur holocaústum, accédens Elías orávit ad Dóminum.

Ant. Oránte Elía, cécidit ignis Dómini, et vorávit holocaústum, et ligna, et lápides, púlverem quoque, et aquam, quæ erat in aquæductu, lambens.

℣. Beáti sunt, qui te vidérunt. ℟. Et in amicítia tua decoráti sunt.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 17.

In illo témpore: Assúmpsit Jesus Petrum, et Jacóbum, et Joánnem fratrem ejus, et duxit illos in montem excélsum seórsum, et transfigurátus est ante eos. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. 57. in Matth. paulo post princip.

Cujus autem rei grátia Móysen, et Elíam prodúxit? Multas quidem dícere quis causas posset. Primum quóniam et turbæ, álii Elíam, álii Jeremíam, álii priscórum Prophetárum unum opinabántur: idcírco Móysen et Elíam, ceterórum Prophetárum vértices, prodúcit, ut quam magnum sit inter servos, et Dóminum discrímen, óculis cérnerent, utque recte laudátum créderent Petrum, qui Fílium Dei eum conféssus est. Deínde quóniam assídue quasi transgressórem legis Judǽi accusábant, et blasphemáre putábant, quasi glóriam Patris nihil ad eum pertinéntem vindicárent. Dicébant enim: Hic non est a Deo, quia Sábbatum non servat; et rursus: De bono ópere non lapidámus te, sed cum sis homo, Deum te facis; ut ipsa re monstrarétur, quia ex invídia hæc criminabántur, quia neutri horum críminum subjicerétur, nec legis prævaricátor esset, nec aliénam glóriam sibi acquíreret, æquálem se Patri faciéndo, eos prodúxit in médium, quorum altéruter in altérutra istárum rerum præfúlsit. Móysi enim legem dedit; quare non fuísset passus Móyses conculcári legem, ut Judǽi credébant; nec prævaricatórem ejus, et legumlatóris hostem, lator ipse umquam coluísset. Elías autem pro glória Dei zelávit; quare non astitísset ei, qui æquálem se Patri dicébat, si non esset, nec paruísset illi, qui sibi, quod non habébat, vindicáret.

℟. Ait Elías núntiis regis Samaríæ: Numquid non est Deus in Israël, ut eátis ad Beélzebub? Quamóbrem hæc dicit Dóminus: * De léctulo, super quem ascendísti, non descéndes, sed morte moriéris. ℣. Revérsi núntii ad Ochozíam dixérunt: Vir occúrrit nobis dicens: Ite, et revertímini ad regem, et dicétis ei. De.

Lectio viii.

Ad hæc ómnia illud étiam póssumus dícere, ut tam mortis quam vitæ habére potestátem líquido, ac vere crederétur; utque supernórum, et infernórum Dóminus ostenderétur; idcírco Móysen jam mórtuum, et Elíam, qui nondum id passus est, in médium prodúxit. Quartam vero causam Evangelísta quoque ipse tétigit. Quænam ígitur illa est? Ut crucis glóriam osténdat, et tam Petrum, quam réliquos, qui passiónem formidábant, consolarétur, et ad sublímius erígeret. Non enim tacébant, inquit, sed loquebántur de glória, quam completúrus erat in Jerúsalem, de cruce vidélicet, ac passióne: sic enim ipsam semper appellábat.

℟. Factum est, dum tólleret Dóminus Elíam per túrbinem in cœlum, * Eliséus clamábat, dicens: Pater mi, pater mi, currus Israël, et auríga ejus. ℣. Cumque pérgerent, et incedéntes sermocinaréntur: ecce currus ígneus, et equi ígnei divisérunt utrúmque, et ascéndit Elías per túrbinem in cœlum. Eliséus. Glória Patri. Eliséus.

Lectio ix.

Accédit ad hæc ómnia virtus quoque virórum singuláris atque præcípua, quam máxime a discípulis flagitábat. Nam quóniam dixit: Si quis vult post me veníre, tollat crucem suam, et sequátur me: hac de causa eos, qui cénties pro Dei præceptórum custódia, et pópuli, qui sibi créditus fúerat, mortem suscepíssent, in médium prodúcit; quorum utérque cum ánimam perdíderit, invénit eam. Atque sane magna libertáte advérsus tyránnos locúti sunt; alter advérsus Ægýptum, alter advérsus Achab: et quod magnum est, pro ingrátis homínibus, et inobediéntibus, a quibus in atrócia perícula compúlsi sunt; qui etsi priváti, ac absque potestáte fúerant, propósitum tamen habuérunt ab idolórum cultu pópulum erípere; quorum alter tardus lingua, et voce ténuis, alter étiam áliquo modo rustícior, et utérque sæculárium divitiárum appríme contémptor. Nam neque Móyses quidquam possidébat, nec Elías præter melótem áliquid habébat: præsértim cum véteris essent testaménti, nec tanta grátia signórum pollérent.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

et per Horas.

Ant. 1. Elías, * dum zelat zelum legis, recéptus est in cœlum.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Factum est autem, * cum leváre vellet Dóminus Elíam per túrbinem in cœlum, ibant Elías, et Eliséus de Gálgalis.

3. Tulit Elías * pállium suum, et percússit aquas, et divísæ sunt, et transiérunt ambo per siccum.

4. Cum Elías, * et Eliséus pérgerent, et incedéntes sermocinaréntur, ecce currus ígneus et equi ígnei divisérunt utrúmque.

5. Ascéndit Elías * per túrbinem in cœlum; Eliséus autem vidébat, et clamábat: Pater mi, pater mi, currus Israël, et auríga ejus.

Capitulum. Eccli. 48.

Surréxit Elías Prophéta quasi ignis, et verbum ipsíus quasi fácula ardébat: qui indúxit in pópulos famem, et irritántes illum invídia sua, pauci facti sunt.

Hymnus.

Te, magne rerum Cónditor,
Mens nostra gliscit laúdibus
In hoc Thesbíte máximo,
Quem díligis extóllere.

Hic namque sacri nóminis
Tui zelátor próvocat
Vates Baal nequíssimos,
Victósque jure intérficit.

Illo precánte, víctimas
Absúmit ignis cœ́litus:
Hinc perstrepéntes ácriter,
Sunt ómnibus ludíbrio.

Tum Jezabélis ímpiæ
Vitans furórem nóxium,
Sub junipéro dórmiens,
Adésse cernit Angelum.

Panem sibi qui próferens,
Lymphámque, jussit pérgere
Cibo reféctum strénue
Ad montis Horeb vérticem.

Hoc in cibo jejúnium
Tulit quadragenárium:
Hac vi dapes sunt prædítæ,
Quas dextra Dei pórrigit.

Omnis tibi sit glória,
Verbum, Pater, Paráclite,
Inseparáta Trínitas,
Quæ condidísti ómnia. Amen.

℣. **Elías in túrbine tectus est.**
℟. **Et in Eliséo complétus est spíritus ejus.**

Ad Bened. Ant. **Elías homo erat símilis nobis passíbilis: et oratióne orávit, ut non plúeret super terram: et non pluit annos tres, et menses sex. Et rursum orávit: et cœlum dedit plúviam, et terra dedit fructum suum.**

Oratio.

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut qui beátum Elíam Prophétam tuum ígneo curru mirabíliter elevátum esse crédimus, eódem interveniénte, ad cœléstia sublevémur; et sanctórum tuórum consórtio gaudeámus. Per Dñm.

Ad Tertiam.

Ant. **Factum est autem.**

Capit. **Surréxit Elías.** ut supra.

℟. br. **Verbo Dómini * Contínuit cœlum. Verbo.** ℣. **Et dejécit de cœlo ignem ter. Contínuit.** Glória Patri. Verbo.

℣. **Tu ungis Reges ad pœniténtiam.** ℟. **Et Prophétas facis successóres post te.**

Ad Sextam.

Ant. **Tulit Elías.**

Capitulum. Eccli. 48.

Verbo Dómini contínuit cœlum, et dejécit de cœlo ignem ter: sic amplificátus est Elías in mirabílibus suis.

℟. br. **Tu ungis Reges * Ad pœniténtiam. Tu.** ℣. **Et Prophétas facis successóres post te. Ad.** Glória Patri. **Tu.**

℣. **Beáti sunt, qui te vidérunt.**
℟. **Et in amicítia tua decoráti sunt.**

Ad Nonam.

Ant. **Ascéndit Elías.**

Capitulum. Eccli. 48.

Tu sustulísti mórtuum ab ínferis, de sorte mortis in verbo Dómini Dei. Qui scriptus es in judíciis témporum leníre iracúndiam Dómini.

℟. br. Beáti sunt, * Qui te vidérunt. Beáti. ℣. Et in amicítia tua decoráti sunt. Qui te. Glória Patri. Beáti.

℣. Elías in túrbine tectus est. ℟. Et in Eliséo complétus est spíritus ejus.

In II. Vesperis.

Omnia ut in I., præter sequ.

℣. Beáti sunt, qui te vidérunt. ℟. Et in amicítia tua decoráti sunt.

Ad Magnif. Ant. **Tulit Elías pállium suum, et percússit aquas Jordánis, quæ divísæ sunt in utrámque partem, et transiérunt ipse, et Eliséus per siccum: et ascéndit Elías per túrbinem in cœlum.**

Die 21. Julii.

S. Macrinæ Virginis, Abbatissæ, Sororis S. Basilii Magni.

Duplex.

Omnia de Communi Virg., præter sequentia.

Oratio.

Deus veritátis amátor, qui beátæ Macrínæ Vírginis ad tui nóminis glóriam vota suscípere dignátus es: fac nos rádios veræ lucis agnóscere, et ad perpétuos caritátis tuæ ampléxus felíciter perveníre. Per Dóminum.

Et fit commemor. S. Praxedis Virg. Ant. et ℣. e Laudib. Oratio ut in Brev.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Ex **Epístola S. Gregórii Nysséni ad Olýmpium Mónachum.**

Lectio iv.

Macrína sanctórum Basilíi, et Eumélíæ fília, Magníque Basilíi, et Gregórii Nysséni soror, ab ineúnte ætáte religiósis vitæ móribus a beátis paréntibus diligénter instrúcta, pietátem egrégie cóluit. Hujus mater grávida somno corrépta, manu gestáre sibi visa est id, quod adhuc intra víscera continébat, et quemdam humána spécie et forma augustiórem intuéri, qui Theclæ celebérrimæ Mártyris nómine filíolam appellávit. Id autem cum ter répetens testátum reliquísset, discéssit. Ea vero statim somno solúta est, et partu fácile leváta, ut et somno simul excitáta sit, et quod in quiéte víderat, efféctum inspéxerit. Is autem qui per quiétem apparúerat, eam vocem pronuntiávit, non tam, ut quo nómine appellánda esset, indicáret, quam ut similitúdine nóminis idem osténderet vivéndi stúdium et institútum. Duodécimum annum cum attigísset, a Basilío patre nóbili cuídam et honestíssimo adolescénti despondétur, quo e vita (núptiis nondum celebrátis) abeúnte, numquam indúci pótuit, ut quæ virginitátem serváre in ánimum indúxerat, álium dúceret. A matris látere, quam summa observántia reverebátur, ne moménto quidem témporis discedébat, eíque ancíllæ instar ministrábat in ómnibus.

℟. **Propter veritátem.**

Lectio v.

Patre mórtuo, labórum Eumélíæ matris, quibus illa premebátur, se sóciam præbens sollicitudinúmque partem súbiens, eam gravi molestiárum ónere levábat: cui post étiam suásit, ut relícta prístinæ vitæ consuetúdine, elatioríque vivéndi modo, quas súbditas et ancíllas ad usus próprios adhi-

búerat, secum ejúsdem conditiónis atque órdinis esse vellet, atque una cum illis vitam cum virgínibus tradúceret. Basilíum fratrem ante id tempus, a públicis litterárum gymnásiis, in quibus diu versátus fúerat, domum redeúntem, ad perfectiónis stúdium ádeo incéndit, ut mundi posthábita claritáte despectáque eloquéntiæ glória, laboriósum operosúmque vivéndi genus per paupertátem perféctam amplexátus, expedítam sibi ad virtútem viam exstrúxerit. Ipsa vero beáta Macrína vitam victu ásperam, sed assíduis contemplatiónibus suávem ducens, humi cubábat, módico cibo conténta erat, delícias suas in temperántia collocáverat, glóriam suam in eo putárat sitam, quod nota esset némini, divítias quod nihil possidéret.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Novem círciter ménsibus a Basilíi fratris óbitu, quem illa forti ánimo túlerat, in morbum íncidit: quo témpore a Gregório Nysséno fratre invísitur, qui támdiu apud eam fuit, quámdiu ánimam Deo réddidit. Sub mortem vero, Sponsi caritáte vulneráta, ita Deum precári cœpit: Tu Dómine mortis metum nobis abstersísti. Tu effecísti, ut hujúsce vitæ finis vere nobis esset princípium vitæ: Tu nostra córpora ad tempus somno tradis, rursúmque e somno súscitas extréma tuba: Tu mihi ádhibe Angelum lucis, qui me ducat ad locum refrigérii, ubi quiétis est aqua, in sinu sanctórum Patrum. Hæc dicens, óculos, os, et cor cruce signans, vitæ finem læta exspectábat. Nocte demum adveniénte, cum tota in agéndis Deo grátiis esset, ad præmium ábiit in cœlum. Cujus corpus in eo sepúlchro, in quo beatórum paréntum relíquiæ quiescébant, cónditum est.

℟. Afferéntur Regi.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus. de Communi.

Lect. ix. et comm. S. Praxedis Virg. in Laudib. Ant. et ℣. e I. Vesp.

Die 23. Julii.

S. Liborii Episc. et Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pontif., præter sequentia.

Oratio. Exaúdi, quǽsumus.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Libórius honéstis paréntibus in Gállia natus, et ab ineúnte ætáte caducárum rerum illécebras aversátus, egrégiam índolem præcláris móribus, et humanárum sacrarúmque litterárum stúdiis ádeo diligénter excóluit, ut progréssu témporis probitátis ac sapiéntiæ profíciens increméntis, maturitátem virílis ornáret ætátis. Clero adscríptus, ac offíciis functus ecclesiásticis, ámplius totum sese divíno cúltui mancipávit, studuítque cunctos actus, cogitationésque suas ita ad ratiónis normam dirígere, ut nihil appéteret pœniténdum. Modéstia ítaque, abstinéntia, castimónia, aliísque virtútibus conspícuus, Pavácio Cœnomanénsi epíscopo defúncto, unáni-

mi civitátis consénsu quartus ejúsdem sedis antístes elígitur.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Ea dignitátis accessióne nihil intérius immutátus, in concrédita sibi Dómini vínea excolénda totus fuit. Assídua prædicatióne, vitæ innocéntis exémplo, et effúsa in paúperes caritáte præcípue insígnis, pópuli mores reformávit; ac potens in ópere et sermóne multos integritáti vitæ, fideíque restítuit. Domus Dei decórem et cultum egrégie promóvit: ædificátis septémdecim ecclésiis, in quibus pro jugi divinórum officiórum celebratióne, et affluéntibus pópulis Sacrórum dispensatióne, divérsi órdinis minístros instítuit. Tandem quadragínta novem annis in episcopátu sanctíssime transáctis, obdormívit in Dómino décimo Kaléndas Augústi. Eum in cilício decumbéntem, et ad cœléstem pátriam anhelántem beátus Martínus Turonénsis epíscopus ab Angelo mónitus invísit: mortuúmque in suburbána ecclésia honorífice sepelívit, ubi multis póstea mirácu-lis coruscávit.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Verum post debellátam a Cárolo Magno Saxóniam, et Christi jugo subáctam, Badurádus secúndus Paderbórnæ in Westphália epíscopus, cum adhuc rudem in fide pópulum ad avítas gentílium superstitiónes sese convertén tem animadvertísset, quo illum ab ejúsmodi erróribus per novum patrónum ac intercessórem apud Deum revocáret, divíno mónitu ab Aldríco Cenomanénsi antístite Libórii corpus impetrávit, et máxima cum celebritáte suscépit año salútis octingentésimo trigésimo sexto. Sacræ relíquiæ cum transferréntur, omnes illas regiónes mira signórum frequéntia illustrárunt; quorum fama in dies percrebrescénte, magnum ubíque Libórii nomen esse cœpit. Sed ejus virtus contra nephríticos dolóres præcípue claréscit, contínuis testáta benefíciis, ob quæ peculiári fidélium pietáte multis in regiónibus celebrátur.

℟. Iste est qui.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Vigiláte. de Communi 2. loco.

Die 24. Julii.

Tertia die infra Octav.

S. Mariæ Magdalenæ.

Semiduplex.

(Pro Diœcesi tantum.)

Officium ut in Festo.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Sermo 45. de diversis cap. 1.

Lectio iv.

Præstábit nobis, qui diem istum commendávit in sanctis suis, ut infírmitas vocis nostræ suffíciat intentióni vestræ. Et hoc quod gestámus in mánibus, Scriptúra scílicet, quam vidétis, comméndat nobis inquiréndam et laudándam mulíerem quamdam, habéntem magnum virum, eum, qui invénit pérditam, ornávit invéntam. Atténdite cujus membra estis, inspícite cujus fílii estis. Mulíerem

fortem quis invéniet? Difficile est inveníre eam; imo difficile est nescíre eam. Nonne ipsa est cívitas in monte, quæ abscóndi non potest? Quare ergo dictum est: Quis invéniet? cum dici debúerit: Quis non invéniet? Sed tu civitátem in monte pósitam vides: ut autem in monte ponerétur, invénta est, quæ períerat.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Quando illustráta est, quis eam non videt? quando latébat, quis eam inveníret? Ipsa enim cívitas est una illa ovis, quam pérditam quæsívit ille pastor, et invéntam gaudens in húmeris reportávit. Ipse pastor, mons est: ovis autem in húmeris ejus, cívitas in monte. Fácile est, ut vídeas eam collocátam in monte: quando eam inveníres, cum latéret in vépribus, in spinis útique delictórum suórum? ibi enim quæsísse magnum est; ibi invenísse mirábile est. Hæc ejus difficilis invéntio commendátur, cum dicit: Mulíerem fortem quis invéniet? quis enim, quia unus; non, quia nec unus.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Pretiósior est autem lapídibus pretiósis, quæ ejúsmodi est. Quid magnum, quia pretiósior est múlier hæc lapídibus pretiosíssimis? Pretiósi lápides ídeo dicti sunt, quia caritáte valent. Jam ille vilis est, prétium pérdidit, qui non habet caritátem. Doctrínam suam jactet licet, linguam suam jactet licet; aúdiat æstimatórem verórum lápidum matrónæ hujus: aúdiat, inquam, quemdam artíficem ornaménti hujus inspectórem. Si linguis hóminum loquar, inquit, et Angelórum, caritátem autem non hábeam, factus sum æraméntum sonans, aut cýmbalum tínniens. Jam non fulget, sed tinnit. Ergo díscite lápides æstimáre, negotiatóres regni cœlórum: nullus lapis nobis pláceat, præter hujus mulíeris ornaméntum.

℟. Fallax grátia.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 7.

In illo témpore: Rogábat Jesum quidam de pharisǽis, ut manducáret cum illo. Et ingréssus domum pharisǽi discúbuit. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homilia 33. in Evang.

Cogitánti mihi de Maríæ Magdalénæ pœniténtia, flere magis libet, quam áliquid dícere. Cujus enim vel sáxeum pectus illæ hujus peccatrícis lácrimæ ad exémplum pœniténdi non emólliant? Considerávit namque quid fecit, et nóluit moderári, quid fáceret. Super convivántes ingréssa est, non jussa venit, inter épulas lácrimas óbtulit. Díscite, quo dolóre ardet, quæ flere et inter épulas non erubéscit.

℟. Os suum.

Lectio viii.

Hanc vero, quam Lucas peccatrícem mulíerem, Joánnes Maríam nóminat, illam esse Maríam

crédimus, de qua Marcus septem dæmónia ejécta fuísse testátur. Et quid per septem dæmónia, nisi univérsa vítia designántur? Quia enim septem diébus omne tempus comprehénditur, recte septenário número univérsitas figurátur. Septem ergo dæmónia María hábuit, quæ univérsis vítiis plena fuit.

℟. Regnum mundi.

Lectio ix. Vigil. S. Jacobi Apost.

Die 26. Julii.

S. Annæ Matris Genitricis Dei Mariæ, Patr. Neap.

Duplex 2. classis.

Omnia ut in Breviario hac die.

Die 27. Julii.

S. Pantaleonis Martyris.

Semiduplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 29. Julii.

Octava

S. Mariæ Magdalenæ.

Duplex.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Sermo 45. de diversis c. 12.

Lectio iv.

Duplícia pállia fecit viro suo. Jam acclamátis: Credo, quod agnóscitis, quæ sunt duplícia pállia. Laudes sunt, laudes fídei, laudes confessiónis, laudes prædicatiónis. Quare duplícia? Christum laudas, Deum laudas, et hóminem. Duplíciter lauda, simplíciter lauda. Duplíciter, quia homo est et Deus; simplíciter, ut non sis fictus. Confitére Deum, confitére hóminem, lauda Deum in hómine, lauda hóminem in Deo. Téxuit pretiosíssimum illud pállium laudis: In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum: hoc erat in princípio apud Deum. Téxuit et áliud pállium, propter conversatiónem inter hómines quotidiánam: Verbum caro factum est, et habitávit in nobis.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Hic ergo ista laboriósa, vígilans, sollícita, sevére castígans domum suam, surgens de nóctibus, íntuens lucérnam, ne exstinguátur, in tribulatióne fortis, nondum recéptis promíssis pavens, bráchia sua in fusum confírmans, non pigrum panem mandúcans. Ob labóres istos quasi paupertátis et necessitátis sæculáris, quid erit, quia in diébus novíssimis lætáta est? Quid erit? Audíte. Propter quam spem árdeat lucérna nostra tota nocte, nunc audíte: Surrexérunt fílii ejus, et ditáti sunt. Modo in paupertáte vívimus, in paupertáte vigilámus, et cum mórimur, in paupertáte dormímus; sed surgémus, et ditábimur. Quæ illæ divítiæ sunt Angelórum? unam vestem habent lucis: numquam téritur, numquam sordidátur. Si fílius es mulíeris hujus, atténde quando tibi divítiæ promittántur: surrexérunt fílii ejus, et ditáti sunt, paráti resurrectiónis divítias accípere. Noli has amáre, ut mereáris ad illas veníre.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Et vir ejus laudávit eam. Multæ, inquit, fíliæ fecérunt poténtiam. Laudes sunt, quibus eam laudat vir ejus. Quæ fíliæ? Quibus hæc comparátur? Non comparátur. Tu autem superásti. Atténdite, rogo vos: jam in fine lectiónis sumus. Multæ fíliæ fecérunt poténtias, multæ locútæ sunt linguis, sciérunt ómnia sacraménta, fecérunt virtútes multas, dæmónia exclusérunt, res suas paupéribus distribuérunt, córpora sua ígnibus tradidérunt: inflátæ sunt, quia caritátem non habuérunt. Tu autem superásti, et superposuísti omnes, non solum flore, sed et fructu grávida abúndans. Date illi de frúctibus mánuum suárum. Quid date? Veníte benedícti Patris mei. De quibus frúctibus mánuum ejus? Esurívi enim, et dedísti mihi manducáre. Et quod illi deínde negótium erit, finítis labóribus? Et laudétur in portis vir ejus. Ipse erit portus labórum nostrórum, vidére Deum, laudáre Deum.

℟. Fallax grátia.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 7.

In illo témpore: Rogábat Jesum quidam de pharisǽis, ut manducáret cum illo. Et ingréssus domum pharisǽi, discúbuit. Et réliqua.

Homilía S. Petri Chrysólogi.

Serm. 93. post initium.

Venit múlier, et venit retro: quia reus ánimus post tergum stat ad véniam, quia per culpam novit se vultus fidúciam perdidísse. Venit satisfactúra Deo, non hómini placitúra, cum venit: venit pietátis illa, non voluptátis exhibitúra convívium. Dénique et pœniténtiæ ponit mensam, fércula compunctiónis appónit, panem dolóris infert, potum lácrimis témperat in mensúra, et ad delícias Deitátis totas, totam pulsat cordis sui et córporis symphoníam, órgani planctus dat clamórem, cítharam per suspíria longa modulátur, gémitus aptat in fístulam: et dum pectus ipsam consciéntiam árguens sæpe pércutit, facit placitúra Deo cýmbala personáre: dumque táliter appórtat divínis óculis cibos, totas misericórdiæ cópias sic repórtat.

℟. Os suum.

Lectio viii.

Ecce múlier, quæ erat in civitáte peccátrix. Exággerat Evangelísta mulíeris fácinus, ut accúmulet indulgéntiam largitóris. In civitáte peccáverat, quia fama sua famam totíus tetígerat civitátis; sicque jam non peccátrix solum, sed ipsíus civitátis facta fúerat ipsa peccátum. Hæc cognóvit, quod nisi ab illo solo civitátis peccátum non posset auférri, qui solus mundi vénerat abolére peccátum; et ut cognóvit, quia accúmberet Dóminus in domo pharisǽi, non ad stantem, non ad sedéntem audet veníre peccátrix. Deus cum stat, córripit; cum sedet, júdicat; prostrátis cónjacet, cum decúmbit.

℟. Regnum mundi.

Lectio ix.

Portávit óleum, quia medicínam letháli vúlneri a supérno médico perquirébat. Ad pedes tendit

semper, citam véniam qui requírit. Et bene stans, quia jam cádere non potest, qui ad pedes Christi méruit perveníre. Stans retro secus pedes ejus, ut Christi vestígiis iníxa percúrreret per viam vitæ, quæ per viam cucúrrerat mortis. Lácrimis rigábat pedes ejus. En mutátur ordo rerum; plúviam terræ cœlum dat semper. Ecce nunc rigat terra cœlum; imo super cœlos, et usque ad ipsum Dóminum imber humanárum prosíliit lacrimárum, ut juxta Psalmístam, et de aquis flétuum cantétur illud: Et aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Dómini. O quanta vis in lácrimis peccatórum! Rigant cœlum, terram díluunt, exstínguunt gehéñam, delent in omne fácinus latam divína promulgatióne senténtiam.

Te Deum laudámus.

Reliqua ut in die S. Mariæ Magdalenæ, cum comm̃em. Ss. Felicis etc. Mm.

Die 31. Julii.

S. Ignatii Conf. et Patr. Neapolit.

Duplex majus.

Omnia ut in Brev., sed Lectiones I. Noct. **Justus.** de Comm. 1. loco.

Die 2. Augusti.

S. Alphonsi Mariæ de Ligorio

Conf. Pont. et Doctoris Eccles., Patroni Neapolit.

Duplex majus.

Omnia ut in Brev., præter sequ.

Ad Vesperas.

Hymnus.

[redacted]n qui benígne néxibus
Solvit revínctos críminum,
Cœlíque callem déviis
En qui retéxit sédulus.

Oh quot labóres pértulit,
Æstúsque mentis ásperos,
Ex ore prompte dæmonis
Eos ut atro tólleret!

Pagos et urbes pérmeat,
Plagásque cultas rústicis,
Ibíque Christi dógmata
Ardóre multo séminat.

Et ut docére díssitos
Omnésque possit pósteros,
Edit libros multíplices
Cunctis futúros sæculis.

Ætérna Patri glória,
Ejúsque soli Fílio,
Tibíque sancte Spíritus
Sit in perénni témpore.
Amen.

Ad Matutinum.

Hymnus.

Dum corda plebis cómmovet,
Eámque belle próvocat
Alphónsus, ut fidúciam
In Matre ponat Núminis.

Monstrum novum mirábile
Stupóre plena cónspicit,
Imménsa quod suspíria,
Dulcésque guttas éxcitat.

Imágo namque Vírginis
Se luce vestit prótinus,
Jubárque vibrat, quod pium
Loquéntis os illúminat.

Probávit hoc miráculo
Regína cœli præpotens
Verum fuísse férvido
Quod fudit ipse péctore.

Ætérna Patri glória,
Ejúsque soli Fílio,
Tibíque sancte Spíritus,
Sit in perénni témpore.
Amen.

In I. Nocturno Lect. **Sapiéntiam.** de Communi Doctor.

Ad Laudes.

Hymnus.

Alphónse curnam júscula
Herbis amáris ínficis?
Corpus tuum duríssimo
Quare flagéllo pércutis?

Rerum premens angústia,
Frigus, calor, jejúnium,
Sitis, labórque pérvigil
Submísit illud áffatim.

Intácta sint, hoc éfficis,
Ut castitátis lília
Tuæ, cibúmque dívitem
Virtútibus des céteris.

Sic in tumúltu sǽculi
Vita fruéntes áccolæ
Possunt Erémi cónsequi
Gressus tuos Antístites.

Ætérna Patri glória,
Ejúsque soli Fílio,
Tibíque sancte Spíritus
Sit in perénni témpore. Amen.

Die 3. Augusti.

S. Aspreni primi Episc., Confess. et Patroni Neapolitani.

Duplex 2. classis.

In I. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud. **55***; Ps. de Communi Conf. Pont.
Hymnus ut in Matutino.

℣. **Dedit illi Dóminus glóriam in gente sua.** ℟. **Et ut stellas exaltáre semen suum.**

Ad Magnif. Ant. **Atténdite ad patrem vestrum, quia unum vocávi eum, et benedíxi ei, et multiplicávi eum.**

Oratio.

Deus, qui beátum Asprénum ab Apóstolo Petro baptísmo lustrátum, primum nobis Antístitem constituísti: præsta supplícibus tuis; ut fidem, quam per eum accépimus, bonis opéribus comprobémus. Per Dóminum.

Ad Matutinum.

Invit. **Beátus Asprénus in Christo Jesu per Evangélium nos génuit: * Veníte, adorémus Dñm.**

Ps. **Veníte, exsultémus.**

Hymnus.

Glóriam primi célebret paréntis
Pátria Aspréni, récolat triúmphum,
Cum Petrus nostris fidei magíster
Appulit oris.

Lucis advéctor simulácra dudum
Géntium cultu celebráta, verbo
Cónterens, Christi decus obstupénti
Prótulit urbi.

Núntium pacis, crucis excitátum
Prima cognóvit múlier trophǽum,
Prima cœlésti méruit lavácro
Cándida tingi.

Inter ablútam médius catérvam,
Cívium princeps véluti suórum,
Infulæ Asprénus pátrio refúlsit
Primus honóre.

Laus sit excélsæ Tríadi perénnis,
Quæ per Aspréni méritum beáti
Integrum nostræ fidei nitórem
Servat in urbe. Amen.

In I. Nocturno.

Ant. **Cum introísset Petrus, óbvius venit ei Asprénus, et prócidens ad pedes ejus adorávit.**

Psalmi de Communi Conf. Pont.

Ant. **Apériens autem Petrus os suum, dixit: Verbum misit Deus fíliis Israël, annúntians pacem per Jesum Christum.**

Ant. Et jussit Apóstolus baptizári Asprénum in nómine Jesu Christi.

℣. Ego Dóminus vocávi te in justítia. ℟. Et dedi te in fœdus pópuli.

De Epístola prima beáti Petri Apóstoli.

Lectio i. Cap. 1.

Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui secúndum misericórdiam suam magnam regenerávit nos in spem vivam, per resurrectiónem Jesu Christi ex mórtuis, in hæreditátem incorruptíbilem, et incontaminátam, et immarcescíbilem, conservátam in cœlis in vobis, qui in virtúte Dei custodímini per fidem in salútem, parátam revelári in témpore novíssimo. In quo exsultábitis, módicum nunc si opórtet contristári in váriis tentatiónibus: ut probátio vestræ fídei multo pretiósior auro (quod per ignem probátur) inveniátur in laudem, et glóriam, et honórem, in revelatióne Jesu Christi: quem cum non vidéritis, dilígitis: in quem nunc quoque non vidéntes, créditis; credéntes autem exsultábitis lætítia inenarrábili et glorificáta, reportántes finem fídei vestræ, salútem animárum. De qua salúte exquisiérunt, atque scrutáti sunt Prophétæ, qui de futúra in vobis grátia prophetavérunt; scrutántes in quod vel quale tempus significáret in eis spíritus Christi; prænúntians eas quæ in Christo sunt passiónes, et posterióres glórias: quibus revelátum est, quia non sibimetípsis, vobis autem ministrábant ea, quæ nunc nuntiáta sunt vobis, per eos, qui evangelizavérunt vobis Spíritu sancto misso de cœlo, in quem desíderant Angeli prospícere.

℟. Edúxit eos de ténebris et umbra mortis, * Et víncula eórum disrúpit. ℣. Misit verbum suum et sanávit eos, et erípuit eos de interitiónibus suis. Et.

Lectio ii.

Propter quod succíncti lumbos mentis vestræ, sóbrii perfécte speráte in eam, quæ offértur vobis, grátiam, in revelatiónem Jesu Christi; quasi fílii obediéntiæ, non configuráti prióribus ignorántiæ vestræ desidériis; sed secúndum eum, qui vocávit vos, Sanctum; et ipsi in omni conversatióne sancti sitis, quóniam scriptum est: Sancti éritis, quóniam ego sanctus sum. Et si patrem invocátis eum, qui sine acceptióne personárum júdicat secúndum uniuscujúsque opus, in timóre incolátus vestri témpore conversámini; sciéntes quod non corruptibílibus auro vel argénto redémpti estis de vana vestra conversatióne patérnæ traditiónis; sed pretióso sánguine quasi agni immaculáti Christi, et incontamináti; præcógniti quidem ante mundi constitutiónem, manifestáti autem novíssimis tempóribus propter vos, qui per ipsum fidéles estis in Deo, qui suscitávit eum a mórtuis, et dedit ei glóriam, ut fides vestra et spes esset in Deo.

℟. Abstulit deos aliénos et simulácra et aras, * Et projécit ómnia extra urbem. ℣. Lucos étiam et sculptília succídit atque comminuit. Et.

Lectio iii.

Animas vestras castificántes in obediéntia caritátis, in fraternitátis amóre, símplici ex corde ínvicem dilígite atténtius: renáti non ex sémine corruptíbili, sed incorruptíbili per verbum Dei vivi, et permanéntis in ætérnum: quia omnis caro ut fœnum, et omnis glória ejus tamquam flos fœni: exáruit fœnum, et flos ejus décidit. Verbum autem Dómini manet in ætérnum: hoc est autem verbum quod evangelizátum est in vos.

℟. Eréxit altáre Dómini * Et immolávit super illud víctimam immaculátam et pacíficam et laudem. ℣. Præcepítque pópulo suo ut servíret Dómino Deo Israël. Et. Glória Patri. Et.

In II. Nocturno.

Ant. Complévit Dóminus manus ejus et unxit illum óleo sancto suo.

Ant. Factum est illi testaméntum ætérnum, fungi sacerdótio et glorificáre pópulum suum.

Ant. Ipsum elégit offérre sacrifícium Deo, incénsum et bonum odórem, in memóriam placáre pro pópulo suo.

℣. Dedit illi in præcéptis suis potestátem. ℟. Et in lege sua lucem dare Israël.

Lectio iv.

Asprénus primus Neapolitánæ Ecclésiæ antístes ab Apostolórum Príncipe constitútus fuit. Cum enim is Antiochía Romam proficíscens, Neápolim appulísset, invénit honéstam mulíerem Cándidam nómine, quæ, ab eódem ægritúdine prius liberáta, et lustráta baptísmate, orávit deínde sanctum Apóstolum, ut Aspréno probo viro sibi consanguinitáte conjúncto, diutúrno jam morbo laboránti, idem quod sibi benefícium impertirétur, ut non tantum sánguinis, sed religiónis cognatióne conjungeréntur.

℟. Coróna áurea super mitram ejus, * Expréssa signo sanctitátis et glória honóris. ℣. Sic pulchra ante ipsum non fuérunt tália usque ad oríginem. Expréssa.

Lectio v.

Annuit Petrus Cándidæ précibus, eíque injúnxit, ut apprehénsa ægri déxtera, suo nómine jubéret incólumem e strato consúrgere. Quod cum múlier fecísset, Asprénus íllico sanus ad beátum Petrum accéssit, a quo veræ fídei mystériis initiátus salutári lavácro fuit ablútus; et cum Cándida Missæ sacrifício intérfuit, dum Apóstolus ipse sacris operarétur in loco, quem póstea Petri aram nuncupátum, atque ob tantæ rei memóriam, máximo in honóre semper hábitum, tum Neapolitáni reges privilégiis plúrimis, tum Pontífices summi amplíssimis indulgéntiis locupletárunt.

℟. Sacérdos magnus porréxit manum suam in libatióne, * Et libávit de sánguine uvæ. ℣. Effúdit in fundaménto altáris odórem divínum excélso Príncipi. Et.

Lectio vi.

Petrus autem Romam discessúrus Neapolitánæ ecclésiæ Asprénum primum epíscopum præfécit, qui divínum Magístrum imi-

tátus, pópulum suæ curæ et directióni tráditum, exémplo, prædicatióne, miraculísque sic erúdiit excoluítque, ut fidem et Jesu Christi doctrínam ab Apostolórum Príncipe accéptam, intáctam semper illibatámque constantíssime serváverit. Donec Asprénus annis plenus ac méritis emigráret ad Dóminum, sub annum Christi nati septuagésimum nonum; sepultúsque nunc cólitur máximo in templo, ubi sancti Petri báculus servátur.

℟. Fui pupíllis miséricors ut pater, et pro viro matri illórum, * Pater eram paúperum. ℣. Omnibus ómnia factus sum, ut omnes fácerem salvos. Pater. Glória Patri. Pater.

In III. Nocturno.

Ant. Ego sum, et pactum meum tecum, erísque pater multárum géntium.

Ant. Deus omnípotens benedíxit tibi, et créscere te fecit, atque multiplicávit, ut sis in turbas populórum.

Ant. Magnus Pater multitúdinis géntium, non est invéntus símilis illi in glória.

℣. Fílii ejus propter illum usque in ætérnum manent. ℟. Semen ejus et glória ejus non derelinquétur.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. Cap. 10.

In illo témpore: Dixit Jesus pharisǽis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homilía S. Joánnis Chrysóstomi.

In sanctum Ignatium.

Vos ipsi consideráte, fratres: Ecclésiam nostram beátus Asprénus rexit tam generóse, et tanta cum diligéntia, quantam Christus requírit. Quam enim ille máximam normam et régulam epíscopis státuit, eam hic factis ipsis expréssit. Nam cum Christus audísset dicéntem: Bonus pastor ánimam suam ponit pro óvibus, omni fortitúdine eam pro óvibus profúdit. Cum Apóstolis strénue versátus est, et fluénta hausit spirituália. Qualem ígitur eum esse par fuit, qui ómnium quæ ab illis vel dicta, vel non dicta sunt párticeps fuit, et tanto principátu dignus ab ipsis est judicátus. Neque enim ego virum hunc tantúmmodo, quod tanto honóris gradu dignus sit hábitus, admíror, sed quod a sanctis illis dignitátem obtinúerit, quodque beatórum Apostolórum manus sacrum illud caput attígerint. Nec módicum id ad ejus laudem confert, non solum quod majórem e cœlo grátiam sit assequútus, aut quod in ipsum illi majórem vim spíritus indúxerint, sed quod omnes quæ in homínibus sunt in eo virtútes esse testáti sint.

℟. Tradídimus vobis non solum Evangélium Dei, sed étiam ánimam nostram, * Quóniam caríssimi nobis facti estis. ℣. Mémores estóte labóris nostri et fatigatiónis, nocte et die operántes prædicávimus in vobis Evangélium Dei. Quóniam.

Lectio viii.

Tempus animadvértite quo dignitátem episcopálem est as-

sequútus. Neque enim est éadem nunc quæ tunc erat Ecclésiam gubernándi condítio; non æquális est labor viam tritam et plane parátam post multos íngredi viatóres; atque eam quæ nunc primo secánda est, quæque prærúpta et saxósa, ferísque plena, nec ullum adhuc viatórem admísit. Tunc autem quocúmque quis óculos vérteret, ubíque præcipítia, bárathra et bella, et pugnæ et perícula, imperatóres, et reges, et pópuli, et civitátes, et gentes, et doméstici, et aliéni credéntibus insídias tendébant.

℟. Signa Apostolátus mei facta sunt super vos, * In omni patiéntia, in signis, in prodígiis et virtútibus. ℣. In Christo Jesu per Evangélium ego vos génui. In omni. Glória Patri. In omni.

Lectio ix.

Neque enim æquális est labor, non est profécto, post multos álios doctóres áliquem erudíre, et primum ipsum semen jacére. Quod enim meditatióne et consuetúdine parátum est, fácile percípitur; quod autem nunc primum audítur, discéntium ánimos pertúrbat múltaque docéntibus affert negótia. Hoc quidem Athénis auditóres perturbábat, ideóque ab Apóstolo declinábant, accusántes eum ac dicéntes: Nova quædam infers aúribus nostris. Nam si étiam hoc témpore labóres, ærumnásque multas gubernatóribus præbet Ecclésiæ præfectúra; cógita tunc dúplicem, tríplicem, multiplicémque fuísse labórem, cum perícula, et pugnæ, et insídiæ, et terróres perénnes instábant. Verbis explicári non potest difficúltas, quam sancti illi viri tunc sustinébant; sed is solus eam nóverit, qui reípsa illam experiétur.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes
et per Horas.

Ant. 1. Gaude, * Mater Ecclésia Neápolis, adsunt festa solémnia primi Pontíficis et Patris tui Aspréni.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Pópulus, * qui ambulábat in ténebris vidit lucem magnam, lux orta est eis.

3. Tulit ergo Sámuel * cornu ólei, et unxit eum in médio fratrum ejus, et diréctus est Spíritus Dómini a die illa in David.

4. In fide et lenitáte * ipsíus sanctum fecit illum Dóminus, et dedit illi sacerdótium gentis.

5. Abstulit deos aliénos, * præcepítque pópulo suo, ut servíret Dómino Deo Israël.

Capitulum. Is. 44. 1. 3.

Et nunc audi, serve meus quem elégi, effúndam spíritum meum super semen tuum, et benedictiónem meam super stirpem tuam.

Hymnus.

Te prime Pastor, ínclytæ
Cives salútant pátriæ,
Aspréne, lux fidíssima,
Nostræque gentis glória.

Apostolórum Príncipem
Nostris recéptum mœ́nibus
Dum pronus audis, cívibus
Sternis salútis trámitem.

Lavácra fundis grátiæ
In urbe, Christi súscitas
Vexílla, lætus éxcipis
Vitæ renátos fílios.

Tuáque voce córruunt
Idóla fracta núminum,
Porténta nondum cógnita
Virtúte pandis cœlica.

Nunc sede fulgens síderum
Clerum precántem réspice,
Tuǽque curæ créditum
Gregem tuére pátrium.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito
Nunc et per omne sǽculum.
Amen.

℣. In Christo Jesu per Evangélium. ℟. Ego vos génui.

Ad Bened. Ant. Fáciam te in gentem magnam, et benedícam tibi, et magnificábo nomen tuum.

Oratio ut in I. Vesp. 51*

Ad Tertiam.

Ant. Pópulus.

Capit. Et nunc audi. 55*

℟. br. Oculus fui cæco * Et pes claudo. Oculus. ℣. Pater eram paúperum. Et. Glória. Oculus.

℣. Liberávi pupíllum cui non erat adjútor. ℟. Et cor víduæ consolátus sum.

Ad Sextam.

Ant. Tulit ergo Sámuel.

Capitulum. 1. Thess. 4. 1.

Fratres: Rogámus vos et obsecrámus in Dómino Jesu, ut quemádmodum accepístis a nobis quómodo opórteat vos ambuláre et placére Deo, sic et ambulétis, ut abundétis magis.

℟. br. Filíoli, * Quos íterum partúrio. Filíoli. ℣. Donec formétur Christus in vobis. Quos. Glória Patri. Filíoli.

℣. In Christo Jesu per Evangélium. ℟. Ego vos génui.

Ad Nonam.

Ant. Abstulit deos aliénos.

Capitulum. Gal. 1. 8.

Licet nos aut Angelus de cœlo evangelízet vobis prætérquam quod evangelizávimus vobis, anáthema sit.

℟. br. Vigiláte, state in fide, * Viríliter ágite et confortámini. Vigiláte. ℣. Omnia vestra in caritáte fiant. Viríliter. Glória Patri. Vigiláte.

℣. Confídens scio quia permanébo in ómnibus vobis. ℟. Ad proféctum vestrum et gaúdium fídei.

In II. Vesperis.

Omnia ut in I., præter sequ.

Psalmi de Dominica et loco ultimi, Ps. 131. Meménto, Dómine, David.

℣. Salvábo gentem meam. ℟. Et ponam eos in circúitu collis mei benedictiónem.

Ad Magnif. Ant. Petrus Apóstolus baptísmo lustrávit et unxit óleo sancto Asprénum patrem nostrum, qui nos per Evangélium génuit in Christo Jesu.

Die 4. Augusti.

S. Dominici Conf. Patroni minus principalis Civ. et Regni Neap.

Duplex 2. classis cum Octava.

In I. Nocturno Lectiones **Justus si morte.** ut in Comuni Conf. non Pont. 1. loco.

In II. et III. Nocturno Lectiones ut in Breviario.

Die 7. Augusti.

S. Cajetani Thienæi Confess. et Patroni Neapolitani.

Duplex majus.

Vesperæ de Transfig. Domini cum commem. S. Cajetani.

Ant. **Quǽrite primum regnum Dei, et justítiam ejus, et hæc ómnia adjiciéntur vobis.**

℣. **Tu es spes mea, Dómine.**
℟. **Pórtio mea in terra vivéntium.**

Oratio ut ad Laudes. 59*

Deinde fit commem. Octavæ S. Dominici Conf. ac S. Donati Ep. et Mart.

Ad Matutinum.

Invit. **Regem et Patrem ómnium Dóminum, * Veníte, adorémus.**

Ps. **Veníte, exsultémus.**

Hymnus.

Quem tenet damni timor imminéntis,
Dúraque in rebus míseris egéstas,
Hic Thienǽi géneris beátum
Sidus honóret.

Nam velut quondam, Móyse adprecánte,
Prófluit saxis inopínus humor,
Et sitim longam, saliénte aquárum
Fonte, levávit.

Sic ubi præsens tibi tantus adsit
Splendor ex alto rútilans Olýmpo,
Tende jam dextram: réfluent supérni
Múnera Regis.

Sit salus illi, decus atque virtus,
Qui super cœli sólio corúscans
Totíus mundi sériem gubérnat
Trinus et unus. Amen.

In I. Nocturno.

Ant. **Factus est Dóminus refúgium paúperum, adjútor in opportunitátibus, in tribulatióne.**

Psalmi trium Nocturnorum de Communi Conf. non Pont.

Ant. **Sperent in te, qui novérunt nomen tuum, quóniam non derelínquis quæréntes te, Dómine.**

Ant. **Ego autem mendícus sum, et pauper: Dóminus sollícitus est mei.**

℣. **Tu es spes mea, Dómine.**
℟. **Pórtio mea in terra vivéntium.**

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

Lectio i. Cap. 6.

Est quæstus magnus píetas cum sufficiéntia. Nihil enim intúlimus in hunc mundum: haud dúbium, quod nec auférre quid póssumus. Habéntes autem aliménta, et quibus tegámur, his conténti simus. Nam qui volunt dívites fíeri, íncidunt in tentatiónem, et in láqueum diáboli, et desidéria multa inutília, et nocíva, quæ mergunt hómines in intéritum, et perditiónem. Radix enim ómnium malórum est cupíditas: quam quidam appeténtes erravérunt a fide, et inseruérunt se dolóribus multis.

℟. **Nolíte thesaurizáre vobis thesaúros in terra: * Ubi ærúgo, et tínea demolítur. ℣. Ubi fures effódiunt, et furántur. Ubi.**

Lectio ii.

Tu autem, o homo Dei, hæc fuge: sectáre vero justítiam, pietátem, fidem, caritátem, patiéntiam, mansuetúdinem. Certa bonum certámen fídei, apprehénde vitam

ætérnam, in qua vocátus es, et conféssus bonam confessiónem coram multis téstibus. Præcípio tibi coram Deo, qui vivíficat ómnia, et Christo Jesu, qui testimónium réddidit sub Póntio Piláto bonam confessiónem: ut serves mandátum sine mácula irreprehensíbile, usque in advéntum Dómini nostri Jesu Christi.

℟. Speráte in eo omnis congregátio pópuli, effúndite coram illo corda vestra: * Deus adjútor noster in ætérnum. ℣. In te speravérunt patres nostri: speravérunt, et liberásti eos. Deus.

Lectio iii.

Divítibus hujus sǽculi prǽcipe non sublíme sápere, neque speráre in incérto divitiárum, sed in Deo vivo (qui præstat nobis ómnia abúnde ad fruéndum), bene ágere, dívites fíeri in bonis opéribus, fácile tribúere, communicáre, thesaurizáre sibi fundaméntum bonum in futúrum, ut apprehéndant veram vitam. O Timóthee, depósitum custódi, devítans profánas vocum novitátes, et oppositiónes falsi nóminis sciéntiæ, quam quidam promitténtes, circa fidem excidérunt.

℟. Beátus, cujus Deus Jacob adjútor ejus, spes ejus in Deo ipsíus, * Qui fecit cœlum, et terram, mare et ómnia quæ in eis sunt. ℣. Magnus Dóminus noster, et magna virtus ejus, et sapiéntiæ ejus non est númerus. Qui. Glória. Qui.

In II. Nocturno.

Ant. Exsúrge Dómine Deus, exaltétur manus tua: ne obliviscáris paúperum.

Ant. Desidérium paúperum exaudívit Dóminus: præparatiónem cordis eórum audívit auris tua.

Ant. Propter misériam ínopum, et gémitum paúperum, nunc exsúrgam, dicit Dóminus.

℣. Tibi derelíctus est pauper.
℟. Orphano tu eris adjútor.

Lectiones ut in Breviario in eodem Festo.

℟. iv. Ne sollíciti sitis ánimæ vestræ quid manducétis: * Neque córpori vestro quid induámini. ℣. Nonne ánima plus est quam esca, et corpus plus quam vestiméntum? Neque.

℟. v. Respícite volatília cœli, quóniam * Non serunt, neque metunt, neque cóngregant in hórrea. ℣. Nonne vos magis pluris estis illis? Non.

℟. vi. Consideráte lília agri quómodo crescunt: * Non labórant, neque nent. ℣. Nec Sálomon in omni glória sua coopértus est sicut unum ex istis. Non. Glória Patri. Non.

In III. Nocturno.

Ant. Mirífica misericórdias tuas, qui salvos facis sperántes in te.

Ant. In Deo salutáre meum, et glória mea. Deus auxílii mei, et spes mea in Deo est.

Ant. Speráte in eo omnis congregátio pópuli: effúndite coram illo corda vestra: Deus adjútor noster in ætérnum.

℣. Tu Dómine singuláriter in spe. ℟. Constituísti me.

Lectiones ut in Breviario in eodem Festo.

℟. vii. Nolíte sollíciti esse in crástinum * Súfficit diéi malítia sua.

℣. Crástinus dies sollícitus erit sibi ipsi. Súfficit.

℟. viii. Duo pásseres asse véneunt, et unus ex illis non cadit super terram sine Patre vestro. * Nolíte ergo timére, multis passéribus melióres estis vos. ℣. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt. Nolíte. Glória Patri. Nolíte.

Lectio ix. S. Donati Episc. et Mart. ut ibidem.

Ad Laudes
et per Horas.

Ant. 1. Enútriet te * Dóminus: jacta super eum curam tuam.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Volatília cœli * non serunt, neque metunt, nec cóngregant in hórrea: et Pater cœléstis pascit illa.

3. Lília agri * non labórant, neque nent, et Sálomon in omni glória sua coopértus non est sicut unum ex illis.

4. Fœnum agri, * quod hódie est, et cras in clíbanum míttitur, Deus vestit: quanto magis vos módicæ fidei?

5. Nonne ánima * plus est quam esca, et corpus plus quam vestiméntum?

Capitulum. 1. Tim. 6.

Caríssimi: Est quæstus magnus píetas cum sufficiéntia. Nihil enim intúlimus in hunc mundum: haud dúbium, quod nec auférre quid póssumus. Habéntes autem aliménta, et quibus tegámur, his conténti simus.

Hymnus.

Ætérne lucis cónditor,
Qui magna cœli sídera
Splendóre ditas aúreo,
Miróque volvis órdine.

Quæcúmque terras íncolunt,
Quæcúmque tranant æthera,
Quæcúmque pontum pérmeant,
Te sospitánte géstiunt.

Tu cuncta, largus ártifex,
Quæ procreásti sémina
Et providénter éxeris,
Et providénter élevas.

Vitæ dator, vitæ sator,
Cunctis ades, cunctos regis,
Pascens, et omne véstiens
Late genus mortálium.

Patri perénnis glória,
Natóque Patris único,
Sanctóque sit Paráclito
Per omne semper sæculum.
Amen.

℣. Jacta super Dóminum curam tuam. ℟. Et ipse te enútriet.

Ad Bened. Ant. Nolíte sollíciti esse, dicéntes: Quid manducábimus, aut quid bibémus? Scit enim Pater vester, quid vobis necésse sit.

Oratio.

Deus, qui beáto Cajetáno Confessóri tuo Apostólicam vivéndi formam imitári tribuísti: da nobis ejus intercessióne et exémplo; in te semper confídere, et sola cœléstia desideráre. Per Dóminum nostrum.

Ad Tertiam.

Ant. Volatília cœli.

Capit. Caríssimi. ut supra.

℟. br. Tu es * Spes mea, Dómine. Tu es. ℣. Pórtio mea in terra vivéntium. Spes. Glória Patri. Tu es.

℣. Tibi derelíctus est pauper. ℟. Orphano tu eris adjútor.

Ad Sextam.

Ant. Lília agri.

Capitulum. 1. Tim. 6. c.

Qui volunt dívites fieri, íncidunt in tentatiónem, et in láqueum diáboli, et desidéria multa inutília, et nocíva, quæ mergunt hómines in intéritum, et perditiónem.

℟. br. Tibi * Derelíctus est pauper. Tibi. ℣. Orphano tu eris adjútor. Derelíctus. Glória. Tibi.

℣. Tu, Dómine, singuláriter in spe. ℟. Constituísti me.

Ad Nonam.

Ant. Nonne ánima.

Capitulum. 1. Tim. 6. c.

Tu autem, o homo Dei, hæc fuge: sectáre vero justítiam, pietátem, fidem, caritátem, patiéntiam, mansuetúdinem. Certa bonum certámen fídei, apprehénde vitam ætérnam.

℟. br. Tu, Dómine, * Singuláriter in spe. Tu. ℣. Constituísti me. Singuláriter. Glória Patri. Tu.

℣. Jacta super Dóminum curam tuam. ℟. Et ipse te enútriet.

In II. Vesperis.

Ant. et Cap. ut ad Laudes, Hymnus vero ut ad Matutinum. Quem tenet.

Ad Magnif. Ant. Quǽrite primum regnum Dei et justítiam ejus, et hæc ómnia adjiciéntur vobis.

℣. Jacta super Dóminum curam tuam. ℟. Et ipse te enútriet.

Oratio ut ad Laudes. 59*

Eadem die.

S. Donati Episc. et Mart.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart., præter sequentia.

Oratio ut in Breviario.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno Lectio iv. ut in Brev., Lectio v. et vi. Triumphális. de Communi.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vii. Cap. 13.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vidéte, vigiláte, et oráte: nescítis enim quando tempus sit. Et réliqua.

Homilía sancti Petri Chrysólogi.

Ex Sermone 24.

Semper, et ad ómnia vigílias esse salutáres nullus ignórat: quia revéra plus vigiláre, plus vívere est. Nam quid tam mortis símile, quam dormiéntis aspéctus? quid tam vita plenum, quam forma vigilántis? Indulgéndum somno est, ut corpus réparet, non resólvat; et vires révocet, non enérvet. Semper ergo ad ómnia vigílias esse salutáres, nullus ignórat. Quæ ars, quod opus, quod tempus, quæ potéstas, quod offícium non vitæ lucra lucubratióne perquírit?

℟. Coróna aúrea.

Lectio viii.

Hinc est quod Rex in procínctu pérvigil cállidi hostis prǽcavet, et evítat insídias. Tunc in castris miles superveniéntes noctúrnos ímpetus cauta pernoctatióne propéllit. Sic nauta vigilándo diffúsi itíneris incértas vias intrat, et calles transit ínvios, et vestígio furtívo ad lucrósi portus votívam pérvenit mansiónem. Hinc pastor adjúngit noctes diébus, et totum sibi

tempus dénegat dormiéndi, ne qua lupis, suffragánte somno, grassándi in gregem præbeátur occásio.

℟. Hic est vere.

Lectio ix.

Sic viátor solers per auras noctis æstus solis prævenit, actúmque diem prævidéntius députat mansióni. Hoc Prophéta sciens non die solo, sed et nocte tota clamábat ad Dóminum: Dómine Deus salútis meæ, in die clamávi, et nocte coram te. Quid plura? Ipse Dóminus pernóctat in oratióne Dei; ut ante nos oratióne líberet, quam rédimat passióne. Et si pro servis Dóminus vigilat, mérito pro seípsis servos vigiláre sic jubet.

Te Deum laudámus.

Eadem die.

B. Mariæ Virg. de Gratia.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis die 9. Junii, omissa commemor. Ss. Primi et Feliciani Mart.

Die 9. Augusti.

S. Emygdii Episc. et Mart.

Duplex.

Omnia de Comuni unius Martyris, præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Emýgdium Mártyrem tuum atque Pontíficem, idolórum victória et miraculórum glória decorásti: concéde propítius; ut eo interveniénte malórum spiríttuum fraudes víncere, et coruscáre virtútibus mereámur. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Emýgdius e nóbili Francórum prosápia Tréviris natus, año ætátis vigésimo tértio, paréntibus idolólatris frustra obstántibus, fidem Christi suscépit, et constantíssime proféssus est. Cum tribus discípulis Euplo, Germáno et Valentíno vitam duxit: humánis spretis oblectaméntis, rebus divínis plénius incumbébat: erga próximum caritátis ardóre æstuábat; idcírco ad procurándam multórum salútem Romam se cóntulit. Hospítio excéptus in ínsula Tíberis, hóspitis fíliam per quinquénnium immedicábili morbo languéntem baptísmo sanávit.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Mox óculis cæci coram pópulo signo crucis apértis, a multitúdine eum fílium Apóllinis credénte, in templum Æsculápii rápitur. Ibi Christi servum se proféssus, ejus invocatióne magnum númerum ægrórum, nequídquam idóli opem implorántium, valetúdini restítuit, aras díruit, Æsculápii signum confráctum in Tíberim projécit. Quibus rebus, et mille trecentórum gentílium, præter Æsculápii sacerdótes, conversióne inde secúta, irritáti Posthúmii Titiáni præfécti urbis minas, Angeli mónitu declínans, sanctum Marcéllum Pontíficem ádiit, a quo epíscopus ordinátus, et Asculum missus est. ℟. Desidérium ánimæ.

Lectio vi.

Multis in itínere miráculis ingénti multitúdine Christo adjúncta, simul ac Asculum Emýg-

dius pervénit, dæmones e simulácris idolórum per cuncta fana ejulátibus éditis, peregrínum dolóris sui causam indicárunt: quem cum concitáta plebs ad cædem quæreret, éxcitus tumúltu Polýmius civitátis præses eum ad se vocátum multis, sed írritis verbis, ad Jovis et Angáriæ deæ Asculi patrónæ veneratiónem hortátur, promíssis étiam in præmium núptiis própriæ fíliæ Polýsiæ, quam Emýgdius ad Christum convérsam baptizávit, et post eam mille et sexagínta hómines, edúcta e saxo per ingens miráculum aquárum cópia. His in rábiem actus Polýmius sancto epíscopo caput abscídit; quo facto, truncus ejus mirabíliter eréctus abjéctum humo próprium caput attóllens mánibus per spátium tercentórum pássuum ad oratórium portávit; inde ad templum máximum translátum est, ubi magna religióne Asculáni pópuli, et concúrsu externórum hanc usque in diem cólitur. Incidit ejus beáta mors persecutióne Diocletiáni duránte.

℟. Stola jucunditátis.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Si quis venit ad me.** de Communi 1. loco.

Eadem die.

Sexta die infra Octavam

S. Dominici.

Semiduplex.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno Lectiones **Deridétur justi.** ut in Communi Conf. non Pont. 2. loco.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Et réliqua.

Homilía sancti Petri Chrysólogi.

Ex Sermone 24. post init.

Novus ordo vigiliárum, novus hábitus imperátur: Sint lumbi vestri præcíncti. Nil de vestítu, nil de calceaméntis, nil de ipsíus occúrsus apparátu servi vígiles admonéntur, sed tota in præcingéndis lumbis mandátur cura, tota in constringéndis lumbis statúitur vis præcépti, áddito lucernárum solátio tantum, sine quo nec noctis aperítur obscúritas, nec veniéntis diéi claréscit aspéctus.

℟. Iste est qui.

Lectio viii.

Cíngulum quidem est próprie indícium servitútis: quod et discúrsus expedítos reddat, et fáciat obsequéntes: sed dixísse suffécerat: Estóte præcíncti. Cur lumbos potíssimum nóminat? Cur tanta jubéntis reveréntia lumbórum facit magnópere mentiónem? Quæris, quare? Quia in lumbis est tota córporis causa: ex lumbis tota carnis negótia suscitántur: in lumbis tota est humáni lapsus, humánæ fragilitátis occásio. Inde venit, quod virtútis ignáros reddit, éfficit segnióres. ℟. Sint lumbi.

Lect. ix. de Vigil. S. Laurentii Mart., cum com̃. ejusdem et S. Romani Mart.

Vesperæ de sequ. sine ulla com̃em.

Die 11. Augusti.
Octava
S. Dominici Confessoris.
Duplex.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. et III. Nocturno Lectiones ut supra in die Oct. S. Antonii de Padua, die 20. Junii.

Die 13. Augusti.
S. Philumenæ Virg. et Mart.
Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis die 11. Augusti.

Die 14. Augusti.
Bb. Antonii Primaldi et **Socior.**
Martyrum Hydruntinorum.
Duplex.

Omnia de Communi plurim. Mart., præter sequentia.

Oratio.

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut qui gloriósos Mártyres Antónium et Sócios, fortes in sua confessióne cognóvimus, pios apud te in nostra intercessióne sentiámus. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Antónius Primáldus, et octingénti círciter sócii Mártyres Hydruntíni, Christi fidem postrémis hisce sǽculis suo sánguine illustrárunt, et insígni fortitúdinis exémplo primǽvam Ecclésiæ glóriam revocárunt. Anno síquidem reparátæ salútis millésimo quadringentésimo octogésimo, quum Achómates classis Mahuméti secúndi præféctus in perníciem ténderet Itáliæ, Hydrúntum devéctus, urbem pénitus imparátam fácili negótio subígere ratus est. Tanta vero fuit Hydruntinórum virtus, ut cum hóstibus sanctæ fídei pacísci, ne feréndis quidem conditiónibus, passi sint. Per quíndecim ígitur dies ácriter utrínque pugnátum est: sed jam disjéctis mœ́nibus, tandem barbarórum númerus præváluit; qui vi urbe potíti, cuncta cǽdibus complevérunt: sic per diutúrnos labóres, multásque tribulatiónes servos suos Dóminus ad corónam disponébat.

℟. Sancti tui.

Lectio v.

Hydruntinórum constántia, suorúmque ingénti clade non léviter commótus Achómates, crudélis homo, et christiáno nómini infensíssimus, inter eos, quos servitúti addíxerat, viros omnes secérni jubet décimo quinto anno majóres, qui octingénti círciter invénti sunt. Nudi, manibúsque post terga colligátis, ex urbe ad clivum Minérvæ (póstea Mártyrum dictum) coram bárbaro duce deducúntur; elécto huic pópulo fides Christi ejuránda propónitur; libértas, et pátriæ salus, dum páreant, promíttitur; mors vero, si rénuant, indícitur. At exémplo vere singulári, nemo unus in tanto número repértus est, qui vel spe libertátis alléctus, vel mortis timóre percúlsus, a fide Christi descíverit. Omnes enim ab António viro religióne spectábili confirmáti, invocántes dúlcia Jesu, et Maríæ nómina, seque ínvicem cohortántes, datis fórtiter pro Christo cervícibus, martýrii palmam assecúti sunt.

℟. Vérbera carníficum.

Lectio vi.

Martýrium hoc plúrimis prodígiis Deus quoque confirmávit. Ferunt enim, Antónii corpus abscísso cápite constitísse, nec nisi finíta sociórum cæde potuísse déjici; atque ínsuper ómnia beatórum córpora per trédecim menses diu expósita pénitus íntegra et incorrúpta permansísse. Quare ab Alphónso Calábriæ duce Ferdinándi regis fílio, urbe recuperáta, summa religióne ac pompa, ipsóque comitánte ad reconciliátam metropolitánam ecclésiam importántur; et in egrégio sacéllo quod regáli munificéntia rex dotáverat, collocántur. Quadriénnio fere post bis centum círciter quadragínta ex iísdem Mártyrum corpóribus idem Alphónsus dux Neápolim asportávit, atque in ecclésia beátæ Maríæ Magdalénæ prope castrum Capuánum collocávit: unde póstea ad ecclésiam sanctæ Catharínæ, ad Formélium nuncupátam, transláta sunt; ubi nunc étiam pie sanctéque recolúntur. Réliqua vero sacra pígnora illórum pátria Hydrúntum venerátur; beatórum Mártyrum præséntem opem sæpíssime expérta cultum ab imemorábili témpore iísdem præstitum Cleméntis décimi quarti Pontíficis máximi, apostólica auctoritáte comprobándum curávit.

℟. Tamquam aurum.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Cum audiéritis.** de eodem Communi 1. loco. Lectio ix. Homilia Vigiliæ Assumpt. B. M. V. cujus commemor. in Laudibus.

Die 16. Augusti.

S. Rochi Conf. et Patr. Neap.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis, præter Lect. I. Noct. quæ sunt **Beátus vir.** de Communi 2. loco et III. Noct. quæ sunt Homil. in Evang. **Homo quidam nóbilis.** ut in festo S. Ludovici in Brev., die 25. Aug.

Die 19. Augusti.

S. Ludovici Ep. Tolosani et Conf.

Duplex 2. class.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die, præter sequ.

Oratio.

Deus, qui beátum Ludovícum, Confessórem tuum atque Pontíficem, cœléste regnum terréno præpónere docuísti, ac puritáte illibáta, et exímia in paúperes caritáte mirabíliter decorásti: concéde; ut ejúsdem virtútes æmulántes in terris, coronári cum ipso mereámur in cœlis. Per Dóminum.

In II. Vesp. fit commem. sequ. festi S. Bernardi Doct. tantum, ut in Brev.

Dominica post Oct. Assumptionis.

Puriss. Cordis B. Mariæ Virg.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem Dominica.

Aliud Officium in eodem Festo.

In I. Vesperis.

Ant. cum reliqu. et Cap. de Laudib. Psalmi ut in festis B. M. V. per añum.

Hymnus.

Ad cor tam ténerum cúrrite Vírginis
Almæ vos míseri: fídite, síquidem
Nulli se rénuit; sed pótius pium
Factum est ómnibus ómnia.

Ad Matris cor adi, fide levåberis,
Infélix homo, nunc curre, quid ámbigis?
Tu cor compéries dulce, tenérrimum,
Cunctos quod levat, éxcipit.

Ipsum cor tímidos róborat, ínstruit:
Peccáti ténebras lúmine díssipans;
Accúrrit malis, et nóxia críminum
Delet sánguine Fílii.

Accédant ígitur quique labóribus
Pressi ad cor ténerum; namque misérrimos
Hos Virgo réficit, súblevat, ádjuvat,
Tollens póndera críminum.

Si cor sit gélidum, Vírginis en amor
Almæ: dum réfovet, péctora frígida
Ignéscunt ádeo, quo magis éxpetant
Incéndi simul, et mori.

Sit laus Patri, sit glória Fílio;
Æquális sit honor Spirítui quoque;
Almæ sit páriter glória Vírgini,
Quæ nos úndique prótegit.
Amen.

℣. **Cum jucunditáte laudes cordis Maríæ Vírginis celebrémus.** ℟. **Ut ipsa pro nobis intercédat apud Dóminum Jesum Christum.**

Ad Magnif. Ant. **O Mater amábilis, beátam te dicent omnes generatiónes, quia respéxit Deus humilitátem cordis tui; ídeo fecit tibi magna, qui potens est.**

Oratio ut ad Laudes. 69*

Ad Completorium, et per Horas in fine Hymnorum dicitur:

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine.

Ad Matutinum.

Invit. **Deum in sanctíssimo corde beátæ Maríæ Vírginis regnántem, * Veníte, adorémus.**

Ps. **Veníte, exsultémus.**

Hymnus.

Hoc corde quid sublímius?
Abýssus alta grátiæ,
Quid corde tali dígnius?
Est thronus Regis glóriæ.

Thesaúrus est fidélium,
Spes certa, turris válida:
Vires tu frange dæmonum,
Nostrum tu sis sollícita.

Nos ergo tantæ Vírginis
Hoc cor colámus ígneum:
In quo beatitúdinis
Summæ manet compéndium.

O cor revéra flámmeum,
Flammis ure præcórdia,
Ex quibus tu ardes, ómnium
Accénsa fac et péctora.

O Virgo, magnes fórtior,
Quæ cuncta tibi cólligis,
Ambra revéra dúlcior,
Ad te cor nostrum súbtrahe.

Laus sit Maríæ, fíliæ
Patris, ac Matri Géniti:
Sponsǽque sancti Spíritus
Per sæculórum sǽcula.
Amen.

In I. Nocturno.

Ant. **Quam admirábile est cor tuum, o Virgo María, in univérsa terra! magnificéntia tua exaltáta est super omnes cœlos.**

Psalmi ut in Festis B. M. V.

Ant. **Oculi ejus semper ad Dóminum, et meditátio cordis Maríæ in conspéctu Dei semper.**

Ant. **Iñocens mánibus, et mundo corde custodívit María ánimam suam, ídeo accépit benedictiónem a Dómino, et misericórdiam a Deo salutári suo.**

℣. **Corde magno, et ánimo voléntí canámus Dómino glóriam.** ℟. **In hac solemnitáte cordis beátæ Maríæ Vírginis.**

De **Cánticis Canticórum.**

Lectio i. Cap. 4.

Quam pulchra es, amíca mea, quam pulchra es! Oculi tui columbárum, absque eo quod intrínsecus latet. Tota pulchra es, amíca mea, et mácula non est in te. Veni de Líbano, sponsa mea, veni de Líbano, veni: coronáberis de cápite Amana, de vértice Sanir, et Hermon, de cubílibus leónum, de móntibus pardórum. Vulnerásti cor meum, soror mea sponsa, vulnerásti cor meum in uno oculórum tuórum, et in uno crine colli tui.

℟. **Beatíssimum cor tuum, o** Virgo **María, benedíctum sit semper: Thronus ómnium virtútum, templum sanctíssimæ Trinitátis, * Sola placuísti præ céteris Deo, et toto corde vere Deum dilexísti.** ℣. **Ideo elégit te Deus sibi, et dignum in te præparávit habitáculum. Sola.**

Lectio ii. Cap. 5.

Véniat diléctus meus in hortum suum, et cómedat fructum pomórum suórum. Veni in hortum meum, soror mea sponsa, méssui myrrham meam cum aromátibus meis: comédi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo. Comédite amíci, et bíbite, et inebriámini caríssimi. Ego dórmio, et cor meum vígilat: vox diléctí mei pulsántis: áperi mihi soror mea, amíca mea: colúmba mea, immaculáta mea: quia caput meum plenum est rore, et cincínni mei pleni guttis nóctium.

℟. **Felix es, Virgo María, et omni laude digníssima, quia cor tuum humilitáte plácuit, et caritáte concépit. * Benedícta tu in muliéribus et benedíctus fructus ventris tui.** ℣. **Benedíctus Deus cordis tui, et pars tua in ætérnum. Benedícta.**

Lectio iii. Cap. 8.

Quæ est ista, quæ ascéndit de desérto, delíciis áffluens, iníxa super diléctum suum? Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum: quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio: lámpades ejus lámpades ignis, atque flammárum. Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátem, nec flúmina óbruent illam: si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam.

℟. **Fulcíte me flóribus, stipáte me malis, * Quia amóre lángueo.** ℣. **Flores tui fructus honóris, et honestátis. Quia. Glória. Quia.**

In **II.** Nocturno.

Ant. **Omnis glória Fíliæ Regis ab intus, de bono cordis sui thesaúro ómnia procédunt bona.**

Ant. **Véniat diléctus meus in cor meum, et ponat in eo regnum dilectiónis suæ.**

Ant. Glorióśa dicta sunt de te, admirábile cor Maríæ Vírginis, concupívit ídeo Rex decórem tuum.

℣. Desidérium cordis Maríæ audívit Dóminus. ℟. Præparatiónem cordis ipsíus audívit auris ejus.

Sermo sancti Bernardíni Senénsis.

Serm. 9. de Visitatione.

Lectio iv.

Quis mortálium, nisi divíno fretus oráculo, quid módicum, vel grande de vera Dei Genitríce dícere præsúmat? Illa est, quam Deus Pater in únicam suam, et Vírginem digníssimam in perpétuum prædestinávit. Fílius in Matrem sibi elégit. Spíritus sanctus omnis grátiæ domicílium præparávit. Quibus ego homúnculus sensus altíssimos virgínei cordis sanctíssimo ore prolátos éfferam verbis? Non súfficit quidem lingua ómnium hóminum, et étiam Angelórum. Dóminus enim ait: Bonus homo de bono thesaúro cordis sui profert bona. Quis autem inter puros hómines mélior potest excogitári, quam illa, quæ méruit éffici Mater Dei; quæ in corde, et in útero suo ipsum Deum hospitáta est? Quis thesaúrus mélior, quam ipse divínus amor, quo velut in fornáce cor vírginis ardens erat?

℟. Parátum cor meum Deus, Deus cordis mei: * Deus meus vólui: et legem tuam in médio cordis mei. ℣. Volúntas tua, Deus, in médio cordis mei semper. Deus.

Lectio v.

De hoc ígitur puríssimo Vírginis corde, quasi de fornáce divíni ardóris, quid nisi bona exiérunt verba; verba scílicet summæ caritátis? De corde Matris Christi quid nisi pauca exiérunt verba? Sépties de ea légitur fuísse palam locúta, ut mýstice ostendátur ipsam fuísse septifórmis grátiæ plenam. Cum Angelo bis tantúmmodo locúta est: Quómodo fiet istud? Et, Ecce ancílla Dómini. Cum Elísabeth bis étiam, scílicet illam salutándo, et Deum simul laudándo: Magníficat ánima mea Dóminum. Cum Fílio item bis, in templo semel: Fili, quid fecísti nobis sic? et in núptiis: Vinum non habent: cum minístris semel, dum dixit: Quodcúmque díxerit vobis, fácite. Et in his ómnibus semper valde parum locúta est, excépto quod in laude, ex gratiárum actióne, se ámplius dilatávit, scílicet cum ait: Magníficat ánima mea Dóminum: quia non cum hómine, sed cum Deo loquebátur.

℟. Magnificáte Deum Patrem mecum, et exaltétur nomen ejus in idípsum: * Quia dedit in corde meo únicum Fílium suum. ℣. Magníficat ánima mea Dóminum. Quia.

Lectio vi.

Hæc verba septem sunt secúndum septem amóris procéssus, et actus, sub miro gradu, et órdine proláta, sicque sunt septem flammæ ardentíssimi sui cordis. Quæ consíderans atque rúminans devóta mens cum Prophéta ait: Quam dúlcia faúcibus meis, id est, ómnibus affectiónibus, elóquia tua! Porro dulcédo hæc, quam in verbis beátæ Vírginis devóta mens sentit, est ardor piæ devotiónis, quam in eis ánima experimentáliter probat. Dicat ígitur mens de-

vóta: Quam dúlcia faúcibus meis elóquia tua! Distinguámus vero per órdinem has septem flammas amóris per verba sanctíssimæ Vírginis hujus. Prima est flamma amóris separántis: Secúnda amóris transformántis: Tértia amóris communicántis: Quarta amóris jubilántis: Quinta amóris saporántis: Sexta amóris compatiéntis: Séptima amóris consummántis.

℟. Corde, et ánimo Christo canámus glóriam, quia cor suum suæ Matri dedit, et spíritum suum communicávit ei, ut sint * Cor unum, et ánima una. ℣. Benedíctum sit in ætérnum Christi cor sanctíssimum, et laudábile cor étiam Maríæ. Cor. Glória Patri. Cor.

In III. Nocturno.

Ant. Læténtur cœli, et exsúltet terra in solemnitáte puríssimi cordis beátæ Maríæ Vírginis.

Ant. Lux orta est justo, et rectis corde lætítia in magnificéntia cordis beátæ Maríæ Vírginis.

Ant. Cantáte Dómino cánticum novum, quia in corde puríssimo Vírginis mirabília fecit Dóminus.

℣. O admirábile cor Maríæ, vera arca sanctitátis. ℟. In quo sunt abscónditi omnes thesaúri grátiæ Dei.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 1.

In illo témpore: Ascendéntibus illis Jerúsalem secúndum consuetúdinem diéi festi, consummatísque diébus, cum redírent, remánsit puer Jesus in Jerúsalem. Et réliqua.

Homilía sancti Bonaventúræ Epíscopi.

María autem conservábat ómnia verba hæc in corde suo: mirum! cónferens in corde suo; tamquam prudens ergo, et discréta secúndum illud: Misericórdia, et véritas te non déserent: Circúmda eas gútturi tuo, et scribe in tábulis cordis tui. Quia ponit illa in suo corde, sápiens erit semper; unde dícitur de fátuo: cor fátui quasi vas confráctum, et sapiéntiam non tenébit.

℟. Ego Mater pulchræ dilectiónis, agnitiónis, et sanctæ spei: * Ego diligéntes me díligo. ℣. Veníte ad me omnes, qui laborátis, et oneráti estis, et ego refíciam vos. Ego.

Lectio viii.

Cor Vírginis fuit arca sanctitátis, thronus grátiæ, et cóntinens divinórum eloquiórum arcána. Et ídeo per arcam Móysi designátur, de qua dícitur, quod continébat tábulas legis divínæ. Ideo Maríæ applicántur, quia vere diléxit, dicens: Legem tuam in médio cordis mei. Qua de re conservábat non solum Christi verba, nempe legis, sed étiam intelligébat; proínde ádditur: Cónferens in corde suo; ita ut posset dícere illud: in corde meo abscóndi elóquia tua, et in lege tua exquisívi te, cum dilatásti cor meum.

℟. Omnis spíritus laudet Dóminum: * Quia regnum pulchræ dilectiónis, et thronum glóriæ in corde Vírginis Maríæ pósuit. ℣. Tibi laus, tibi honor, tibi glória, o beáta Trínitas. Quia. Glória Patri. Quia.

Lectio ix. de Homilia Domin., cum ejus commem. in Laudib. Alias

Lectio ix.

Et descéndit cum eis, et venit Názareth, et erat súbditus illis. Et Mater ejus conservábat ómnia verba hæc in corde suo. Hic descríbitur ejus clarificátio, et hoc per duo, scílicet, per Matris testimónium, et per própriæ virtútis indícium. Quantum ad Matris testimónium, dícitur: Et Mater ejus conservábat ómnia verba hæc in corde suo, ut pro loco et témpore testimónium perhibéret, sic dictum est: Tu autem Dániel claude sermónes, et signa librum usque ad tempus statútum. Et quia hoc intelligébat, ídeo dícitur: in corde suo, secúndum illud: Tempus et responsiónem cor sapiéntis intélligit. Et dícitur de Transfiguratióne Dómini, quod discípuli verbum continuérunt apud se.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

et per Horas.

Ant. 1. **O admirábile, * et venerándum cor beátæ Maríæ Vírginis, in quo omnis fons, et plenitúdo caritátis Christi Jesu inhábitat et regnat!**

Ps. **Dóminus regnávit.**

2. **Invénit Dóminus * Maríam secúndum cor suum: et quæ plácita sunt ei, fecit semper.**

3. **Ego dórmio, * et cor meum vígilat, et meditátio cordis mei in conspéctu Dei semper.**

4. **Benedíctum sit * semper cor Maríæ Vírginis, quia fons vivus est benedictiónis, abýssus grátiæ, et thronus sanctíssimæ Trinitátis.**

5. **Omnis spíritus * laudet Dóminum, quia in corde dilectíssimæ Matris suæ facit magnália.**

Capitulum. Cant. 8.

Pone me ut signáculum super cor tuum; ut signáculum super bráchium tuum: quia fortis est, ut mors, diléctio.

Hymnus.

Quid corde Matris Vírginis
Coli potest sacrátius?
Cordi suprémi Núminis
Quid corde tanto grátius?

Amóris est miráculum;
Triúmphus almi Spíritus;
Dignum Deo spectáculum;
Fœcúnda spes mortálibus.

Levâmen est lugéntibus,
Zelátor ardens méntium:
Cunctis datum fidélibus,
Cor, vita, lux, oráculum.

O cor, Dei triclínium,
Nostri exsílii solátium,
Fac in tui vestígia
Nos simul vitam dúcere.

O sacrosáncta Trínitas,
Ætérna vita córdium!
Cordis Maríæ cáritas
In corde regnet ómnium.
Amen.

℣. **Ardens cor Maríæ lætábitur Dómino in glória.** ℟. **Et amábit Deum suum in ætérnum.**

Ad Bened. Ant. **O Mater amábilis, magníficent te omnes gentes: et benedíctum sit fidelíssimum cor tuum in ætérnum.**

Oratio.

Clementíssime Deus, qui ad peccatórum salútem, et miserórum perfúgium cor immaculátum Maríæ divíno cordi Fílii sui Jesu

Christi caritáte, ac misericórdia simíllimum esse voluísti: concéde; ut qui hujus dulcíssimi et amantíssimi cordis memóriam ágimus, ejúsdem méritis secúndum cor Jesu inveníri mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Ad Tertiam.

Ant. Invénit Dóminus.

Capit. Pone me. 69*

℟. br. Parátum cor meum Deus, * Parátum. Parátum. ℣. Ut fáciam voluntátem tuam. Parátum. Glória Patri. Parátum.

℣. Desidérium cordis Maríæ audívit Dóminus. ℟. Præparatiónem cordis ipsíus audívit auris ejus.

Ad Sextam.

Ant. Ego dórmio.

Capitulum. Lucæ 2.

Omnes qui audíerant, miráti sunt de his, quæ dicta erant de Jesu a pastóribus. María autem conservábat ómnia verba hæc, cónferens in corde suo.

℟. br. Desidérium cordis Maríæ * Audívit Dóminus. Desidérium. ℣. Præparatiónem cordis ipsíus audívit auris ejus. Audívit. Glória Patri. Desidérium.

℣. Omnis spíritus laudet Dñm. ℟. In corde Maríæ regnántem.

Ad Nonam.

Ant. Omnis spíritus.

Capitulum. Lucæ 2.

Et descéndit cum eis, et venit Názareth, et erat súbditus illis, et Mater ejus conservábat ómnia verba hæc in corde suo.

℟. br. Omnis spíritus * Laudet Dóminum. Omnis. ℣. In corde Maríæ regnántem. Laudet. Glória Patri. Omnis.

℣. Vivet cor Maríæ, et lætábitur in Dómino. ℟. Et amábit eum in sǽculum sǽculi.

In II. Vesperis.

Omnia dicuntur ut in I.

Ad Magnif. Ant. Exsúltet cor Maríæ in Deo salutári suo, quia fecit sibi magna qui potens est.

Die 26. Augusti.

S. Patriciæ Virginis et Patronæ Neapolit.

Duplex majus.

Omnia de Comm. Virg., præter sequ.

Oratio.

Deus, qui beátam Patríciam Vírginem, terréna ómnia contemnéntem, cœléstis glóriæ coróna decorásti: concéde; ut ejus exémplo, temporália cuncta despiciéntes, sempitérnis gaúdiis perfruámur. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lect. De virgínibus. de Communi Virg.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Patrícia virgo Constantinopolitána, imperatórum orta ex génere, a téneris annis Jesu Christi amóre succénsa, totam se Deo dédere, illíque perpétuam devovére virginitátem státuit. Invíta a Constantíno imperatóre, viro ápprime nóbili desponsáta, ínito cum Aglája nutríce sua consílio, profusísque ad Deum précibus, clam ex urbe nuptiárum celebritátem fúgiens, secéssit; et cum ancíllis, et eunúchis navim conscéndit, sanctórum Apostolórum límina, castimóniæ suæ perfúgium, aditúra.

Cógnita fuga, válidæ trirémes ab imperatóre, sed frustra expediúntur: navígium namque in quo Patrícia vehebátur non longe remótum, óculos insequéntium fugit, quos tempéstas subórta Byzántium redíre coégit.

℞. **Propter veritátem.**

Lectio v.

Ab hoc discrímine divínitus erépta, Neápolim prius áppulit: templa ómnia religiosíssime invísit: Basiliánum vero cœnóbium, sanctis Nicándro et Marciáno sacrum, singulári pietáte cóluit: impressóque in paríete crucis signo ibídem se fore tumulándam, mónachis álio commigratúris, prænuntiávit. Romam póstea profécta, a Libério Sumo Pontífice virginitátis velo insigníta, cœléstem vitam cum áliis virgínibus duxit. Admónita de Constántii óbitu, non sine suórum cívium admiratióne, ac veneratióne Constantinópolim revécta, fortúnis ómnibus, pompísque pro Christo a se abdicátis, doméstícum patrimónium pios erogávit in usus: illáque tantum reserváta pecúnia, qua vírginum cœnóbium conderétur.

℞. **Dilexísti justítiam.**

Lectio vi.

Tum sacra Palestínæ loca miro peragrándi desidério flagrans, maritimórum aggréssa iter, ventorúmque vi Neápolim appúlsa, in castrum Lucullánum e navi descéndit, ubi suprémo corrépta morbo, anteáctam sanctíssime vitam felicíssimo coronávit éxitu octávo Kaléndas Septémbris, circa annum trecentésimum sexagésimum quintum. Aglája nutrix in somnis ab Angelo admónita, sacrum vírginis corpus cúrrui, a tauris indómitis tracto, impósuit, qui, duce nullo, ad sanctórum Nicándri et Marciáni ædem stetérunt, ibíque fuit honorífice cónditum, ubi constrúctum deínde augústum templum, sacrarúmque vírginum domicílium, sanctæ Patríciæ nómine nuncupátum. Sanguis ejúsdem vítreo in vase concrétus, e regióne virgínei dentis expósitus, ebullíre ad hoc usque tempus cérnitur. Neapolitána cívitas tanto ditáta thesaúro, et muníta patrocínio, sacram vírginem réliquis suis tuteláribus numerávit.

℞. **Afferéntur Regi.**

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Símile erit regnum cœlórum.** de eod. Communi 1. loco.

Die 28. Augusti.

S. Augustini Episcopi Conf. et Patroni Neapolitani.

Duplex majus.

Omnia ut in Breviario Roman. sub hac die.

Die 30. Augusti.

S. Helenæ Imperatricis Viduæ.

Duplex.

Omnia ut inter Officia pro aliqu. locis die 18. Augusti.

Die 1. Septembris.

Ss. Prisci, Castrensis, Canionis et **Socior.** Episc. et Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont. 2. loco, præter sequentia.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui gregi tuo beátos Priscum, Castrénsem, Caniónem et eórum Sócios

bonos dedísti Pastóres; te súpplices exorámus; ut, illórum intercessióne, omnes oves errántes nunc ad te Pastórem et Epíscopum animárum suárum convertántur: Qui vivis et regnas.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Priscus epíscopus unus fuit ex illis sacerdótibus, qui in persecutióne Wandalórum ob fidem cathólicam várie afflícti, et vetústæ navi impósiti ex Africa ad Campániæ líttora pervenérunt, et christiánam religiónem, in iis locis dispérsi, diversísque ecclésiis præfécti, mirífice propagárunt. Hic sanctus epíscopus Cápuæ cólitur. Fuérunt autem ejus sócii Castrénsis, qui in suburbáno cujúsdam Campániæ urbis húmilem céllulam incóluit, quem Capuáni páriter honórant, cujus sacrum corpus Montem Regálem in Sicília translátum in Metropolitána Ecclésia sub altáre Capéllæ magnífici óperis ad illíus memóriam constrúctæ honorífice cónditum sum̃a veneratióne cólitur: Cánion, qui postquam omnes óptimi pastóris partes implevísset apud Acheróntiam, in sua sede pacífice obdormívit in Dómino, sepultúsque est in ecclésia majóri, ubi sacrum ejus corpus ad hæc usque témpora máximo pópuli concúrsu honorátur: Támmarus, qui Beneventanórum epíscopis adnumerátur et Cápuæ item quotánnis recólitur: Róscius, cujus corpus iídem Beneventáni apud se esse gloriántur: Heráclius, cui ædes prope Cápuam olim dicáta tráditur: Secundínus, qui Trojæ in Apúlia cónditus perhibétur: Adjútor, qui et Benígnus a Beneventánis aliísque finítimis cultus: Marcus, quem Bibántes in Apúlia patrónum cœléstem sortíti putántur: Augústus, qui et Augustínus, Cápuæ ædis sacræ honóre auctus: Elpídius, quem quidam Atellárum Epíscopum fáciunt, et Vindónius, cui ædes sacra prope Cápuam dicáta fertur. Hi omnes Itáliæ divínitus dati sunt, ut quos Wandálicus furor abjécerat, ibi ob exémpla eórum et mérita perpétuo in honóre essent. ℟. Invéni David.

Sermo S. Joáñis Chrysóstomi.

In capit. 15. Epistol. ad Rom. serm. 23. circa finem.

Lectio v.

Christum díligens et gregem illíus útique díligit. Et Móysen tunc primum super pópulum Judæórum pósuit, quando, qua esset in illum benevoléntia, reípsa jam declaráverat. David quoque símili modo regno inaugurátus est, posteáquam apparúerat, quam amíco esset in pópulum afféctu. Ita quippe júvenis adhuc pópuli causa dóluit ac zelávit, ut et ánimam suam expóneret, cum vidélicet bárbarum illum e médio tollébat. Quod vero dicébat, quid dábitur ei, qui alienígenam hunc interfécerit? non ídeo dicébat, quod mercédem exígeret, sed quo sibi crederétur, et in pugnam cum illo committerétur, nam cum adépta jam victória ad regem esset ingréssus, nihil de mercéde méminit.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Et Sámuel quoque benígnus erat, et amátor pópuli: unde et dicébat: absit autem hoc a me peccátum, ut cessem pro vobis oráre Dóminum. Ita et Paulus, imo non ita, sed multo plus ómnibus ardébat erga súbditos. Unde et discípulos ita erga se animávit, ut díceret: Si possíbile fuísset, óculos vestros eruissétis, mihíque dedissétis. Et Christus óptimi Pastóris régulam próferens dixit: Bonus pastor ánimam suam ponit pro óvibus. Sunt enim sanctórum ánimæ veheménter mites, et hóminum amántes, non solum erga domésticos sed aliénos, ita ut hanc suam mansuetúdinem étiam ad animántia bruta exténdant. Proptérea et sápiens quíspiam dixit: Justus miserétur animárum jumentórum suórum. Si jumentórum, multo magis hóminum.

℟. **Iste est qui.**

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Vigiláte.** de Communi 2. loco.

Die 3. Septembris.

S. Ludovici Regis Conf.

Semiduplex. **(m. t. v.)**

Omnia ut in Breviario die 25. Aug.

Officia votiva de præcepto.

Feria V.

De Ss. Sacramento.

Semiduplex.

Omnia ut in Officio votivo.

Sabbato.

De Immaculata Conceptione B. M. V.

Semiduplex.

Omnia ut in Officio votivo.

De S. Januario Episc. et Mart.

Semel in mense semid.

In I. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud. **77*** Ps. ut in I. Vesp. de Comm. Apost.

Hymnus. **Deus tuórum.** de Comuni unius Martyris.*

℣. **Ne cesses pro nobis clamáre ad Dóminum.** ℟. **Ut salvet nos de manu inimicórum.**

Ad Magnif. Ant. **Beátus Januárius, Præsul et Martyr ínclytus, exstínxit ímpetum ignis, obturávit ora ferárum, et in occisióne gládii pro Christo mórtuus, legítimi certáminis corónam accépit.**

Oratio ut ad Laudes. **77***

Ad Matutinum.

Invit. **Regem Mártyrum Dóminum, * Veníte, adorémus.**

Ps. **Veníte, exsultémus.**

Hymnus.

Præsulis clerus populúsque nomen
Mártyris laudet, celebrésque palmas;
Et suo lætis módulis Patróno
Cóncinat hymnos.

Béstias, ignes, gládios minátur,
Ac necem judex furibúndus ira:
Addit athlétæ válidas supérna
Grátia vires.

Horret idólis adolére thura:
Déntibus, clamat, mínuar ferárum,
Igne consúmar, fériar secúri
Víctima Christi.

Hinc vomit flammas metuénda fornax;
Rúgiunt illinc truculénta bruta;
Jussa lictóres fáciunt, eúmque
Pérdere certant.

Angelus cœlo vólitans ab alto
Imperat flammis crepitánte in æstu;
Quæ recedéntes venerántur almi
Præsulis artus.

Inde procúmbunt, feritáte missa,
Ad pedes ejus plácidi leónes:
Strénuo optátam púgili corónam
Détulit ensis.

Sint tibi plausus, decus atque virtus,
Cuncta qui nutu regis, et beátum
Mártyrem claro décoras triúmpho
Omne per ævum. Amen.

In I. Nocturno.

Ant. Sacérdos magnus, qui in ascénsu altáris sancti glóriam dedit sanctitátis amíctum.

Psalmi trium Nocturnorum de Communi unius Mart.

Ant. Curávit gentem suam, et adéptus est glóriam in conversatióne gentis.

Ant. Beáti qui te vidérunt, et in amicítia tua decoráti sunt.

℣. Ne cesses pro nobis clamáre ad Dóminum. ℟. Ut salvet nos de manu inimicórum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. i. Beátus Januárius in conspéctu præsidis bonum certámen fídei certans, * Conféssus est bonam confessiónem coram multis téstibus. ℣. Nolíte præcogitáre quid loquámini; sed quod datum fúerit vobis in illa hora, id loquímini: non enim vos estis loquéntes, sed Spíritus sanctus. Conféssus.

℟. ii. Hæc dicit Dóminus: * Quum ambuláveris in igne, non comburéris, et flamma non ardébit in te. ℣. Magistrátus et júdices, et poténtes regis contemplabántur virum illum, quóniam nihil potestátis habuísset ignis in córpore ejus, et capíllus cápitis ejus non esset adústus. Quum ambuláveris.

℟. iii. Mártyrem tuum, Dómine, suspendérunt in equúleo: * Et fecérunt in eo quæcúmque voluérunt. ℣. Tyránnus, et qui cum ipso erant mirabántur Mártyris ánimum, quod tamquam níhilum dúceret cruciátus. Et. Glória Patri. Et.

In II. Nocturno.

Ant. Fortitúdo mea, et laus mea Dóminus, et factus est mihi in salútem.

Ant. Persecutiónem pátimur, sed non derelínquimur: dejícimur, sed non perímus.

Ant. Zelo zelátus sum pro Dómino Deo exercítuum, et quærunt ánimam meam, ut aúferant eam.

℣. Hic est qui multum orat pro pópulo. ℟. Et univérsa sancta civitáte.

Lectio iv.

Januárius Benevénti epíscopus, Diocletiáno et Maximiáno in christiános sæviéntibus, ad Timótheum Campániæ præsidem ob christiánæ fídei professiónem Nolam perdúcitur. Ibi ejus constántia várie tentáta, in ardéntem fornácem conjéctus, ita illǽsus evásit, ut ne vestiméntum aut capíllum quidem flamma violáverit. Hinc præses accénsus iracúndia, Mártyris corpus ímperat usque eo dístrahi quoad nervórum compáges artuúmque solvántur. Festus

intérea ejus diáconus, et Desidérius lector comprehénsi vinctíque, una cum epíscopo ante rhedam prǽsidis Putéolos pertrahúntur; et in eúmdem cárcerem, in quo Sósius, Misénas, et Próculus Puteolánus diáconus, Eutýches, et Acútius láici ad béstias damnáti detinebántur, simul conjiciúntur.

℟. Manus Dómini facta est super servum suum; accinctísque lumbis currébat ante rhedam prǽsidis: * Donec veníret ad locum martýrii. ℣. Neque iníquitas mea, neque peccátum meum, Dñe: sine iniquitáte cucúrri, et diréxi. Donec.

Lectio v.

Póstero die omnes in amphitheátro feris objécti sunt, quæ naturális oblítæ feritátis, ad Januárii pedes se prostravére. Id Timótheus mágicis cantiónibus tríbuens, cum senténtiam cápitis in Christi Mártyres pronuntiásset, óculis repénte captus oránte mox beáto Januário, lumen recépit: quo miráculo hóminum míllia fere quinque Christi fidem suscepérunt. Verum ingrátus judex níhilo placátior factus benefício, sed conversióne tantæ multitúdinis actus in rábiem, véritus máxime príncipum decréta, sanctum epíscopum cum sóciis gládio pércuti jussit.

℟. In sua simplicitáte * Liberátus est de ore leónum. ℣. Páveant omnes habitatóres in univérsa terra Deum: ipse est salvátor fáciens signa et mirabília, qui liberávit servum suum de lacu leónum. Liberátus.

Lectio vi.

Horum córpora finítimæ urbes, pro suo quæque stúdio certum sibi Patrónum ex iis apud Deum adoptándi, sepeliénda curárunt. Januárii corpus Neapolitáni divíno admónitu extulére: quod primo Benevéntum, inde ad monastérium Montis Vírginis, postrémo Neápolim translátum, et in majóri ecclésia cónditum, multis miráculis cláruit. Sed illud in primis memorándum, quod erumpéntes olim e monte Vesúvio flammárum globos, nec vicínis modo, sed longínquis étiam regiónibus vastitátis metum afferéntes, exstínxit. Præclárum illud quoque, quod ejus sanguis, qui in ampúlla vítrea concrétus asservátur, cum in conspéctu cápitis ejúsdem Mártyris pónitur, admirándum in modum colliquefíeri et ebullíre, perínde atque recens effúsus, ad hæc usque témpora cérnitur.

℟. O Timóthee, Januário grátias age: * Nam propter eum tibi Dóminus lumen donávit. ℣. Ecce manus Dómini super te, et eris cæcus, et non videns solem usque ad tempus. Nam propter. Glória Patri. Nam propter.

In III. Nocturno.

Ant. Dabo prodígia in cœlo sursum, et signa in terra deórsum, sánguinem et ignem, et vapórem fumi.

Ant. Januárius Christi martyr per fidem defúnctus, mórtuum prophetávit corpus ejus: in vita sua fecit monstra, et in morte mirabília operátus est.

Ant. Quum ignis egréssus esset, et plaga desævíret, beátus Januárius pro pópulo deprecátus est, et plaga cessávit.

℣. Speráte in eo omnis congregátio pópuli. ℟. Effúndite coram illo corda vestra.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 10. b.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homilia 34. in Matthæum, post initium.

Cum Dóminus omnem sollicitúdinem a discipulórum córdibus ejécerit, et ostensióne signórum armáverit, atque ab ómnibus negótiis sæculáribus alienátos, et ab omni temporálium rerum cura liberátos, férreos quodámmodo atque adamántinos fécerit; tum dénique eventúra illis advérsa prædícit. Multa enim ex hac prædicatióne futurárum rerum cómmoda consequebántur. Primum, ut ejus præsciéntiæ vim edíscerent. Deínde, ut nemo suspicarétur ex magístri infirmitáte tam grávia mala descéndere. Prætérea, ne, qui ea passúri erant, súbito ac inopináto rerum evéntu perturbaréntur. Dénique, ne, cum ista sub ipsum passiónis suæ tempus audírent, nímium commoveréntur.

℟. Exaúdi me, Dómine, exaúdi me, ut discat pópulus iste, quia tu es Dóminus Deus: * Et tu convertísti cor eórum. ℣. Multi autem credidérunt, et factus est númerus virórum quinque míllia. Et tu convertísti.

Lectio viii.

Jam vero, ut intélligant novum hoc esse belli genus, et insólitum præliándi morem cum illos nudos mítteret, una indútos túnica, sine cálceis, absque virga, et absque zona et pera, et ab excipiéntibus ali jubéret, non fecit hic dicéndi finem, sed inexplicábilem virtútem suam próferens: étiam sic eúntes, inquit, mansuetúdinem tamen óvium osténdite, quamvis ad lupos itúri, nec simplíciter ad lupos, sed étiam in médio lupórum (neque vero óvium tantum mansuetúdinem habére jubet, sed étiam colúmbæ simplicitátem); sic enim virtútem meam máxime osténdam, cum ab óvibus lupi superabúntur: et quamvis illæ sint in médio lupórum, et innúmeris mórsibus laceréntur, non modo non consúmptæ fúerint, verum étiam illos in sui natúram transmutáverint.

℟. Vidi ánimas decollatórum propter testimónium Jesu, et verbum Dei: * Qui non adoravérunt béstiam, neque imáginem ejus. ℣. Æstimáti sumus sicut oves occisiónis; sed in his ómnibus superámus propter eum, qui diléxit nos. Qui. Glória Patri. Qui.

Lectio ix.

Majus certe, atque admirabílius est mentem adversariórum commutáre, et ánimum in divérsum transférre, quam illos occídere: præsértim cum duódecim tantum essent et lupis plenus esset orbis univérsus. Erubescámus ígitur, qui longe divérsa faciéntes, tamquam lupi in adversários rúimus. Nam quámdiu oves fuérimus, víncimus, étiam si mille circúm-

stent lupi, superámus, et victóres sumus: quod si lupi fuérimus: víncimur. Tunc enim a nobis pastóris auxílium recédit, qui non lupos, sed oves pascit.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes
et per Horas.

Ant. 1. Suscitábo mihi * sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum, et ánimam meam fáciet, allelúja.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Esto fidélis * usque ad mortem, et dabo tibi corónam vitæ.

3. Nihil horum tímeas, * quæ passúrus es: ecce missúrus est diábolus áliquos ex vobis in cárcerem, ut tentémini.

4. Nihil horum véreor, * nec fácio ánimam meam pretiosiórem quam me; dúmmodo consúmmem cursum meum, et ministérium verbi.

5. In omni ópere * dedit confessiónem sancto et excélso in verbo glóriæ.

Capitulum. Hebr. 11.

Fratres: Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes: obturavérunt ora leónum, exstinxérunt ímpetum ignis, effugérunt áciem gládii, convaluérunt de infirmitáte, fortes facti sunt in bello, castra vertérunt exterórum.

Hymnus.

Mira, quæ patras, tua, Januári,
Cívitas gaudens récolit: stupéntes
Advenæ cernunt: resonántque totum
Nota per orbem.

Namque concrétus diutúrno ab ævo,
Sanguis ampúlla vítrea liquéscens
Bullit: ac rebus pópulo est sinístris
Dulce levámen.

Tu parens adsis; patriǽque custos
Se, fac, insígnem pietáte avíta
Præbeat semper, fideíque vera
Dógmata servet.

Tu probos mores dócili juvéntæ,
Tu senectúti plácidam quiétem,
Alma tu regno bona pacis omnes
Impetra in annos.

Pelle tu pestem, furiásque belli,
Tu famem, terræ subitósque motus,
Atque Vesévi fera damna nostris
Mœnibus arce.

Laus sit excélsæ Tríadi perénnis,
Quæ tibi sertum tríbuens corúscum,
Te viam nobis fámulis precánte
Pandat ad astra.
Amen.

℣. Prótegam civitátem istam.
℟. Ut salvem eam.

Ad Bened. Ant. Igne me, Dómine, * examinásti, et non est invénta in me iníquitas: propter hoc lætátum est cor meum, et exsultávit lingua mea.

Oratio.

Deus, qui per beáti Januárii, Mártyris tui atque Pontíficis, confessiónem et sánguinem, admirábili testimónio ac triúmpho Ecclésiæ tuæ fidem illustráre dignátus es: quæsumus; ut ejúsdem nos fídei consórtio et patrocínio munítos, triúmphi étiam et glóriæ partícipes effícias. Per Dóminum.

Ad Tertiam.

Ant. **Esto fidélis.**

Capit. **Fratres: Sancti per fidem.** ut supra. 77*

℟. br. **Ne cesses pro nobis * Clamáre ad Dóminum. Ne cesses.** ℣. **Ut salvet nos de manu inimicórum. Clamáre.** Glória Patri. **Ne cesses.**

℣. **Hic est qui multum orat pro pópulo.** ℟. **Et univérsa sancta civitáte.**

Ad Sextam.

Ant. **Nihil horum tímeas.**

Capitulum. Hebr. 11.

Alii vero ludíbria et vérbera expérti, ínsuper et víncula et cárceres: lapidáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt.

℟. br. **Hic est qui multum * Orat pro pópulo. Hic est.** ℣. **Et pro univérsa sancta civitáte. Orat.** Glória Patri. **Hic est.**

℣. **Speráte in eo omnis congregátio pópuli.** ℟. **Effúndite coram illo corda vestra.**

Ad Nonam.

Ant. **In omni ópere.**

Capitulum. Hebr. 11.

Et hi omnes testimónio fídei probáti invénti sunt in Christo Jesu **Dómino nostro.**

℟. br. **Speráte in eo * Omnis congregátio pópuli. Speráte.** ℣. **Effúndite coram illo corda vestra. Omnis.** Glória Patri. **Speráte.**

℣. **Prótegam civitátem istam.** ℟. **Ut salvem eam.**

In II. Vesperis.

Omnia ut in I. Vesp., et loco ultimi Psalm. **Crédidi.**

Ad Magnif. Ant. **Liberásti me, * Dómine, a rugiéntibus præparátis ad escam, et a pressúra flammæ, quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuátus.**

Per annum in Suffragiis.

Comem. **S. Januarii** Episc. Mart. post Commem. Ss. Apost.

Ad Laudes. Ant. **Igne me Dómine examinásti, et non est invénta in me iníquitas: propter hoc lætátum est cor meum, et exsultávit lingua mea.**

℣. **Posuísti Dómine super caput ejus.** ℟. **Corónam de lápide pretióso.**

Ad Vesperas. Ant. **Liberásti me Dómine a rugiéntibus præparátis ad escam, et a pressúra flammæ, quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuátus.**

℣. **Magna est glória ejus in salutári tuo.** ℟. **Glóriam et magnum decórem impónes super eum.**

Oratio.

Majestátem tuam Dómine súpplices exorámus: ut sicut nos júgiter beáti Januárii Mártyris tui atque Pontíficis commemoratióne lætíficas, ita semper supplicatióne defféndas.

Index alphabeticus.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 19. Septembris 1889.

G. Erlenborn, Vic. in Spirit. Gener.

Sumptibus et Typis Fr. Pustet, S. Sedis Apost. et S. Rit. Congr. Typogr.

PROPRIUM SANCTORUM
PRO REGNO NEAPOLITANO.

PARS AUTUMNALIS.

Die 1. Septembris.

Ss. Prisci, Castrensis, Canionis et Socior. Episc. et Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pontif. 2. loco, præter sequentia.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui gregi tuo beátos Priscum, Castrénsem, Caniónem et eórum Sócios bonos dedísti Pastóres: te súpplices exorámus; ut, illórum intercessióne, omnes oves errántes nunc ad te Pastórem et Epíscopum animárum suárum convertántur: Qui vivis et regnas.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Priscus epíscopus unus fuit ex illis sacerdótibus, qui in persecutióne Wandalórum ob fidem cathólicam várie afflícti, et vetústæ navi impósiti ex Africa ad Campániæ líttora pervenérunt, et christiánam religiónem, in iis locis dispérsi, diversísque ecclésiis præfécti, mirífice propagárunt. Hic sanctus epíscopus Cápuæ cólitur. Fuérunt autem ejus sócii Castrénsis, qui in suburbáno cujúsdam Campániæ urbis húmilem céllulam incóluit, quem Capuáni páriter honórant, cujus sacrum corpus Montem Regálem in Sicília translátum in Metropolitána Ecclésia sub altáre Capéllæ magnífici óperis ad illíus memóriam constrúctæ honorífice cónditum summa veneratióne cólitur: Cánion, qui postquam omnes óptimi pastóris partes implevísset apud Acheróntiam, in sua sede pacífice obdormívit in Dómino, sepultúsque est in ecclésia majóri, ubi sacrum ejus corpus ad hæc usque témpora máximo pópuli concúrsu honorátur: Támmarus, qui Beneventanórum epíscopis adnumerátur et Cápuæ item quotánnis recólitur: Róscius, cujus corpus iídem Beneventáni apud se esse gloriántur: Heráclius, cui ædes prope Cápuam olim dicáta tráditur: Secundínus, qui Trojæ in Apúlia cónditus perhibétur:

Adjútor, qui et Benígnus a Beneventánis aliísque finítimis cultus: Marcus, quem Bibántes in Apúlia patrónum cœléstem sortíti putántur: Augústus, qui et Augustínus, Cápuæ ædis sacræ honóre auctus: Elpídius, quem quidam Atellárum Epíscopum fáciunt, et Vindónius, cui ædes sacra prope Cápuam dicáta fertur. Hi omnes Itáliæ divínitus dati sunt, ut quos Wandálicus furor abjécerat, ibi ob exémpla eórum et mérita perpétuo in honóre essent. ℟. Invéni David.

Sermo S. Joánnis Chrysóstomi.

In capit. 15. Epistol. ad Rom. serm. 23. circa finem.

Lectio v.

Christum díligens et gregem illíus útique díligit. Et Móysen tunc primum super pópulum Judæórum pósuit, quando, qua esset in illum benevoléntia, reípsa jam declaráverat. David quoque símili modo regno inaugurátus est, posteáquam apparúerat, quam amíco esset in pópulum afféctu. Ita quippe júvenis adhuc pópuli causa dóluit ac zelávit, ut et ánimam suam expóneret, cum vidélicet bárbarum illum e médio tollébat. Quod vero dicébat, quid dábitur ei, qui alienígenam hunc interfécerit? non ídeo dicébat, quod mercédem exígeret, sed quo sibi crederétur, et in pugnam cum illo committerétur, nam cum adépta jam victória ad regem esset ingréssus, nihil de mercéde méminit.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Et Sámuel quoque benígnus erat, et amátor pópuli: unde et dicébat: Absit autem hoc a me peccátum, ut cessem pro vobis oráre Dóminum. Ita et Paulus, imo non ita, sed multo plus ómnibus ardébat erga súbditos. Unde et discípulos ita erga se animávit, ut díceret: Si possíbile fuísset, óculos vestros eruissétis, mihíque dedissétis. Et Christus óptimi Pastóris régulam próferens dixit: Bonus pastor ánimam suam ponit pro óvibus. Sunt enim sanctórum ánimæ veheménter mites, et hóminum amántes, non solum erga doméstícos sed aliénos, ita ut hanc suam mansuetúdinem étiam ad animántia bruta exténdant. Proptérea et sápiens quíspiam dixit: Justus miserétur animárum jumentórum suórum. Si jumentórum, multo magis hóminum. ℟. Iste est qui.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Vigiláte. de Communi 2. loco.

Die 3. Septembris.

(D. f. e 25. Aug.)

S. Ludovici Regis Conf.

Semiduplex. (m. t. v.)

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Ludovícum Confessórem tuum de terréno regno ad cœléstis regni glóriam transtulísti: ejus, quæsumus, méritis et intercessióne, Regis regum Jesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes: Qui tecum.

In I. Noct. Lect. de Script. occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Ludovícus nonus Gálliæ rex, duódecim annos natus, patre amísso, et in Blanchæ matris sanctíssima disciplína educátus,

cum jam vigésimum annum in regno ágeret, in morbum íncidit: quo témpore cogitávit de recuperánda possessióne Jerosolymórum. Quamóbrem ubi convaluísset, vexíllum ab epíscopo Parisiénsi accépit: deínde mare cum ingénti exércitu trajíciens, primo prælio Saracénos fugávit. Sed cum ex pestiléntia magna mílitum multitúdo periísset, victus ipse captúsque est.

℟. **Honéstum fecit.**

Lectio v.

Rebus póstea cum Saracénis compósitis, liber rex exercitúsque dimíttitur. Quinque annis in Oriénte commorátus, plúrimos Christiános a barbarórum servitúte redémit, multos étiam infidéles ad Christi fidem convértit: prætérea áliquot Christianórum urbes reſécit suis súmptibus. Interim mater ejus migrat e vita: quare domum redíre cógitur, ubi totum se dedit pietátis offíciis.

℟. **Amávit eum.**

Lectio vi.

Multa ædificávit monastéria, et paúperum hospítia: beneficéntia egéntes sublevábat: frequens visébat ægrótos, quibus ipse non solum suis súmptibus ómnia suppeditábat, sed étiam, quæ opus erant, mánibus ministrábat. Vestítu vulgári utebátur, cilício ac jejúnio corpus assídue affligébat. Sed cum íterum transmisísset, bellum Saracénis illatúrus, jamque castra in eórum conspéctu posuísset, pestiléntia decéssit in illa oratióne: Introíbo in domum tuam; adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo. Ejus corpus póstea Lutétiam Parisiórum translátum est, quod in célebri sancti Dionýsii templo asservátur et cólitur; caput vero in sacra æde sanctæ Capéllæ. Ipse clarus mirácutlis a Bonifácio Papa octávo in sanctórum númerum est relátus.

℟. **Iste homo.**

In III. Nocturno Lect. ut in festo S. Stephani in Breviario die 2. Sept.

Die 4. Septembris.

S. Candidæ senioris primæ Christianæ Neap.

Duplex 2. classis.

Omnia de Communi nec Virg. nec Mart., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátam Cándidam per Apostolórum príncipem fídei lúmine illustráre dignátus es: tríbue, quæsumus; ut ejus suffragántibus méritis, ætérnæ glóriæ tuæ beáto lúmine pérfrui mereámur. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones **Mulíerem fortem.** de Communi.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Cándida Neapolitána, claris exórta paréntibus, sed longe clárior, quia príncipem Apostolórum suscéptæ fídei paréntem sortíta est Petrum, cui ex Antiochénsi sede ad fundándam Románam Ecclésiam in Itáliam naviganti, ubi Neápolim áppulit, prima occúrrit, et córporis ægritúdine repénte leváta, vitáli fonte baptísmatis regeneráta est. Tam insígne benefícium et religiónis, et salútis, non in se solam récipi, atque inaréscere passa est, sed suos in

cives, et consanguíneum Asprénum Neapolitanórum antístitum beátum antesignánum, ut abúnde proflúeret, ab Apóstolo príncipe exorávit, cui étiam ad aras operánti et ádfuit Cándida, et ejúsdem e mánibus imortáli recépto épulo recreáta. Dénique sanctitátis compéndium nacta, devéxa jam ætáte, et annis, et méritis plena, beátum vitæ finem impósuit prídie Nonas Septémbris, anno salútis septuagésimo octávo.

℟. Propter veritátem.

Lectio v. et vi. **Agrum hunc Ecclésiæ.** ut in Communi nec Virg. nec Mart.

In III. Nocturno Homil. in Evang. **Símile est regnum cœlórum thesaúro.** ut in eodem Communi.

Vesperæ de S. Candida juniore, cum commem. S. Candidæ senioris.

Die 5. Septembris.

S. Candidæ junioris Patr. Neap.

Duplex majus.

Pro Civit. et Diœcesi Neap.

Omnia de Communi nec Virg. nec Mart., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátæ Cándidæ inter blandiménta sǽculi candórem innocéntiæ conservásti: concéde; ut nos quoque ejúsdem exémpla sectántes, cœléstis glóriæ consórtium assequámur. Per Dóminum.

Deinde fit commemor. S. Candidæ senioris.

Ant. **Manum suam apéruit.** ℣. **Diffúsa est grátia.**

Oratio. **Deus, qui beátam Cándidam.** ut supra. 3*

In I. Nocturno Lectiones **Mulíerem fortem.** de eodem Communi.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Cándida júnior quingéntis post seniórem álteram annis Neápoli in Campánia e nóbili Brancaciórum família nata est, virtúte tamen præstántior, quam génere. A prima ætáte totam se christiánæ disciplínæ opéribus addíxit, summa in paréntes observántia, profúsa in paúperes benevoléntia: quod pietátis stúdium in connúbio quoque constantíssime retínuit, céteris matrónis íntegre, sanctéque vivéndi absolútum se præbens exémplar. Cœléstium rerum contemplatióni, templísque inviséndis assídua, a córporis ornátu, vestiúmque cultu máxime abhórruit. In dissídiis componéndis árbitra, in se ipsam tantum excandéscere jejúniis, aliísque pœniténtiis visa, ut omnes carnis illécebras exscínderet, atque ánimi innocéntiam tuerétur.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Unico, quem suscéperat, fílio et cónjugi diutúrno, gravíque morbo laborántibus, quo minus morti matúros, ac parátos vidéret; nuncupátis Deo précibus, velut aliénæ salútis víctima, id impetrávit, ut pro diláto illis moriéndi témpore, vivéndi sibi tempus contraherétur. Voti ígitur compos, in ægritúdinem íncidit; qua tandem intériit quinquagenária prídie Nonas Septémbris, eódem die, quo sénior Cándida ad cœlum evocáta, ut imitatióne pietátis símilis, ita consors et glóriæ. Demórtuum corpus in sancti Andréæ templo ho-

norífice cónditum est. Obiit Pelágio secúndo Pontífice, Maurítio imperatóre.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Ejus sanctitátem diu recónditam, plúrimis tandem miráculis testátam vóluit Deus: liquor enim e sacro córpore emanávit, váriis morbórum genéribus útilis, atque vivíficus. Præsentíssimam opem in primis expértus paralýticus, qui tremebúndus, ac semimórtuus ad ejus túmulum delátus, summa pópuli admiratióne sanitáti rédditus, e vestígio domum incólumis regréssus est. Usum étiam loquélæ mutus excépit, benefícium alta voce conféssus, áliaque admiránda permúlta ejus méritis a Deo patráta. Sacræ relíquiæ in æde quoque, divi Angeli ad Nilum nuncupáta, religióse anniversária pompa colúntur. ℟. Fallax grátia.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Símile est regnum cœlórum thesaúro. de eodem Communi.

Die 6. Septembris.

S. Rosaliæ Virginis.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis die 4. Sept.

Die 9. Septembris.

(D. f. e 15. Julii.)

S. Henrici Imperatoris, Conf.

Semiduplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter sequ. (m. t. v.)

Oratio.

Deus, qui hodiérna die beátum Henrícum Confessórem tuum e terréni cúlmine impérii ad regnum ætérnum transtulísti: te súpplices exorámus; ut sicut illum, grátiæ tuæ ubertáte prævéntum, illécebras sǽculi superáre fecísti, ita nos fácias, ejus imitatióne, mundi hujus blandiménta vitáre, et ad te puris méntibus perveníre. Per Dóminum nostrum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Henrícus, cognoménto Pius, e duce Baváriæ rex Germániæ, ac póstmodum Romanórum imperátor, temporális regni non conténtus angústiis, pro adipiscénda immortalitátis coróna sédulam ætérno Regi exhíbuit servitútem. Adépto enim império, religióni amplificándæ studióse incúmbens, ecclésias ab infidélibus destrúctas, magnificéntius reparávit, plurimísque largitiónibus et prædiis locupletávit. Monastéria áliaque loca pia vel ipse ædificávit, vel assignátis redítibus auxit. Episcopátum Bambergénsem hæreditáriis ópibus fundátum, beáto Petro, Romanóque Pontífici vectigálem fecit. Benedíctum octávum, a quo impérii corónam accéperat, prófugum excépit, suǽque sedi restítuit.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

In Cassinénsi monastério gravi deténtus infirmitáte, a sancto Benedícto, insígni miráculo, sanátus est. Románam Ecclésiam amplíssimo diplómate munerátus, eídem tuéndæ bellum advérsus Græcos suscépit, et Apúliam, diu ab illis posséssam, recuperávit.

Nihil sine précibus ággredi sólitus, Angelum Dómini, sanctósque Mártyres tuteláres pro se pugnántes ante áciem intérdum vidit. Divína autem protéctus ope, bárbaras natiónes précibus magis quam armis expugnávit. Pannóniam adhuc infidélem, trádita Stéphano regi soróre sua in uxórem, eóque baptizáto, ad Christi fidem perdúxit. Virginitátem raro exémplo matrimónio junxit, sanctámque Cunegúndam, cónjugem suam, propínquis ejus, morti próximus, illibátam restítuit.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

Dénique rebus ómnibus, quæ ad impérii honórem et utilitátem pertinébant, summa prudéntia dispósitis, et illústribus per Gálliam, Itáliam, et Germániam religiósæ munificéntiæ vestígiis passim relíctis, postquam heróicæ virtútis suavíssimum odórem longe latéque diffúderat, sanctitáte quam sceptro clárior, ad regni cœléstis prǽmia, consummátis vitæ labóribus, a Dómino vocátus est, anno salútis millésimo vigésimo quarto. Cujus corpus in ecclésia beatórum Apostolórum Petri et Pauli Bambérgæ cónditum fuit; statímque ad ejus túmulum multa mirácula, Deo ipsum glorificánte, patráta sunt: quibus póstea rite probátis, Eugénius tértius sanctórum número illum adscrípsit.

℟. Iste homo.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Sint lumbi vestri.** de eodem Communi 1. loco.

Vesp. de sequ. commem. præced.

Die 19. Septembris.

S. Januarii Episc. et Mart. ac præcipui Patroni Civitatis et Regni Neap.

Duplex 1. class. cum Oct.

In I. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud. **9*** Ps. ut in I. Vesp. de Comm. Apost.

Hymnus. **Deus tuórum.** de Comuni unius Martyris.

℣. Ne cesses pro nobis clamáre ad Dóminum. ℟. Ut salvet nos de manu inimicórum.

Ad Magnif. Ant. **Beátus Januárius, Præsul et Martyr ínclytus, exstínxit ímpetum ignis, obturávit ora ferárum, et in occisióne gládii pro Christo mórtuus, legítimi certáminis corónam accépit.**

Oratio. **Deus, qui per beáti.** ut infra ad Laudes. 10*

Ad Matutinum.

Invit. **Regem Mártyrum Dóminum, * Veníte, adorémus.**

Ps. **Veníte, exsultémus.**

Hymnus.

Prǽsulis clerus populúsque nomen
Mártyris laudet, celebrésque palmas;
Et suo lætis módulis Patróno
Cóncinat hymnos.

Béstias, ignes, gládios minátur,
Ac necem judex furibúndus ira:
Addit athlétæ válidas supérna
Grátia vires.

Horret idólis adolére thura:
Déntibus, clamat, mínuar ferárum,
Igne consúmar, fériar secúri,
Víctima Christi.

Hinc vomit flammas metuénda fornax;
Rúgiunt illinc truculénta bruta;
Jussa lictóres fáciunt, eúmque
Pérdere certant.

Angelus cœlo vólitans ab alto
Imperat flammis crepitánte in æstu;
Quæ recedéntes venerántur almi
Præsulis artus.

Inde procúmbunt, feritáte missa,
Ad pedes ejus plácidi leónes:
Strénuo optátam púgili corónam
Détulit ensis.

Sint tibi plausus, decus atque virtus,
Cuncta qui nutu regis, et beátum
Mártyrem claro décoras triúmpho
Omne per ævum. Amen.

In I. Nocturno.

Ant. Sacérdos magnus, qui in ascénsu altáris sancti glóriam dedit sanctitátis amíctum.

Psalmi trium Nocturnorum de Communi unius Mart.

Ant. Curávit gentem suam, et adéptus est glóriam in conversatióne gentis.

Ant. Beáti qui te vidérunt, et in amicítia tua decoráti sunt.

℣. Ne cesses pro nobis clamáre ad Dóminum. ℟. Ut salvet nos de manu inimicórum.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. Cap. 51.

Confitébor tibi Dómine Rex, et collaudábo te Deum Salvatórem meum. Confitébor nómini tuo, quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne, a láqueo linguæ iníquæ, et a lábiis operántium mendácium, et in conspéctu astántium factus es mihi adjútor. Et liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui a rugiéntibus præparátis ad escam: de mánibus quæréntium ánimam meam, et de portis tribulatiónum, quæ circumdedérunt me: a pressúra flammæ, quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuátus: de altitúdine ventris ínferi, et a lingua coinquináta, et a verbo mendácii, a rege iníquo, et a lingua injústa.

℟. Beátus Januárius in conspéctu præsidis bonum certámen fídei certans, * Conféssus est bonam confessiónem coram multis téstibus. ℣. Nolíte præcogitáre quid loquámini; sed quod datum fúerit vobis in illa hora, id loquímini: non enim vos estis loquéntes, sed Spíritus sanctus. Conféssus.

Lectio ii.

Laudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum, et vita mea appropínquans erat in inférno deórsum. Circumdedérunt me úndique, et non erat qui adjuváret. Respíciens eram ad adjutórium hóminum, et non erat. Memorátus sum misericórdiæ tuæ, Dómine, et operatiónis tuæ, quæ a sæculo sunt: quóniam éruis sustinéntes te, Dómine, et líberas eos de mánibus géntium. Exaltásti super terram habitatiónem meam, et pro morte defluénte deprecátus sum.

℟. Hæc dicit Dóminus: * Quum ambuláveris in igne, non comburéris, et flamma non ardébit in te. ℣. Magistrátus et júdices,

et poténtes regis contemplabántur virum illum, quóniam nihil potestátis habuísset ignis in córpore ejus, et capíllus cápitis ejus non esset adústus. Quum ambuláveris.

Lectio iii.

Invocávi Dóminum Patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ, et in témpore superbórum sine adjutório. Laudábo nomen tuum assídue, et collaudábo illud in confessióne et exaudíta est orátio mea. Et liberásti me de perditióne, et eripuísti me de témpore iníquo. Proptérea confitébor, et laudem dicam tibi, et benedícam nómini Dómini.

℟. Mártyrem tuum, Dómine, suspendérunt in equúleo: * Et fecérunt in eo quæcúmque voluérunt. ℣. Tyránnus, et qui cum ipso erant, mirabántur Mártyris ánimum, quod tamquam níhilum dúceret cruciátus. Et. Glória Patri. Et.

In II. Nocturno.

Ant. Fortitúdo mea, et laus mea Dóminus, et factus est mihi in salútem.

Ant. Persecutiónem pátimur, sed non derelínquimur: dejícimur, sed non perímus.

Ant. Zelo zelátus sum pro Dómino Deo exercítuum, et quærunt ánimam meam, ut aúferant eam.

℣. Hic est qui multum orat pro pópulo: ℟. Et univérsa sancta civitáte.

In II. Nocturno Lectiones ut in Breviario sub hac die.

℟. iv. Manus Dómini facta est super servum suum; accinctísque lumbis currébat ante rhedam præsidis: * Donec veníret ad locum martýrii. ℣. Neque iníquitas mea, neque peccátum meum, Dñe: sine iniquitáte cucúrri, et diréxi. Donec.

℟. v. In sua simplicitáte * Liberátus est de ore leónum. ℣. Páveant omnes habitatóres in univérsa terra Deum: ipse est salvátor fáciens signa et mirabília, qui liberávit servum suum de lacu leónum. Liberátus.

℟. vi. O Timóthee, Januário grátias age: * Nam propter eum tibi Dóminus lumen donávit. ℣. Ecce manus Dómini super te, et eris cæcus, et non videns solem usque ad tempus. Nam propter. Glória Patri. Nam propter.

In III. Nocturno.

Ant. Dabo prodígia in cœlo sursum, et signa in terra deórsum, sánguinem et ignem, et vapórem fumi.

Ant. Januárius Christi martyr per fidem defúnctus, mórtuum prophetávit corpus ejus: in vita sua fecit monstra, et in morte mirabília operátus est.

Ant. Quum ignis egréssus esset, et plaga desævíret, beátus Januárius pro pópulo deprecátus est, et plaga cessávit.

℣. Speráte in eo omnis congregátio pópuli. ℟. Effúndite coram illo corda vestra.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 10. b.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homilia 34. in Matthæum, post initium.

Cum Dóminus omnem sollicitúdinem a discipulórum córdibus ejécerit, et ostensióne signórum armáverit, atque ab ómnibus negótiis sæculáribus alienátos, et ab omni temporálium rerum cura liberátos, férreos quodámmodo atque adamántinos fécerit; tum dénique eventúra illis advérsa prædícit. Multa enim ex hac prædicatióne futurárum rerum cómmoda consequebántur. Primum, ut ejus præsciéntiæ vim edíscerent. Deínde, ut nemo suspicarétur ex magístri infirmitáte tam grávia mala descéndere. Prætérea, ne, qui ea passúri erant, súbito ac inopináto rerum evéntu perturbaréntur. Dénique, ne, cum ista sub ipsum passiónis suæ tempus audírent, nímium commoveréntur.

℟. Exaúdi me, Dómine, exaúdi me, ut discat pópulus iste, quia tu es Dóminus Deus: * Et tu convertísti cor eórum. ℣. Multi autem credidérunt, et factus est númerus virórum quinque míllia. Et tu convertísti.

Lectio viii.

Jam vero, ut intélligant novum hoc esse belli genus, et insólitum præliándi morem cum illos nudos mítteret, una indútos túnica, sine cálceis, absque virga, et absque zona et pera, et ab excipiéntibus ali jubéret, non fecit hic dicéndi finem, sed inexplicábilem virtútem suam próferens: étiam sic eúntes, inquit, mansuetúdinem tamen óvium osténdite, quamvis ad lupos itúri, nec simplíciter ad lupos, sed étiam in médio lupórum (neque vero óvium tantum mansuetúdinem habére jubet, sed étiam colúmbæ simplicitátem); sic enim virtútem meam máxime osténdam, cum ab óvibus lupi superabúntur: et quamvis illæ sint in médio lupórum, et innúmeris mórsibus laceréntur, non modo non consúmptæ fúerint, verum étiam illos in sui natúram transmutáverint.

℟. Vidi ánimas decollatórum propter testimónium Jesu, et verbum Dei: * Qui non adoravérunt béstiam, neque imáginem ejus. ℣. Æstimáti sumus sicut oves occisiónis; sed in his ómnibus superámus propter eum, qui diléxit nos. Qui. Glória Patri. Qui.

Lectio ix.

Majus certe, atque admirabílius est mentem adversariórum commutáre, et ánimum in divérsum transférre, quam illos occídere: præsértim cum duódecim tantum essent et lupis plenus esset orbis univérsus. Erubescámus ígitur, qui longe divérsa faciéntes, tamquam lupi in adversários rúimus. Nam quámdiu oves fuérimus, víncimus, étiam si mille circúmstent lupi, superámus, et victóres sumus: quod si lupi fuérimus: víncimur. Tunc enim a nobis pastóris auxílium recédit, qui non lupos, sed oves pascit. Te Deum.

Ad Laudes

et per Horas.

Ant. 1. Suscitábo mihi * sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum, et ánimam meam fáciet.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Esto fidélis * usque ad mortem, et dabo tibi corónam vitæ.

3. Nihil horum tímeas, * quæ passúrus es: ecce missúrus est diábolus áliquos ex vobis in cárcerem, ut tentémini.

4. Nihil horum véreor, * nec fácio ánimam meam pretiosiórem quam me; dúmmodo consúmmem cursum meum, et ministérium verbi.

5. In omni ópere * dedit confessiónem sancto et excélso in verbo glóriæ.

Capitulum. Hebr. 11.

Fratres: Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes: obturavérunt ora leónum, exstinxérunt ímpetum ignis, effugérunt áciem gládii, convaluérunt de infirmitáte, fortes facti sunt in bello, castra vertérunt exterórum.

Hymnus.

Mira, quæ patras, tua, Januári,
Cívitas gaudens récolit: stupéntes
Advenæ cernunt: resonántque totum
Nota per orbem.

Namque concrétus diutúrno ab ævo,
Sanguis ampúlla vítrea liquéscens
Bullit: ac rebus pópulo est sinístris
Dulce levámen.

Tu parens adsis; patriǽque custos
Se, fac, insígnem pietáte avíta
Præbeat semper, fideíque vera
Dógmata servet.

Tu probos mores dócili juvéntæ,
Tu senectúti plácidam quiétem,
Alma tu regno bona pacis omnes
Impetra in annos.

Pelle tu pestem, furiásque belli,
Tu famem, terræ subitósque motus,
Atque Vesévi fera damna nostris
Mœ́nibus arce.

Laus sit excélsæ Tríadi perénnis,
Quæ tibi sertum tríbuens corúscum,
Te viam nobis fámulis precánte
Pandat ad astra.
Amen.

℣. Prótegam civitátem istam.
℟. Ut salvem eam.

Ad Bened. Ant. Igne me, Dómine, * examinásti, et non est invénta in me iníquitas: propter hoc lætátum est cor meum, et exsultávit lingua mea.

Oratio.

Deus, qui per beáti Januárii, Mártyris tui atque Pontíficis, confessiónem et sánguinem, admirábili testimónio ac triúmpho Ecclésiæ tuæ fidem illustráre dignátus es: quǽsumus; ut ejúsdem nos fídei consórtio et patrocínio munítos, triúmphi étiam et glóriæ partícipes effícias. Per Dóminum.

Ad Tertiam.

Ant. Esto fidélis.

Capit. Fratres: Sancti per fidem. ut supra.

℟. br. Ne cesses pro nobis * Clamáre ad Dóminum. Ne cesses. ℣. Ut salvet nos de manu inimicórum. Clamáre. Glória Patri. Ne cesses.

℣. **Hic est qui multum orat pro pópulo.** ℟. **Et univérsa sancta civitáte.**

Ad Sextam.

Ant. **Nihil horum tímeas.**

Capitulum. Hebr. 11.

Alii vero ludíbria et vérbera expérti, ínsuper et víncula et cárceres: lapidáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt.

℟. br. **Hic est qui multum * Orat pro pópulo. Hic est.** ℣. **Et pro univérsa sancta civitáte. Orat. Glória Patri. Hic est.**

℣. **Speráte in eo omnis congregátio pópuli.** ℟. **Effúndite coram illo corda vestra.**

Ad Nonam.

Ant. **In omni ópere.**

Capitulum. Hebr. 11.

Et hi ómnes testimónio fídei probáti invénti sunt in Christo Jesu Dómino nostro.

℟. br. **Speráte in eo * Omnis congregátio pópuli. Speráte.** ℣. **Effúndite coram illo corda vestra. Omnis. Glória Patri. Speráte.**

℣. **Prótegam civitátem istam.** ℟. **Ut salvem eam.**

In II. Vesperis.

Omnia ut in I. Vesp., et loco ultimi Psalm. **Crédidi.**

Ad Magnif. Ant. **Liberásti me, * Dómine, a rugiéntibus præparátis ad escam, et a pressúra flammæ, quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuátus.**

Infra Octav. pro Comm. Octav. in Laudibus et Vesperis, Ant. et ℣. ut supra in Laudibus et II. Vesperis.

Die 22. Septembris.

Quarta die infra Octavam

S. Januarii Episc. et Martyris.

Semiduplex.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Petri Chrysólogi.

De S. Apollinari 128.

Lectio iv.

Mérito sanctus Januárius, quia juxta mandátum Dei sui pérdidit ánimam suam, eam invénit in vitam sempitérnam. Beátus, qui ita cursum consummávit, fidem servávit, ut vere primus a credéntibus suo reperirétur in loco: nec eum quisquam Confessóris vocábulo minórem credat esse, quam Mártyrem, quem Dei nutu, quotidiánum, et multíplicem revérsum cónspicit ad agónem. Audi Paulum dicéntem: Quotídie mórior. Semel mori parum est eum, qui potest regi suo gloriósam sæpe de hóstibus reférre victóriam.

℟. **Manus Dómini. 8*.**

Lectio v.

Non tam mors, quam fides, et devótio, Mártyrem facit: et sicut virtútis est in ácie, in confllíctu, pro regis amóre succúmbere; ita perféctæ virtútis est, diu ágere, et consummáre certámina. Non ídeo persecútus est Mártyrem, quia non statim íntulit mortem; sed probávit Mártyrem, quia non elícuit fidem: injécit tela, quæ pótuit, et ómnia armórum suórum génera cállidus exégit inimícus: nec tamen fortíssimi ductóris movére mentem pótuit, aut temeráre constántiam. ℟. **In sua simplicitáte. 8***

Lectio vi.

Sed ut propugnatórem suum sibi Ecclésia sancta retinéret, Christo veheménter occúrrit, ut vincénti justítiæ reserváret corónam, et sibi belli témpore præliatóris sui præséntiam condonáret. Et quid plura, fratres? Egit, egit Ecclésia sancta Mater, ut nusquam a suo separarétur antístite. Ecce vivit: ecce ut bonus pastor suo médius assístit in grege; neque umquam separátur spíritu, qui córpore præcéssit ad tempus. Exstínctus est diábolus, persecútor occúbuit. Ecce regnat, et vivit, qui pro rege suo desiderávit occídi, qui vivit, et regnat Deus per ómnia sæculórum sæcula.

℟. O Timóthee. 8*

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 10.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum. Et réliqua.

Homilía S. Joánnis Chrysóstomi.

Homilia 34. in Matth.

Sic dícere vidétur: Nolíte turbári, si, cum vos inter lupos mitto, tamquam oves, et colúmbas esse júbeo. Nam etsi possum contrárium quoque præstáre, et non permíttere, ut grave áliquid patiámini, nec lupis tamquam oves subjécti sitis, sed effícere, ut leónibus terribilióres evadátis, tamen sic éxpedit fíeri: hoc et vos quoque illustrióres fáciet, et meam declarábit virtútem. Sic enim póstea dixit Paulo: Súfficit tibi grátia mea: nam virtus in infirmitáte perfícitur. Ipse ígitur vos, ut tales essétis, feci. ℟. Exaúdi me. 9*

Lectio viii.

Sed inspiciámus, quam prudéntiam éxigit: serpéntis certe. Nam quemádmodum serpens totum seípsum tradit, nec mínimum curat, si ipsum quoque corpus incídi necésse sit, dúmmodo caput suum íntegrum servet, eódem tu quoque modo, præter fidem cétera pérdere non cures; sive pecúnias, sive corpus, sive étiam vitam ipsam profúndere necésse sit. Fides enim caput est et radix, qua serváta, etiámsi ómnia perdes, ómnia tamen rursus majóri cum glória recuperábis. Idcírco nec símplices solum jussit esse, nec prudéntes solum, sed ambo hæc in unum míscuit, ut ea in virtútem convertántur. ℟. Vidi ánimas. 9*

Lect. ix. de Ss. Mauritio et Soc. Mm.

Die 25. Septembris.

S. Mariæ de Cervellione Virg.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis die 22. Septembris.

Die 26. Septembris.

Octava **S. Januarii** Episc. et Mart.

Duplex.

Omnia ut in die festo, præter sequ.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo S. Joánnis Chrysóstomi.

De S. Ignatio Mart. tom. 5.

Lectio iv.

Tempus animadvértite, fratres, quo dignitátem episcopálem beátus Januárius est assecútus. Neque enim est éadem nunc,

quæ tunc erat, Ecclésiam gubernándi condítio. Non æquális est labor viam tritam et plane parátam post multos íngredi viatóres, atque eam, quæ nunc primo secánda est, quæque prærúpta et saxósa feríisque plena, nec ullum adhuc viatórem admísit. Tunc autem quocúmque quis óculos vérteret, ubíque præcipítia, bárathra, et bella, et pugnæ, et perícula: imperatóres et reges, et pópuli, et civitátes, et gentes, et doméstici, et aliéni credéntibus insídias tendébant. ℟. Manus Dómini. 8*

Lectio v.

Quemádmodum ígitur gubernatórem admirámur, non quod vectóres possit in portum incólumes dúcere, cum mare tranquíllum est, cumque navis fertur ventis secúndis; sed cum insaniénte pélago, ventísque sæviéntibus, qui in navi sunt, inter se disséntiunt, magna tempestáte intus et foris navigántes exagitánte, navim tamen potest dírigere et conserváre. Sic eos, qui tunc Ecclésiam regébant, multo magis, quam illos, qui eam in præséntia gubérnant, suspícere debémus et admirári; quando multa bella intus et foris; quando fídei planta imbecíllior erat adhuc, et diligéntia magis indigébat; quando véluti modo génitus infans Ecclésiæ pópulus, magnam providéntiam atque sapiéntiam ánimæ, a qua nutriéndus esset, postulábat.

℟. In sua simplicitáte. 8*

Lectio vi.

Verum, ne totum tempus in episcopátus consideratióne collocántes, ab iis, quæ ad eum uti Mártyrem spectant, enarrándis excludámur; age, ad illíus certámina contendámus. Versútus enim diábolus, et ad struéndas aptus insídias existimábat, si pastóres sustulísset, ovília se fácile direptúrum. Sed qui comprehéndit astútos in eórum astútia, osténdens ecclésias suas non ab homínibus gubernári, sed eos, qui in ipsum credunt, semper a se regi, id fíeri permittébat, ut, cum cérneret, rectóribus sublátis, non tamen religiónem deléri, nec veritátis prædicatiónem exstíngui, sed pótius augéri; ex rebus ipsis, et ipse, et qui ei inserviébant, omnes intellígerent, Christianórum disciplínam non ab homínibus pendére, sed in cœlis radíces ágere, Deúmque esse, qui ubíque ecclésias tuerétur.

℟. O Timóthee. 8*

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 10.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ecce ego mitto vos, sicut oves in médio lupórum. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homilia 45. in Matth. longe post init.

Diligénter considéra, qui sunt, qui hæc árdua et laboriósa ádeunt; formidolósi vidélicet et indócti, illitteráti, rudes, obscúri quidam hómines et ignóti, qui numquam Philosophórum percepérunt institúta, vixque umquam in forum descendérunt, piscatóres et publicáni, multis repléti rebus, quæ jure ánimos eórum possent dejícere. Nam si magnos et claros

viros tanta difficúltas rerum potuísset commovére; quómodo non potuísset imperítos hómines, quibus nullíus rei magni áliquid venit in mentem? Sed non dejécit, neque turbávit: nec id injúria, dicet quíspiam, cum se intellígerent posse leprósos mundáre, dæmónia ejícere. ℟. Exaúdi me. 9*

Lectio viii.

Ego autem dícere non dubitárim, quia vidélicet idípsum jure debébat ipsos conturbáre; quóniam qui tantam potestátem habérent, ut defúnctos étiam a morte possent excitáre, hi tanta perícula essent subitúri, tanta bella gestúri, ad júdices vincti deducéndi, commúnis dénique totíus orbis admonítio futúri. Quæ ígitur in ómnibus his erat consolátio? Sola mitténtis virtus. Quocírca ita signánter incœ́pit: Ecce ego mitto vos. Sufficiat hoc vobis ad omnem consolatiónem, satis sit ad confiténdum. Vides, quanta ejus est auctóritas? Intélligis, quóniam máxima sit potéstas? Pércipis inexpugnábilem ejus esse virtútem?
℟. Vidi ánimas. 9*

Lect. ix. de Ss. Cypriano et Justina.

Die 1. Octobris.

S. Gregorii Armeni Ep. et Mart., Patroni Neapolitani.

Duplex majus.

In I. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud. **17*** Ps. ut in I. Vesp. de Communi Apost.

Hymnus.

Lux o decóra Gregóri,
Nostris refúlge méntibus,
Te prævio, vidébimus
Solem perénnem grátiæ.

Tu clara gemma præsulum
Excéllis inter Mártyres,
Longos per anni círculos
Torménta passus hórrida.

Tu voce curans córpora,
Cæcásque mentes ínclytus
Illúminans miráculis,
Nutu fugásti dǽmones.

Bonis procul fugácibus
Ampléxus es cœléstia,
Spretóque mundo, cǽlitum
Gaudes potítus prǽmiis.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito
Nunc, et per omne sǽculum.
Amen.

℣. Glória, et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnif. Ant. O **lux Ecclésiæ, doctor veritátis, póntifex Arméniæ, norma caritátis, prædicátor grátiæ, deprecáre pro nobis Fílium Dei, allelúja.**

Oratio.

Deus, qui per beátum Gregórium Pontíficem, et Mártyrem tuum Arméniæ gentis pópulum, regémque veræ fídei lucem recípere tribuísti: da Ecclésiæ tuæ de tantis gaudére triúmphis; et apud te méritis ejúsdem, et précibus adjuvári. Per Dóminum.

Deinde fit commem. S. Hieronymi, ac S. Remigii Episc. et Conf. ut in Breviario sub hac die.

Ad Matutinum.

Invit. Regem **Mártyrum Dñm,*** **Veníte, adorémus.**

Ps. **Veníte, exsultémus.**

Hymnus. **Lux o decóra.** ut supra.

In I. Nocturno.

Ant. **Probátus in Christo, et perféctus invéntus est; ídeo data est illi glória ætérna.**

Ps. trium Nocturnorum de Communi unius Martyris.

Ant. **Præcépto regis non obedívit Gregórius, corónas laúreas diis offérri præcipiéntis.**

Ant. **Præco salútis doctrína evangélica Arménos erudívit.**

℣. **Glória et honóre coronásti eum, Dómine.** ℟. **Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.**

In I. Nocturno Lectiones A **Miléto.** de Communi.

In II. Nocturno.

Ant. **Suspénsus in equúleo Gregórius laudábat Dóminum Salvatórem.**

Ant. **Glorificávit eum Dóminus in conspéctu regis, et osténdit illi glóriam suam.**

Ant. **Quasi sol refúlgens, sic effúlsit Gregórius in templo Dei.**

℣. **Posuísti, Dómine super caput ejus:** ℟. **Corónam de lápide pretióso.**

Lectio iv.

Gregórius Arméniæ régibus ortus, cum patris Anáci tota família ad necem usque quærerétur, infans clam eréptus, Cæsaréæ Cappadóciæ educátus est. Adoléscens christiánam legem una cum baptísmo suscépit, duósque ex legítima uxóre génuit fílios, Orthánem et Arostánem, quos ádeo in fide Christi erudívit, ut sanctíssime utérque vitam finíerit. Secésserat Cæsaréam Terídates Cursári olim Armenórum regis ab Anáco dolóse interémpti fílius, a Persis ditióne patérna spoliátus, cui Gregórius, non ignórans patérnum scelus, sese in servitútem trádidit, et cum eo in Arméniam, restitúto ei a Románis regno, post multos annos rédiit. Ibi a Terídate sæpius tentátus, ut idólis sacrificáre vellet, cum renuísset constantíssime, innúmera tormentórum génera subíre coáctus est, ut pene incredibília videántur.

℟. **Honéstum fecit.**

Lectio v.

Nam primo dedúcitur in tetrum cárcerem: in os ejus lignum immíttitur, quod violentíssime ab inferióri parte superiórem disjúngeret: onerántur húmeri glebis salis, qui apud Arménos est fossílis: fúnibus sanctum corpus alligátum in sublíme tráhitur: post diem séptimum e sublími demíttitur, áltero pede suspénso, et igne admóto, fumóque suppósito, virgis intérea sævíssime cǽditur: crura tábulis et fune constringúntur, ita ut efflúeret sanguis per summos pedes, qui clavis confíxi celeráre gressus mox cogúntur: caput fabríli quodam instruménto intercéptum comprímitur: per fístulam e naso ad cérebrum sal acéto mixtum, et nitrum transfundúntur: cálatho fulígine pleno caput ipsíus obrúitur, ut suffocétur: férreis úngulis excarnificántur látera, et a subjéctis murícibus férreis immaníssime cruciántur: génua tibiálibus férreis vestiúntur, quæ cúneis item férreis obfirmántur: plumbum liquefáctum in os ejus infúnditur. Sed invíctus Gregórii ánimus Christi fide, speque munítus, torméntis

142

non cessit umquam, et divína virtúte sanátus, constántior prædicábat Christum. Unde Terídates actus in rábiem ob patris étiam necem, quam póstea cognóvit ab Anáco factam, ligátum collo, mánibus, et pédibus in lacum Artáxat eum déjici jubet moritúrum.

℟. Desidérium ánimæ.

Lectio vi.

Post annos quatuórdecim divína providéntia factum est, ut Terídates, quasi alter Nabuchodónosor, probátus, Gregórii velut redivívi sese ad pedes abjécerit; quem cum sátrapis regni mystériis initiátum, jejúnio longo purgávit, narráta cœlésti visióne recreávit, et miraculósa diversárum ægritúdinum curatióne confirmávit. Quare própriam detestátus rex contra eum crudelitátem, ípsemet deórum templa destrúxit, ecclésias vero Deo ædificávit, pretiósas vestes, prǽdia, thesaúros pro divíno cultu elargítus. Exposcébat rex Gregórium epíscopum, quem dubitántem Angelus e cœlo animávit ad onus, et a Leóntio Cæsaréæ epíscopo, rogánte rege, consecrátus est. Arméniæ fines cum redíret, vix ingréssus, oratióne sua templum Hérculis a fundaméntis evúlsit, et álterum eréxit, in quo sancti Joánnis Baptístæ, et mártyris Athenógenis sacras relíquias collocávit. Ingéntem hóminum multitúdinem baptizávit, exórta in cujúsque cápite mirífica cruce. Apéruit sacrárum litterárum gymnásia. Persis, Assýriis, Hunnis, et Medis ad christiánam rempúblicam áditum fecit, quibus et epíscopos dedit, et sacerdótes, et mónachos, multis ab eo ædificátis monastériis. Tandem quiétis, et ótii divíni cupidíssimus, Arostáne fílio, peténte rege, sibi suffécto, in solitúdinem cum paucis alúmnis ábiit, ubi jejúnio plane admirábili et contemplatióni déditus, obdormívit in Dómino plenus diérum, Constantíno Magno imperatóre. Ejus sacras relíquias Christiáni ex Arménia ab hóstibus capta fugiéntes, in Itáliam transtulérunt; et Neápoli sacrum ejus caput cum caténis, quibus vinctus, et virgárum fragmínibus, quibus cæsus fúerat, deposuérunt in nóbili ecclésia in ejúsdem honórem erécta. Bráchium vero in ecclésia cathedráli Neritonénsi, cujus cives sancti viri mirácula sæpius expérti, præsértim in impetrándis a Dómino plúviis, eúmdem sibi Patrónum elegérunt.

℟. Stola jucunditátis.

In III. Nocturno.

Ant. Fuit magnus in Arménia magna: máximus in salútem electórum Dei.

Ant. Diréctus est divínitus in pœniténtiam gentis, et tulit abominatiónem impietátis.

Ant. Virtútes multas, et mirácula per beátum Gregórium Dóminus fecit, allelúja.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 14. f.

In illo témpore: Dixit Jesus turbis: Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et

uxórem, et fílios, et fratres, et soróres, adhuc autem et ánimam suam, non potest meus esse discípulus. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homilia 37. in Evang.

Si considerémus, fratres caríssimi, quæ et quanta sunt, quæ nobis promittúntur in cœlis, viléscunt ánimo ómnia quæ habéntur in terris. Terréna namque substántia supérnæ felicitáti comparáta, pondus est, non subsídium. Temporális vita ætérnæ vitæ comparáta, mors est pótius dicénda quam vita. Ipse enim quotidiánus deféctus corruptiónis quid est áliud, quam quædam prolíxitas mortis? Quæ autem lingua dícere, vel quis intelléctus cápere súfficit, illa supérnæ civitátis quanta sint gaúdia; Angelórum choris interésse, cum beatíssimis spirítibus glóriæ conditóris assístere, præséntem Dei vultum cérnere, incircumscríptum lumen vidére, nullo mortis metu áffici, incorruptiónis perpétuæ múnere lætári?

℟. Coróna aúrea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Expréssa.

Lectio viii.

Sed ad hæc audíta inardéscit ánimus, jamque illic cupit assístere, ubi se sperat sine fine gaudére. Sed ad magna prǽmia perveníri non potest, nisi per magnos labóres. Unde et Paulus egrégius prædicátor dicit: Non coronábitur, nisi qui legítime certáverit. Delécta ergo mentem magnitúdo præmiórum, sed non detérreat certámen labórum. Unde ad se veniéntibus Véritas dicit: Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxórem, et fílios, et fratres, et soróres, adhuc autem et ánimam suam, non potest meus esse discípulus.

℟. Gaudet in cœlis beátus Gregórius Arméniæ Póntifex, glória et honóre coronátus: * Qui pro Christi nómine vários et graves sustínuit cruciátus. ℣. Dedit illi Dóminus fortitúdinem, et usque in senectútem permánsit illi virtus. Qui. Glória Patri. Qui.

Lectio ix. de S. Remigio.

Lectio ix.

Remígius, epíscopus Rheménsis, flóruit Clodovéo rege Francórum, quem étiam baptizávit, et primus ómnium doctrína et miráculis Francos ad Christi Dómini fidem perdúxit. Ejus oratióne mórtua puélla revíxit. Multos interpretátus est divínæ Scriptúræ libros. Amplius septuagínta annos summa cum laude Rheménsem ecclésiam administrávit. Cujus vitæ et mortis sanctitátem multa, quæ consecúta sunt, mirácula comprobárunt.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

et per Horas.

Ant. 1. Gaude Mater Ecclésia: * adsunt festa solémnia Arméniæ Pontíficis, et Mártyris Gregórii.

Ps. **Dóminus regnávit.**

2. **Lápide ad collum ligáto * prædicábat Gregórius Dóminum Jesum Christum.**

3. **Sollícitus pastor * gregis Christi fuit Gregórius, ac strénuus dǽmonum debellátor.**

4. **Idolórum templa * destrúxit, et sanctis Martýribus nóbiles Basílicas ædificávit, allelúja.**

5. **O lux Arméniæ, * qui martýrio coronári, et inter Pontífices numerári digne meruísti!**

Capitulum. Jac. 1.

Beátus vir, qui suffert tentatiónem, quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Hymnus ut in I. Vesperis. **14***

℣. **Justus ut palma florébit.** ℟. **Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.**

Ad Bened. Ant. **O Pastor egrégie Gregóri, lux Arméniæ, qui radiánte lúmine cum Angelórum ágmine Regem vidísti glóriæ! vota precántium súscipe, qui laudes tuas hódie pérsonant, allelúja.**

Oratio.

Deus, qui per beátum Gregórium Pontíficem, et Mártyrem tuum Arméniæ gentis pópulum, regémque veræ fídei lucem recípere tribuísti: da Ecclésiæ tuæ de tantis gaudére triúmphis; et apud te méritis ejúsdem, et précibus adjuvári. Per Dóminum.

Deinde fit commem. S. Remigii.

Ad Horas Ant. de Laudib., cetera de Communi unius Mart.

In II. Vesperis.

Omnia ut in I. Vesperis.

℣. **Justus ut palma florébit.** ℟. **Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.**

Ad Magnif. Ant. **O Gregóri, Martyr Christi, esto memor nostri, ut tuis précibus adjúti ætérna gaúdia mereámur cónsequi, allelúja.**

Deinde fit commem. Ss. Angelorum Custodum, ut in Breviario.

Die 3. Octobris.

Ss. Festi et Sociorum S. Januarii Martyrum.

Semiduplex.

Omnia de Communi plurim. Mart., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Festi, et Sociórum ejus solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Festus sancti Januárii Benevénti epíscopi diáconus, et Desidérius lector, Diocletiáno et Maximiáno in christiános sæviéntibus, ad Timótheum Campániæ præsidem, ob christiánæ fídei professiónem Nolam perducúntur. Ibi comprehénsi, vinctíque una cum eódem epíscopo ante rhedam præsidis Putéolos pertrahúntur et in eúmdem cárcerem, in quo Sósius, Misénas, et Próculus Puteolánus diáconus, Eútyches, et Acútius láici ad béstias damnáti detinebántur, simul conjiciúntur.

℟. **Sancti tui.**

Lectio v.

Póstero die omnes in amphitheátro feris objécti sunt, quæ naturális oblítæ feritátis, ad Ja-

nuárii pedes se prostravére. Id Timótheus mágicis cantiónibus tribuens, cum senténtiam cápitis in Christi Mártyres pronuntiásset, óculis repénte captus,oránte mox beáto Januário lumen recépit: quo miráculo hóminum míllia fere quinque Christi fidem suscepérunt.

℟. Vérbera carníficum.

Lectio vi.

Verum ingrátus judex níhilo placátior factus benefício, sed conversióne tantæ multitúdinis actus in rábiem, véritus máxime príncipum decréta, sanctum epíscopum cum sóciis gládio pércuti jussit. Horum córpora finítimæ urbes, pro suo quæque stúdio certum sibi patrónum ex iis apud Deum adoptándi, sepeliénda curárunt.

℟. Tamquam aurum.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Sedénte Jesu. ut in Brev. die 19. Sept.

Die 4. Octobris.

S. Francisci Assisii Confessoris, Patroni Neapolitani.

Duplex majus.

Omnia ut in Breviario.

Die 5. Octobris.

S. Thomæ a Villanova Episc. et Confessoris.

Duplex.

Omnia ut in Breviario die 22. Sept.

Die 6. Octobris.

S. Mariæ Franciscæ a V Vulneribus D. N. J. C. Virginis.

Duplex.

Omnia de Comm. Virg., præter sequ.

Oratio.

Deus, qui beátam Maríam Franciscam Vírginem imáginis Fílii tui crucifíxi confórmem fíeri voluísti: ejus nobis méritis et intercessióne concéde; ut in eámdem imáginem transformáti in terris, glorificári cum ipsa mereámur in cœlis. Per eúmdem Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

María Francísca a quinque Vulnéribus Jesu Christi honéstis paréntibus Neápoli orta, ab ipsa pene infántia sanctitátis indícia præbuit. Adhuc enim puélla Angelórum panem esuriébat, et Christi Dómini cruciátus mente revólvens, grati ánimi sensu et mœróre afficiebátur. Septénnis ex sacerdótis consílio, qui ei a sacris confessiónibus erat, Eucharístia refécta, Deo prorsus adhǽsit. Quum sextum décimum annum ágeret, cœléstem sponsum anhélans, nulla vi, nulla ratióne addúci pótuit, ut dívites núptias iníret. Igitur aliquánto post, assentiénte patre, domi suæ tértii órdinis sancti Francísci hábitum índuit ex institútis sancti Petri de Alcántara, ac religiósa vota nuncupávit.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Suscépti institúti leges quamvis rígidas perbélle implévit et corpus suum uti hostem dure hábuit. Jejúniis enim, vigíliis, flagéllis, asperrimísque cilíciis ipsum atterébat, licet infírma valetúdine, et aliquándo étiam labóri obnóxia, quo sibi et soróribus consúleret. Neque noctu quiéti se dabat, quum brevem somnum cáperet super

duas tábulas ovína tantum pelle contéctas. Adeo vero pati exoptábat, ut ingravescénte ætáte morbísque attríta, ægre in commodióri lecto jacúerit, quo medicórum ac spíritus sui moderatóris jussa perfíceret. Módico pane vescebátur, cui addébat absínthium. Æquo ánimo injúrias hóminum et convícia, dæmonum vexatiónes perferébat. ℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Virginitátem ita cóluit, ut eam Dei ope suffúlta ab impudéntium insídiis atque apérta vi intáctam servåverit, et jucúndum sæpe spiráret odórem. Ejus cor divíni amóris igne ita æstuábat, ut duas costas perfrégerit. Cœléstibus rebus inténta frequénter in éxtasim est rapta, et quandóque e terra subláta. Deíparam Vírginem uti matrem ex ánimo habébat, et impénse venerabátur. Ægros, ínopes, vexátos qua póterat ratióne reficiébat, solabátur, ac flagitiósos hómines qua hortátu, qua ad Deum effúsa prece, ad bonam frugem reducébat. Supérnis licet cumuláta donis ita de se abjécte sentiébat, ut multis culpis obnóxiam, ac se dignam profiterétur, quam Deus in níhilum redígeret. Diútinis tandem absúmpta morbis patientíssime latis, ad cœléstem sponsum migrávit prídie Nonas Octóbris, annos nata septuagínta septem. Eam post mortem prodígiis claram Gregórius décimus sextus Póntifex Máximus, año millésimo octingentésimo quadragésimo tértio inter beátas Vírgines recénsuit. Pius vero Papa nonus, anno millésimo octingentésimo sexagésimo séptimo, sanctórum fastis adscrípsit.

℟. Afferéntur Regi.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Símile erit regnum cœlórum. de Communi Virg. 1. loco.

Die 11. Octobris.

S. Ludovici Bertrandi Conf.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis die 10. hujus.

Die 12. Octobris.

S. Pulcheriæ Virg. Imperatricis.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis die 11. Sept.

Die 14. Octobris.

S. Fortunatæ Virg. et Mart.

Duplex.

Omnia de Communi Virg. et Mart., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martýrii contulísti: concéde propítius; ut qui beátæ Fortunátæ Vírginis et Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dñm.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Fortunáta Virgo Cæsaréæ in Palæstína nóbili génere nata, fratres hábuit, eosdémque fídei magístros, Carpónium, Evarístum et Prisciánum, quibus una cum áliis in persecutióne Diocletiáni sub Urbáno præside comprehénsis, cum límina cárceris pia soror frequentáret, ut qualecúm-

que valéret, auxílium Christi Confessóribus præbéret, júdici deláta in víncula conjícitur. In iis, tum ímpiæ matris conátus, precésque nefárias, tum præsidis minas, et oblátas fílii núptias, velut hostes fídei ac martýrii, quod únice concupíverat, constantíssime superávit. Cum autem in interióra cárceris penetrália, ubi fratres et sócios detinére cognóverat, a custódibus admítti obtinuísset, ac mútuis sese oratiónibus rerúmque divinárum collóquiis, ad últimum fídei certámen confirmárent; vox de cœlo resónuit, qua ómnium vota nuntiabántur exaudíta, et áliis quidem per levióra torménta, Fortunátæ vero per longe duriórem agónem martýrii coróna spondebátur.

℞. Propter veritátem.

Lectio v.

Sæviénte ígitur Urbáno, fortíssima Virgo capíllis divúlsis, et véstibus per ignomíniam dilacerátis, per urbem circumdúcitur: moxque férreis, acutísque serræ déntibus médiam secáre tortóres aggréssi, carnem ejus divínitus obdurátam, numquam lædere potuérunt. In amphitheátro feris objécta, non modo illæsa permánsit, sed leónem ferocíssimum in præsidem irruéntem, solo império coércuit: quo tamen benefício níhilo mítior rédditus tyránus, talos eídem terebrári, clavísque confígi, ac tandem post equúleum, ignésque superátos, caput amputári præcépit. Ea senténtia primum in fratres executióni demandáta est. Sed cum ad Fortunátam lictor accéderet, visis repénte Angelórum, et Vírginum choris terrefáctus, obríguit ánimo simul, et víribus destitútus. Illa vero repetítis de cœlo vócibus ad corónam evocáta, post brevem oratiónem invíctum spíritum Deo rédditit, et ibídem una cum sanctis frátribus a christiánis sepelítur.

℞. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Sanctórum Mártyrum córpora clam inde subdúcta, transvehéntibus quibúsdam nautis, ecce Angeli de cœlo descendéntes in prora navis consedérunt, Davídicum illud concinéntes: Glória hæc est ómnibus sanctis ejus. Ad hæc mira consternáti quotquot áderant ab ipsámet Fortunáta beatíssima inter Angelos apparénte, bono ánimo jubéntur esse, illos itíneris duces a Deo missos habitúri. Ipsis ítaque præséntibus Campániæ littus felíciter appúlsi sacra Mártyrum lípsana deposuére: quæ plúrimis coruscántia miráculis ibídem támdiu quievére, donec regióne a Vándalis Maurísque devastáta, Stéphanus Neapolitánus epíscopus ea Neápolim transférri curávit, Adriáno primo Summo Pontífice, Constantíno et Iréne imperántibus. Porro, sedénte Pio quarto, venerábiles relíquiæ íterum invéntæ sunt in ecclésia sanctimoniálium sancti Gaudiósi, in qua ad hanc usque diem prídie Idus Octóbris magna pópuli veneratióne colúntur.

℞. Afferéntur Regi.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Símile erit regnum cœlórum.** de eod. Communi 1. loco.

Die 16. Octobris.
S. Callisti Pont. et Martyris.
Duplex.

Omnia ut in Breviario die 14. Oct.

Die 17. Octobris.
S. Irenes Virginis et Martyris ac Patr. Neap.
Duplex majus.
Pro Civitate et Diœc. Neap.

Omnia de Communi Virg. et Mart.

Oratio. **Deus, qui inter cétera.**

In I. Nocturno Lect. **De virgínibus.** de Communi 1. loco.

In II. et III. Nocturno Lectiones de Communi 1. loco.

Vesperæ de S. Luca Evangel. et commem. præced.

Die 24. Octobris.
S. Raphaëlis Archangeli, Patroni Neap. a Civitate tantum elect.
Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 25. Octobris.
Ss. Gavini, Proti et **Januarii** Martyrum.
Duplex.

Omnia de Communi plurim. Mart., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui per beátos Mártyres tuos Gavínum, Protum et Januárium Ecclésiam tuam mirabíliter illustráre dignátus es: concéde nobis fámulis tuis; ut quos patrónos venerámur in terris, intercessóres habére mereámur in cœlis. Per Dóminum.

Et fit commem. Ss. Mm. Chrysanthi et Dariæ in Brev. Ant. et ℣. e Laud.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Protus sacérdos, et Januárius diáconus, Túrribus in Sardínia nati, quo témpore Diocletiánus imperátor insatiábilem crudelitátem in christiános exercébat, Romam profécti, et a Cajo sanctíssimo Pontífice ordináti, atque in Sardíniam revérsi, fidem Christi Túrribus prædicábant, Deíque grátia aspiránte, plures gentíles ad veri Dei cultum perduxérunt, inter quos máxime enítuit Gavínus Románus miles ex præclára (ut fertur) Sabelliórum família: qua de causa bárbari præsidis jussu comprehénsi, diutúrno cárcere maceráti, in equúleo suspénsi, férreis úngulis dilaniáti, variísque tormentórum genéribus vexáti sunt: sed Deo protegénte ab illis illæsi evasérunt.

℟. Sancti tui.

Lectio v.

Mox Protus présbyter in Hérculis ínsulam, quæ Linária vulgo dícitur, tunc nóxiis animálibus refértam, jubénte præside, deportátus fuit, ut a feris devorarétur: ubi cibo, atque omni humána ope pénitus destitútus, multis calamitátibus vexátus fuit: sed divínis laúdibus inténdens, ab eo, qui dat escam esuriéntibus, mirabíliter enutrítus: hoc étiam suis précibus impetrásse dícitur, ut omnes nóxiæ feræ in ea ínsula, ac vicína Sardínia, usque in præséntem diem exstínctæ omníno fúerint. At vero Januárius júnior, donis et blandítiis tentátus, ut a fide defíceret, in ejus confessióne

imóbilis perseverávit. Quare præses novis eum torméntis simul cum Proto, quem ab exsílio revocáverat, subjécit, et Gavíno míliti utrúmque trádidit custodiéndum. Porro Gavínus ab ipsis ad Christum convérsus, et aqua salutári ablútus, líberos illos dimísit, quod insóntes eos, et sine causa vinctos díceret.

℟. Vérbera carníficum.

Lectio vi.

Id cum Tyránno innotuísset, suasiónibus et illécebris ad idolórum cultum Gavínum revocáre conátus est: quem in suscépta religióne constantíssimum repértum, capitáli senténtia puníri mandávit in Portu Balágai. Quo loco étiam Protus et Januárius, qui in suburbáno Túrrium loco laténtes, ab ipso Gavíno in visu ad martýrii palmam invitáti fúerant, decolláti sunt die vigésima quinta Octóbris. Horum córpora, tyránno imperánte, in mare projécta, mox ab íncolis christiánis juxta littus repérta, et in ecclésia magnificentíssime exstrúcta, ac eórum nómine consecráta, collocáta fuérunt, ubi a toto Sardíniæ regno, et præcípue a província Turritána, quæ in honórem sancti Gavíni mensem Octóbris sanctum Gavínum appéllat, ingénti concúrsu, et pópuli veneratióne colúntur.

℟. Tamquam aurum.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Cum audiéritis prǽlia. de Communi 1. loco.

Lectio ix. de Ss. Mart. Chrysantho et Daria, cum commem. in Laudibus Ant. et ℣. e I. Vesp.

Die 26. Octobris.

S. Quod-vult-Deus Episcopi et Confessoris.

Duplex.

Omnia de Communi Confess. Pont., præter sequentia.

Oratio.

Da, quæsumus, omnípotens Deus: ut beáti Quod-vult-Deus Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas et devotiónem nobis aúgeat et salútem. Per Dóminum nostrum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Anno Dómini quadringentésimo trigésimo séptimo, ad Carthaginénsem respíciens ecclésiam Deus, ex ejus clero et ex probátis Aurélii alúmnis, Quod-vult-Deus sibi elégit, cui eam in máximis perículis regéndam commítteret. Præcéperat enim Genserícus, ut epíscopos de suis ecclésiis et sédibus effugárent, et si optióne propósita exíre tardárent, servi perpétuo remanérent. Decréverat étiam, ut unusquísque auri, argénti, gemmárum vestimentíque pretiósi quodcúmque habéret, afférret.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Paulo post, antístes Quod-vult-Deus, homínibus et Deo maniféstus, et máxima turba clericórum, návibus fractis impósiti nudi atque exspoliáti expélli jussi sunt. Sed Dóminus, suæ miseratióne bonitátis, próspera navigatióne cunctos Neápolim Campániæ civi-

tátem perdúcere dignátus est. Ibi piórum hospítiis liberáliter hábitus, labórum et miseriárum quiétem dedígnans, vir sanctus quotídie pro pátria et ecclésia sua, cum frátribus, Deo supplicábat ne tot cathólicos pópulos diútius Ariánis hóstibus suis servíre paterétur.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Ut autem míseros servitúte oppréssos solátio áliquo affíceret, nonnúllas ad ecclésiam suam lítteras misit, hortans fílios ad imitándam majórum constántiam et patiéntiam. Dénique magnárum virtútum laude adornátus in exsílio, a morte cœléstes honóres méritus est. Honóris causa, consignátum in Kalendário véteri marmóreo légitur: Depositio sancti Quodvult-Deus epíscopi, qui Neápoli decéssit.

℟. Iste est qui.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Homo péregre. de Comm. 1. loco.

Eadem die.

B. Bonaventuræ a Potentia
Confessoris.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui in beáto Bonaventúra Confessóre tuo exímium obediéntiæ exémplum constitúere dignátus es: præsta, quæsumus; ut ejus imitatióne voluntátem nostram abnegántes, mandátis tuis perpétuo inhærére valeámus. Per Dñm.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Bonaventúra piis, et honéstis paréntibus Poténtiæ in Lucánia natus, adhuc puer modéstia vultus, solitúdinis amóre, et oratiónis stúdio, quanta futúrus esset sanctitáte jam inde præmonstrávit. Adoléscens, ut árctius Deo adhæréret, eíque libérius inservíret, inter Minóres Conventuáles recenséri obtínuit. Cum vero illum post emíssam professiónem ad sciéntiam sanctórum vocári superióres prænóscerent, a philosóphicis stúdiis jam incœptis, et a scholásticis concertatiónibus evocárunt, ut ei contemplatiónis dono uni Deo vacáre licéret. Quare Amálphim missus, ut ibi moderatóri spíritus probatíssimo óperam daret, eo magístro, admirándum in modum in virtútibus ómnibus profécit: in id potíssimum incúmbens, ut perfécta sui abnegatióne Christo fíeret confórmis. Obediéntia præsértim ádeo fuit exímius, ut sibi mórtuus, et omnem judícii sui discretiónem exútus, sola præcipiéntis voce ad árdua quæque, et prope impossibília exsequénda alácriter evoláret.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Sacris initiátus, animárum salúti procurándæ se pénitus addíxit, prædicatióni verbi Dei, et puerórum institutióni in rebus fídei. In confessiónibus excipiéndis, licet váriis, molestísque morbis afféctus, ad últimum usque vitæ assíduus perdurávit: ad infírmos extrémo agóne constitútos, quacúm-

que adirétur hora, ímpiger accurrébat. Erga paúperes mira caritáte flagrans, ut eos refíceret, non solum suo, licet tenuíssimo, cibo abstinébat, verum ab áliis subsídia emendicándo comparábat, et non semel piis largitiónibus óleum, et panes miráculo multiplicávit. Carcéribus deténtos, ut ad pœniténtiam excitáret, frequénter adíbat, nulli parcens labóri, ut temporáli simul, et ætérnæ proximórum utilitáti prospíceret. Tot curis distráctus, ab oratióne tamen ánimum non remittébat, sólitus in adoratióne sanctíssimæ Eucharístiæ sacraménti, et domínicæ passiónis contemplatióne (quibus mystériis magnópere afficiebátur) noctes insómnes tradúcere. Hinc factum est, ut soli Deo adhærens, et mundána ómnia contémnens, præclárum exstíterit religiósæ perfectiónis exémplum, paupertátis præcípue, numquam tam lætus, quam cum victum mendicáre cogerétur. Abstinéntiæ ítidem, et pœniténtiæ fuit austeritáte singulári, nam jejúnia illi contínua fuére, et síngulis fere nóctibus in se ipsum flagéllis ácriter insæviébat. Nec nisi gravi infirmitáte léctulo usus est, nam brevem somnum humi, vel super nudam tábulam cárpere consuéverat.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

Hujúsmodi córporis maceratiónibus, tamquam mórtuum grani fruméntum, multum fructum áttulit. Quamvis enim in simplicitáte sermónis ad pópulum loquerétur, tamen vivus erat sermo ejus, et éfficax. Quaprópter plúrimos pérditos peccatóres, et impudícas mulíeres, in ínsula præsértim Ænária, Christo lucrifécit, Deo præclaríssimis donis apostólicos servi sui labóres prosequénte: nam sæpe in éxtasim rapi visus est, prophetíæ spíritu multa prædíxit, et grátia curatiónum morbos vários derepénte sanávit. Inde Neápolim remíssus, cum ibi in caritátis, et pietátis offíciis totus esset, ingravescénte jam tumóre, quo in genu jámdiu laboráverat, hórrida chirurgórum instruménta, et candéntium laminárum adustiónes ad pœniténtiæ exercítium immóbilis tolerávit. Ubi conváluit, Ravéllum proféctus est, ibíque satis supérque méritis refértus, mortis témpore prænuntiáto, sacraméntis devotíssime suscéptis, psalmos et hymnos dúlciter cóncinens, lætus obdormívit in Dómino, die vigésima sexta Octóbris, anno millésimo septingentésimo undécimo, ætátis suæ sexagésimo primo. Statim post mortem multa sunt patráta mirácula, inter quæ illud circumfértur, quod próxime tumulándus, cum portitóres ante tabernáculum venerábilis Eucharístiæ pertransírent, ipse exstínctos óculos apéruit, et cunctis cernéntibus, ac stupóre percúlsis, caput in veneratiónis signum inclinávit. Quibus aliísque signis rite probátis, eum Pius sextus Póntifex Máximus beatórum albo recénsuit.

℟. Iste homo.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Sint lumbi.** de Communi.

Lectio ix. et commem. S. Evaristi in Laudibus.

Die 29. Octobris.

S. Gaudiosi Episc. et Conf.

Duplex. (**m. t. v.**)

Omnia de Communi Conf. Pontif., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Gaudiósum Confessórem tuum atque Pontíficem per maris undas fractis návibus oberrántem mirabíliter adduxísti: ejus nobis intercessióne concéde; ut ab hujus vitæ flúctibus edúcti ad ætérnæ salútis portum felíciter perveníre mereámur. Per Dóminum nostrum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Séptimus Cœ́lius Gaudiósus Abitínæ Epíscopus unus fuit e beáto Confessórum número, quos una cum sancto Quod-vult-Deus Carthaginénsi Antístite, circa annum quadringentésimum trigésimum nonum, ex Africa éxpulit Genseríeus Wandalórum Rex Ariánus, qui crebris sacerdótum exsíliis omne cathólicis pópulis subsídium ibídem eripiébat. Gaudiósus ígitur, multíque álii ómnium órdinum clérici, quorum fides labefactári mínime pótuit, rebus ómnibus orbáti, nulláque humána spe suffúlti, díssutis návibus impósiti, ventórum fluctuúmque arbítrio commíssi sunt, certo quidem naufrágio peritúri. Misericors autem Deus naves próspera navigatióne ad Campániæ littus addúxit, quæ Neápolim felíciter appulérunt.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Tunc témporis Neapolitánam Ecclésiam regébat beátus Nostriánus, qui Gaudiósum ceterósque éxsules liberáliter excépit, hospítio fovit, urbémque suam illis ceu novam pátriam exhíbuit. Gaudiósus ábditam urbis partem sibi delégit, ibíque cœnóbium, cui póstea sanctus Agnéllus Abbas prǽfuit, cóndere stúduit, magnáque virtútum laude meritísque clarus, glória confessiónis céleber, migrávit ad Dóminum. Ejus nomen in véteri Neapolitanórum marmóreo Kalendário bis consignátum légitur; sexto enim Kaléndas Novémbris ejus deposítio recólitur, quarto autem Idus Júlias tam ipsíus beáti Gaudiósi quam sociórum ejus natális recensétur. ℟. Pósui.

Lectio vi.

Beáti Gaudiósi corpus extra mœ́nia arcuáto túmulo sepúltum est, qui musívo ópere conféctus adhuc vísitur; sacrúmque cœmetérium circa eum more majórum sensim incrévit, optántibus cívibus prope ejus cryptam quiéscere; quæ deínde in basílicam evásit modo sancta María de Sanitáte nuncupátam. Póstea sanctórum Gaudiósi, Quod-vult-Deus ac sociórum sacra lípsana in urbem illáta, et in templo Sanctimoniálium, quod in ejus honórem Stéphanus Neapolitanórum Antístes et Dux sǽculo octávo constrúxit, cóndita sunt, donec anno millésimo septingentésimo nonagésimo nono, templo flammis incénso, in Ecclésiam Cathedrálem transláta háctenus ibídem asservántur.

℟. Iste est qui.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 14.

In illo témpore: Cómpulit Jesus discípulos suos ascéndere in navículam et præcédere eum trans fretum donec dimítteret turbas. Et réliqua.

Homilía S. Joánnis Chrysóstomi.

(Cum de expuls. ejusd. S. Joañ. agerctur.)

Multi quidem fluctus et undæ immánes: sed submérgi non véreor, quia supra petram sto. Insániat licet mare, petram non potest commovére; insúrgant quantúmlibet fluctus, navis Jesu óbrui non potest. Sed quid putant? Ne mortem vérear, cui vívere Christus est et mori lucrum. Ne exsílium pertiméscam, qui nóverim Dómini esse terram et plenitúdinem ejus. Sed bonórum proscriptiónem métuam, qui sciam quod nihil intúlerim in hunc mundum, sed neque auférre quid possim. Quidquid terróris habet mundus, contémno, quidquid delectábile habet, rídeo. Divítias non cúpio, paupertátem non horrésco, mortem non tímeo. Vita enim mihi ad vestrum proféctum tantúmmodo dúcitur, sed caritátem vestram precor, ut æquo ánimo sitis, nemo enim nos a vobis póterit divéllere, quos enim Christus conjúnxerit, homo non separábit.

℟. Amávit eum.

Lectio viii.

Nihil quæso pertúrbet vos eórum quæ agi vidétis. Ponámus ante óculos nostros Petrum super aquas incedéntem, et parum quid hæsitántem, atque ob hoc paúlulum periclitántem, non propter poténtiam flúctuum, sed propter infirmitátem fídei. Numquid humána voluntáte huc vénimus aut propter hómines huc prodúcti sumus? Et hæc non arrogánter loquor, neque jactántia agitátus, sed ánimos vestros, qui forte turbántur, cúpio confirmáre. Non ego própria virtúte confído, hábeo scriptúram Dómini mei, manum ipsíus téneo, illa mihi caútio satis tuta est, illa me secúrum reddet et intrépidum, etiámsi orbis terræ commoveátur, ego cautiónem Dómini mei téneo. Lego manum ejus, ipsa mihi murus est inexpugnábilis. Vultis vobis récitem Dómini cautiónem? Ecce, inquit, vobíscum sum ómnibus diébus usque ad consummatiónem sǽculi. Christus mecum est, quem timébo? Etiámsi fluctus insúrgat, etiámsi totum pélagus advérsum me conturbétur, etiámsi príncipum furor, ómnia mihi illa aráneæ sunt, et aráneis fragilióra.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Ubi ego sum, ibi et vos éritis; et ubi vos estis, ibi ero et ego. Unum corpus sumus, neque caput a córpore, neque corpus a cápite separábitur, etiámsi loco divídámur, sed caritáte conjúngitur; ego a vobis nec morte divéllar. Nam etsi corpus meum moriátur, ánima mea vivit, et memóriam vestri tenébit. Vos estis mihi patres, vos mihi mater, vos mihi vita, vos mihi grátia; si vos profícitis mihi placébit. Vos estis coróna mea et diví-

tiæ meæ, vos estis thesaúrus meus. Ego míllies pro vobis immolári parátus sum; et nec grátia mihi in hoc est, sed débitum reddo. Bonus enim pastor debet ánimam suam pro óvibus suis pónere; hujúsmodi enim mors immortalitátem parit.

Te Deum laudámus.

Die 30. Octobris.

S. Maximi Martyris.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart., præter sequentia.

In utrisque Vesperis.

Hymnus.

Jamjam decórus lúmine
Dies renídet aúreo:
Jam géstiunt, jam péctora
Sanctis beántur gaúdiis.

Hic et trophǽa Máximi,
Sonántque laudes ínclytæ:
Hic illi honóres débiti
Dicúntur, atque laúrea.

Athléta fortis pértulit
Iram, atque tortóris minas,
Trucísque contémptor necis
Suum profúdit sánguinem.

At immolávit hóstiam
Quæ mentem adússit cáritas,
Hinc summi amóre Núminis
Suórum et arsit cívium.

Deo Patri sit glória
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclyto,
Nunc et per omne sǽculum.
Amen.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui beátum Máximum Mártyrem tuum per signum Crucis torménta superáre fecísti: concéde propítius; ut ejus intercessióne ómnia adversántia superémus, et redemptiónis tuæ fructus percípere mereámur. Qui vivis et regnas.

Ad Matutinum.

Hymnus.

Martyr cruénta vérbera
Perpéssus est et víncula,
Crebrísque tunsus íctibus
Virgas et ignem pértulit.

Immóta mens stetit tamen,
Quæ réspuit truces minas,
Et fraudulénta prǽmia
Quæcúmque prætor óbtulit.

Crux robur ejus péctori
Signáta fronte præbuit:
Hæc rebus una in ásperis
Vires secúndas áddidit.

Stupétque jure tália
Manus profána mílitum,
Ritúsque turpes géntium
Mutáta gestit línquere.

Certámen instat últimum:
Minístra sæva cǽdium
Caput secúris ámputat,
Diróque mergit fúnere.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio
Cum Spíritu Paráclyto
Nunc et per omne sǽculum.
Amen.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Quum Diocletiánus et Maximiánus imperárent, ubíque persecutióne in Christi fidéles sæviénte, Fabiánus præses Cumas missus, nihil prætermísit,

ut ad deórum cultum omnes traduceréntur. At Máximus se múniens signo Crucis prǽsidem ádiit, impietátem exprobrávit. Quamóbrem cum ille ira exarsísset, Christi martyr, plumbátis primum contúsus, conjéctus est in víncula, nihílque ei cibi per decem dies omníno datur. Quum essent ibi fere ducénti, Angelo cárceris jánuam aperiénte, víncula ómnium solúta sunt. Fit terræmótus: voces psalléntium audiúntur. Illi obstupefácti repénte ad ipsíus pedes provolúti baptísmum petiérunt: ac Máximi précibus ad Deum fusis, Maxéntius Epíscopus, qui Fabiáni crudelitátem extiméscens latébat, divínitus excitátus e somno et ad cárcerem ádvolans, omnes baptizávit, qui áliquot post dies martýrii corónam sunt adépti.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Hoc quum prǽsidi nuntiátum esset, unum Máximum sisti sibi jussit; carbonibúsque multis accénsis: Nisi senténtiam mutáveris, ait, pédibus tibi per hos incedéndum est. Nihil commótus athléta Christi, seque Cruce signans, íntegor intactúsque per subjéctum ignem ambulávit. Mox equúleo torquétur, qui tamen, imploráto a Máximo divíno auxílio, confráctus est. Quod quum mágicis ártibus tribuerétur, immo, inquit Máximus, arcésse a platéa infántem, ut ex ejus ore aúdias, quid sit de Christiána Religióne sentiéndum. Própere infans triméstris addúctus mirum in modum voces édidit, idóla exsecrátus est et Christum unum verum Deum prædicávit. Quamóbrem tortus, martýrio est coronátus.

℟. Desidérium ánimæ.

Lectio vi.

Institit persecútor, atque invérso cápite Máximum suspéndit. Post septem dies cum spectátum octódecim mílites veníssent, repénte óculis capti sunt. At his, oránte Máximo, restitútis, et baptizáti sunt et gládio étiam pro Christo percússi. Deínde Fabiánus Mártyris latéribus faces admovéri jussit, quibus ipsi nihil nócitum est, ac multi minístri conflagravérunt, plurésque qui áderant Christi fidem suscepérunt. His actis in cárcerem íterum inclúsus est, ac deínde paucis post diébus edúctus flagellísque contúsus, ad extrémum abscísso cápite prope Cumas, martýrii palmam est consecútus, et in via Gaballária sepúltus. Pópuli frequéntia, quæ conflúxerat, ipsíque mílites tantam Mártyris constántiam admiráti, quum vidíssent étiam terræmótum insecútum, ad Christum convérsi sunt. Post annos quíndecim Máximus cuídam Juliánæ in somnis appárens, inquit se velle in urbe sepelíri, ubi vidéret Crucem, eam ostensúram locum sepultúræ. Ita fácile corpus íntegrum invéntum, magnáque celebritáte in urbem illátum est, ut Martyr imperáverat. Demum evérsis Cumis, corpus Neápolim translátum est, et in Cathedráli Ecclésia religióse asservátur.

℟. Stola jucunditátis.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Si quis venit.** de Communi 1. loco.

Quando ob aliquam causam non dicitur Hymnus in I. Vesp., tunc ille ponitur ad Matutinum, et Hymnus Matutini substituendus est in Laud.

Dominica II. Octobris.
Maternitatis B. Mariæ V.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis Domin. II. Octobris.

Dominica III. Octobris.
Puritatis B. Mariæ Virg.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis Dominica III. Octobris.

Ubi Officium de Puritate B. M. V. fit sub ritu duplici 2. class. cum Oct., die Octava fit ut in die Festi, exceptis Lectionibus I. Nocturni, quæ fiunt de Scriptura occurrente.

Dominica IV. post Kalendas Octobris.
B. Mariæ Virginis sub titulo Auxilium Agonizantium.

Duplex majus.

Omnia ut in Festis B. M. V. etiam Lectiones trium Noct.

Oratio.

Deus, qui unigénito Fílio tuo pendénti in Cruce pro animárum salúte ejus genitrícem Vírginem Maríam adésse voluísti; fac ut nos in extrémo vitæ perículo constitúti, ejus intercessióne adjuvémur, et ætérna prǽmia cónsequi mereámur. Per eúmdem Dñm.

Die 9. Novembris.
S. Agrippini Episc. et Patr. Neap.

Duplex majus.

Omnia de Communi Conf. Pont., præter sequ.

Oratio.

Deus, qui gregem tuum ab insídiis hóstium fídei beáti Agrippíni, Confessóris atque Pontíficis, pastoráli sollicitúdine præservásti: dignáre, quǽsumus, ejúsdem suffragántibus méritis, inter oves tuas nos perpétuo custodíre. Per Dóminum nostrum.

In I. Vesperis fit commem. diei Oct. omnium Sanctorum, et S. Theodori Mart. ut in Brev.

In I. Nocturno Lect. **Fidélis sermo.** de Communi.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Agrippínus Neápoli in Campánia natus, a prima ætáte christiánis mystériis, boníisque móribus imbútus, futúræ sanctitátis spécimen dedit. Orbátus paréntibus, Christi consílium secútus, vix sibi necessáriis reténtis, bona paupéribus elargítus est; patérna étiam domo in oratórium convérsa, eo sita in loco, in quo póstea exstrúcta basílica beáti Agrippíni nómine dedicáta est. In demórtui Neapolitáni antístitis, Antoníno Pio imperánte, ad celsiórem locum evéctus, præcláris magis magísque virtútibus emícuit, quíbus ántea in priváta vita tam mire effúlserat.

℟. **Invéni David.**

Lectio v.

In pastoráli offício omnes conátus eo inténdit, ut divínus cultus augerétur, et christiána relígio illibáta floréret; eo potíssimum témpore, quo hærétici falsis doctrínis pérdere ánimas, et Christi oves mactáre contendébant: ad

quos confutándos sanctus Soter Póntifex Máximus salutárem dedit epístolam, ádmonens Agrippínum, aliósque Campániæ prǽsules, ut pervígiles cavérent, ne clandestína perfídiæ lues commíssos in greges grassarétur. Quod sanctus antístes et prædicatióne divíni verbi, et exémplo integérrimæ vitæ solertíssime prǽstitit; multíque infidéles divínitus permóti, ejus ópera veri Dei cultum, purámque religiónem suscepére.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Sic ætáte, labóribus plúrimis, mirísque virtútibus exácta, migrávit ad Dóminum, multis ante et post óbitum miráculis effúlgens, quinto Idus Novémbris, secúndo post Christum natum sǽculo, sepultúsque in cœmetério extra mœ́nia, unde in sancti Salvatóris templum translátus est, confluéntibus ad ejus sepúlchrum cultóribus fama sanctitátis et prodigiórum addúctis. Cum præsértim visus quandóque fúerit una cum beáto Januário adésse sancto Sevéro moriénti, et civitáti obséssæ auxílium ferre de cœlo, idcírco Neapolitáni cives, alíique finítimi basílicas, et óppida insigníta Agrippíni nómine ædificárunt. Cujus sacrum corpus sub ara máxima príncipis ecclésiæ nunc veneratióni habétur.

℟. Iste est qui.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Vigiláte, quia nescítis.** de eodem Communi 2. loco.

Lectio ix. de S. Theodoro Mart. cum ejus commem. in Laud.

Die 13. Novembris.

S. Stanislai Kostkæ Conf.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 15. Novembris.

S. Leopoldi Confessoris.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pont., præter sequ.

Oratio.

Deus, qui sanctum Leopóldum ex principátu, et curis sǽculi hujus immaculátum ad regnum cœléste traduxísti: concéde propítius tua cleméntia; ita nos per hæc temporália dírigi, ut ætérnæ vitæ consórtes éffici mereámur. Per Dóminum nostrum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Leopóldus Aústriæ márchio, singulári præcónio pietátis, quæ in eo mirífice elucébat, Pius cognominátus, in primo statim ætátis flore ea virtútum inítia concépit, quæ annórum progréssu in insígnem vitæ sanctitátem effloruérunt. Erat enim in júvene cum Dei timóre præclára intégritas, continéntia, et humílitas; in viro justítia, misericórdia, sapiéntia, et præcípuus religiónis cultus. Patre Leopóldo defúncto, et principátus regímine suscépto, curis licet conjugálibus implícitus, et tam doméstícis, quam públicis negótiis impedítus, sédulo tamen pietátis et misericórdiæ múnera súbiens, lassos roborábat, oppréssos sublevá-

bat, ínopes fovébat, inter multíplices regéndi sollicitúdines, totque labórum stúdia, immaculátum sese ab hoc sǽculo custodiébat, temporália tractándo, ætérna dispónens.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Hic princeps sacerdótes virósque religiósos ádmodum cóluit: summos quoque Pontífices tanta veneratióne prosecútus est, ut ab Innocéntio secúndo Románo Pontífice peculiáris sancti Petri fílius appellarétur. Duo monastéria celebérrima Claustroneoburgénse, et sanctæ Crucis in valle nemorósa constrúxit, et amplíssimis cénsibus dotávit. Melicénse quoque a se instaurátum magno cum sumptu illustrávit. Post hujúsmodi præclára suæ erga Deum pietátis monuménta, cum Aústriæ principátum quadragínta annis laudabíliter rexísset, anno Dómini millésimo centésimo trigésimo sexto, vita sancte functus, atque sacraméntis munítus, e terris ad cœléstem Jerúsalem transívit.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

Ejus corpus Claustroneobúrgi cónditum innúmeris miráculis cláruit, quibus Deus tanti viri sanctitátem mundo declarátam vóluit. Nam ad Leopóldi invocatiónem ejúsdem méritis et précibus mórtui suscitáti, cæci illumináti, surdis audítus, mutis loquéndi facúltas, claudis gressus, váriis morbis laborántibus sánitas, vinctis libértas restitúta: álii quoque áliam ejúsdem opem mirabíliter expérti sunt. Quibus claríssimis sanctimóniæ documéntis rite cógnitis, Innocéntius octávus Leopóldum sanctórum catálogo adscrípsit. Ejus sacra ossa e túmulo, Maximiliáno primo imperatóre, transláta, in eádem Claustroneoburgénsi ecclésia cum débito honóre asservántur.

℟. Iste homo.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 19. b.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum, et revérti. Et réliqua.

Homilía Venerábilis Bedæ Presbýteri.

Ex Comm. in Luc. l. 5. c. 78.

Homo nóbilis ille est, cui cæcus supra clamábat: Fili David miserére mei; et veniénti Hierosólymam concinébat: Hosánna fílio David: Benedíctus qui venit in nómine Dómini, Rex Israël: longínqua région Ecclésia est ex géntibus, de qua eídem hómini nóbili, qui lóquitur: Ego autem constitútus sum rex ab eo, dícitur a Patre: Póstula a me, et dabo tibi gentes hæreditátem tuam et possessiónem tuam términos terræ. Quæ vídélicet hæréditas ac posséssio, bifária ratióne régio longínqua vocátur: vel quia a fínibus terræ clamat ad Dóminum, vel quia longe est a peccatóribus salus. Et cum Deus ubíque sit præsens, longe tamen ab eórum sensu, qui idóla colunt, Deus verus abest.

Sed qui erant longe, facti sunt prope in sánguine Christi.

℟. **Iste est qui.**

Lectio viii.

Vocátis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas: denárius númerus ad legem pértinet propter Decálogum. Vocat ítaque paterfamílias decem servos, quia éligit discípulos per lítteram legis imbútos. Dat illis decem mnas, quia dicta legis spirituáliter intelligénda revélat: post passiónem quippe resurrectionémque suam apéruit illis sensum, ut intellígerent Scriptúras. Mina namque, quam Græci mnam vocant, centum drachmis appénditur, et omnis Scriptúræ sermo, qui vitæ cœléstis perfectiónem súggerit, quasi númeri centenárii póndere fulgéscit.

℟. **Sint lumbi.**

Lectio ix.

Et ait illis: Negotiámini dum vénio: Verba, inquit, legis ac Prophetárum, mýstica interpretatióne discússa, pópulis offérte, atque ab eis fídei confessiónem morúmque probitátem recípite, juxta quod Psalmísta suis auditóribus præcipit, dicens: Súmite psalmum, et date týmpanum; hoc est, laudem prædicatiónis in cordis intentióne percípite, et devotiónem óperis in carnis castigatióne redhibéte. Týmpanum quippe est pellis in ligno exténta; pellis vero in ligno exténta caro est nostra ad exémplum Domínicæ crucis afflícta.

Te Deum laudámus.

Die 28. Novembris.

S. Jacobi de Marchia Confess. Patroni Neapolitani.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

In I. Noct. Lect. **Justus si morte.** de Communi 1. loco.

Die 29. Novembris.

S. Emygdii Episc. et Mart.

Duplex.

Omnia de Comuni unius Martyris, præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Emýgdium Mártyrem tuum atque Pontíficem, idolórum victória et miraculórum glória decorásti: concéde propítius; ut eo interveniénte malórum spirítuum fraudes víncere, et coruscáre virtútibus mereámur. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Emýgdius e nóbili Francórum prosápia Tréviris natus, año ætátis vigésimo tértio, paréntibus idolólatris frustra obstántibus, fidem Christi suscépit, et constantíssime proféssus est. Cum tribus discípulis Euplo, Germáno et Valentíno vitam duxit: humánis spretis oblectaméntis, rebus divínis plénius incumbébat: erga próximum caritátis ardóre æstuábat; idcírco ad procurándam multórum salútem Romam se cóntulit. Hospítio excéptus in ínsula Tíberis, hóspitis fíliam per quinquénnium immedicábili morbo languéntem baptísmo sanávit.

℟. **Honéstum fecit.**

Lectio v.

Mox óculis cæci coram pópulo signo crucis apértis, a multitúdine eum fílium Apóllinis credénte, in templum Æsculápii rápitur. Ibi Christi servum se proféssus, ejus invocatióne magnum númerum ægrórum, nequídquam idóli opem implorántium, valetúdini restítuit, aras díruit, Æsculápii signum confráctum in Tíberim projécit. Quibus rebus, et mille trecentórum gentílium, præter Æsculápii sacerdótes, conversióne inde secúta, irritáti Posthúmii Titiáni præfécti urbis minas, Angeli mónitu declínans, sanctum Marcéllum Pontíficem ádiit, a quo epíscopus ordinátus, et Asculum missus est. ℟. Desidérium ánimæ.

Lectio vi.

Multis in itínere miráculis ingénti multitúdine Christo adjúncta, simul ac Asculum Emýgdius pervénit, dǽmones e simulácris idolórum per cuncta fana ejulátibus éditis, peregrínum dolóris sui causam indicárunt: quem cum concitáta plebs ad cædem quǽreret, éxcitus tumúltu Polýmius civitátis præses eum ad se vocátum multis, sed írritis verbis, ad Jovis et Angáriæ deæ Asculi patrónæ veneratiónem hortátur, promíssis étiam in prǽmium núptiis própriæ fíliæ Polýsiæ, quam Emýgdius ad Christum convérsam baptizávit, et post eam mille et sexagínta hómines, edúcta e saxo per ingens miráculum aquárum cópia. His in rábiem actus Polýmius sancto epíscopo caput abscídit; quo facto, truncus ejus mirabíliter eréctus abjéctum humo próprium caput attóllens mánibus per spátium tercentórum pássuum ad oratórium portávit; inde ad templum máximum translátum est, ubi magna religióne Asculáni pópuli, et concúrsu externórum hanc usque in diem cólitur. Incidit ejus beáta mors persecutióne Diocletiáni duránte.

℟. Stola jucunditátis.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Si quis venit ad me.** de Communi 1. loco.

Dominica post Octavam omnium Sanctorum.

Patrocinii B. Mariæ Virg.

Duplex majus.

Omnia ut in fine Breviarii.

Dominica III. Novembris.

B. V. Mariæ Fontis Gratiarum.

Duplex majus.

Omnia ut in Festis B. M. V. etiam Lectiones trium Noct.

Officia votiva de præcepto.

Feria V.

De Ss. Sacramento.

Semiduplex.

Omnia ut in Officio votivo.

Sabbato.

De Immaculata Conceptione B. M. V.

Semiduplex.

Omnia ut in Officio votivo.

De S. Januario Episc. et Mart.

Semel in mense semid.

Omnia ut in ejus Festo, die 19. Sept.: sed Lectiones I. Noct. de Scriptura occurrente.

Per annum in Suffragiis.

Comem. **S. Januarii** Episc. Mart. post Commem. Ss. Apost.

Ad Laudes. Ant. **Igne me Dómine examinásti, et non est invénta in me iníquitas: propter hoc lætátum est cor meum, et exsultávit lingua mea.**

℣. **Posuísti Dómine super caput ejus.** ℟. **Corónam de lápide pretióso.**

Ad Vesperas. Ant. **Liberásti me Dómine a rugiéntibus præparátis ad escam, et a pressúra flammæ, quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuátus.**

℣. **Magna est glória ejus in salutári tuo.** ℟. **Glóriam et magnum decórem impónes super eum.**

Oratio.

Majestátem tuam Dómine súpplices exorámus: ut sicut nos júgiter beáti Januárii Mártyris tui atque Pontíficis commemoratióne lætíficas, ita semper supplicatióne deféndas.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 19. Septembris 1889.

G. Erlenborn, Vic. in Spirit. Gener.

Index alphabeticus.

Sumptibus et Typis Fr. Pustet, S. Sedis Apost. et S. Rit. Congr. Typogr.



PROPRIUM SANCTORUM
PRO SICILIÆ REGNO.

PARS HIEMALIS.

Die 4. Decembris.
S. Barbaræ Virg. et Mart.
Duplex.

Omnia de Communi Virg. et Mart., præter sequentia.

Oratio. Deus, qui inter cétera.

Et fit commem. Feriæ Advent. in utrisque Vesp. et in Laud.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.
Lectio iv.

Bárbara Virgo Nicomedíæ in persecutióne Július Maximíni passa est. A patre síquidem Dióscoro, viro nóbili, sed gentíli, in alta et muníta turri, ob egrégiam ejus pulchritúdinem, custodiénda inclúditur. Ubi bálneum, et duas fenéstras, quibus lumen exciperétur, in ea fíeri jubet. Bárbara vero, absénte patre, tértiam addi fenéstram, et labri paviméntum crucis imágine ornári vóluit. Revérsus pater de tértia fenéstra quærit. Virgo occasiónem nacta, de sacrosánctæ Trinitátis mystério multa apérte et divíne disséruit, ac plúribus verbis ad salutárem Christi fidem patrem est cohortáta.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

At pater non solum suæ impietátis stímulis, sed étiam máximo Cæsaris timóre addúctus, qui fidem Christi immániter persequebátur, fíliam modis ómnibus nítitur ad idololatríam revocáre. Cumque id cónsequi non posset, Provínciæ præsidi eam trádidit. Qui primum vírginem blandítiis aggréssus, ubi se vidit nihil effícere, nudam nervis búbulis crudéliter cædi, dein præacútis téstulis vúlnera perfricári ímperat. Post hæc in cárcerem tráditur, ubi claríssima luce, et Christi Dómini præséntia ad réliqua subeúnda certámina miríﬁce confirmátur.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Sed cum íterum præsidi sisterétur, et constántior in fídei conféssióne persísteret, férreis úngulis dilaniátur, latéribus ardéntes

faces admovéntur, caput férreis málleis contúnditur, mamíllæ præscindúntur, diréptis véstibus ignomíniæ causa, per pública loca perdúcitur. Quibus torméntis fórtiter et invícte superátis, tandem a patre impietátis furóre aménte, cápite truncáto, gloriósum martýrii agónem consummávit.

℞. Afferéntur Regi.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Símile erit regnum cœlórum. de Communi Virg. 1. loco.

Die 8. Decembris.

Immaculatæ Concept. B. M. V.

Duplex 1. class. cum Oct.

Omnia ut in Brev. eadem die.

Die 9. Decembris.

Ss. Eustotii, Proculi et **Golbodæi** Mart. Civium Panormit.

Duplex 2. classis.

Omnia de Communi plurim. Mart. præter sequentia.

Oratio.

Excélsa nos, Dómine, sanctórum Mártyrum tuórum Eustótii, Próculi et Golbodæi coróna lætíficet, quæ et fídei nostræ præbeat increménta virtútum, et multíplici nos suffrágio consolétur. Per Dóminum.

In I. Nocturno.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio i. Cap. 10.

Fratres: Rememorámini prístinos dies, in quibus, illumináti, magnum certámen sustinuístis passiónum. Et in áltero quidem oppróbriis et tribulatiónibus spectáculum facti: in áltero autem sócii táliter conversántium effécti. Nam et vinctis compássi estis, et rapínam bonórum vestrórum cum gaúdio suscepístis, cognoscéntes vos habére meliórem et manéntem substántiam. Nolíte ítaque amíttere confidéntiam vestram, quæ magnam habet remuneratiónem. Patiéntia enim vobis necessária est, ut, voluntátem Dei faciéntes, reportétis repromissiónem. Adhuc enim módicum aliquántulum, qui ventúrus est, véniet et non tardábit. Justus autem meus ex fide vivit.

℞. Abstérget Deus.

Lectio ii. Cap. 11.

Juxta fidem defúncti sunt omnes isti, non accéptis repromissiónibus, sed a longe eas aspiciéntes, et salutántes, et confiténtes, quia peregríni et hóspites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, signíficant se pátriam inquírere. Et si quidem ipsíus meminíssent, de qua exiérunt, habébant útique tempus reverténdi. Nunc autem meliórem áppetunt, idest, cœléstem. Ideo non confúnditur Deus vocári Deus eórum; parávit enim illis civitátem. Qui per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes, obturavérunt ora leónum, exstinxérunt ímpetum ignis, effugérunt áciem gládii, convaluérunt de infirmitáte, fortes facti sunt in bello, castra vertérunt exterórum.

℞. Viri sancti gloriósum.

Lectio iii.

Alii autem disténti sunt, non suscipiéntes redemptiónem, ut meliórem invenírent resurrectió-

nem. Alii vero ludíbria et vérbera expérti, ínsuper et víncula, et cárceres. Lapidáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt: circuiérunt in melótis, in péllibus caprínis, egéntes, angustiáti, afflícti, quibus dignus non erat mundus. In solitudínibus errántes, in móntibus et spelúncis et in cavérnis terræ. Et hi omnes testimónio fídei probáti, non accepérunt repromissiónem, Deo pro nobis mélius áliquid providénte, ut non sine nobis consummaréntur.

℟. Tradidérunt córpora.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Eustótius, Próculus et Golbodæus Panórmi, sǽculo tértio in lucem éditi, urbem pátriam gloriósis fídei testimóniis illustrárunt. Sub disciplína sancti epíscopi Mamiliáni, cui semper adhæsérunt, vitam componéntes, inter præcípuos et ferventióres ejúsdem sancti antístitis discípulos adscríbi meruérunt. Eórum exímiam córporis compositiónem et vultus modéstiam e turri, in qua morabátur, admírans virgo Nympha, et privátis eórum sermónibus excitáta, abdicáto idolórum cultu, christiánam fidem amplexáta est.

℟. Sancti tui.

Lectio v.

Sub Aureliáno Silíciæ præfécto pro cathólica religióne, quam viríliter asserébant, cárceres, famem, equúleum, aliáque torménta perpéssi sunt; sed his ómnibus divínitus superátis, relícta pátria, perpétuo exsílio semetípsos tradidérunt. Pharum Portus Románi juxta Tíberim attingéntes, ibi in Buccinénsi crypta, una cum sanctis Mamiliáno et Nympha vírgine, visitátis Romæ paulo ante Apostolórum sepúlchris, in terrenárum rerum inópia et cæléstium affluéntia, anno trecentésimo duodécimo, in pace quievérunt.

℟. Vérbera carníficum.

Lectio vi.

Eórum córpora in eádem crypta juxta corpus sancti Mamiliáni, sex ante menses defúncti, supérstes virgo Nympha sepelíri curávit. Inde, jussu Urbáni secúndi, año millésimo nonagésimo octávo Romam transláta, in parochiáli ecclésia sanctæ Maríæ Montis Cǽlii honorífice cóndita sunt. Insígnes tamen relíquiæ, indulgénte Alexándro séptimo, anno millésimo sexcentésimo sexagésimo sexto, Panórmum deportátæ, in templo cathedráli magna veneratióne honorántur.

℟. Tamquam aurum.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 24.

In illo témpore: Sedénte Jesu super montem Olivéti, accessérunt ad eum discípuli secréto, dicéntes: Dic nobis, quando hæc erunt? Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbýteri.

Lib. 4. in Matth. cap. 24.

Ubi verum lumen sciéntiæ nascebátur, accédunt ad eum discípuli secréto, qui mystéria et futurórum revelatiónem nosse

cupiébant, et intérrogant tria: quo témpore Jerúsalem destruénda sit: quo ventúrus Christus: quo consummátio sǽculi futúra sit. Multi enim vénient in nómine meo, dicéntes: Ego sum Christus, et multos sedúcent; quorum unus est Simon Samaritánus, quem in Actibus Apostolórum légimus, qui se magnam dicébat esse Dei virtútem, hæc quoque et cétera in suis volumínibus scripta dimíttens: Ego sum sermo Dei, ego sum speciósus, ego Paraclétus, ego omnípotens et ego ómnia Dei.

℟. Propter testaméntum.

Lectio viii.

Hæc autem ómnia inítia sunt dolórum. Non ámbigo, hæc quidem juxta lítteram futúra, quæ scripta sunt, sed mihi vidétur regnum contra regnum, et pestiléntia eórum, quorum sermo serpit ut cancer, et fames audiéndi verbum Dei, et commótio univérsæ terræ, et a vera fide separátio, in hæréticis magis intélligi: qui contra se ínvicem dimicántes, Ecclésiæ victóriam fáciunt. Quod autem dixit: Hæc autem ómnia inítia sunt dolórum, mélius transfértur, parturitiónum: ut quasi concéptus quidam advéntus Antichrísti, non partus intelligátur.

℟. Sancti mei.

Lectio ix.

Et quóniam abundávit iníquitas, refrigéscet cáritas multórum. Non ómnium negávit fidem, sed multórum; multi enim vocáti, pauci vero elécti. Nam in Apóstolis et simílibus eórum permansúra est cáritas, de qua scriptum est: Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátem. Et ipse Paulus: Quis nos separábit a caritáte Christi? tribulátio, an angústia, an fames? Et réliqua.

Te Deum laudámus.

Die 17. Decembris.

(Pro Diœc. Calatanisiad.)

S. Eligii Episcopi et Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Confess. Pont., præter sequ.

Oratio.

Tríbue nobis, quǽsumus Dómine, singulárem sancti Elígii Confessóris tui, atque Pontíficis caritátem imitári, ut illíus mérita in spíritu, et veritáte celebrémus. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Elígius Lemóviæ a Cathólicis, piísque paréntibus religióse educátus, auri laborándi artem adoléscens dídicit. Labórem mánuum cum pietátis opéribus mire conjúngens, quidquid témporis a labóre supérerat in divínis frequentándis offíciis, in sacrórum librórum audiénda lectióne, inque ea atténto ánimo recolénda insumébat. Ætáte autem ac Sanctórum sciéntia profíciens, Christiánas virtútes impénsius excóluit: suum enim corpus oratióne et jejúniis in mentis servitútem redégit, seque totum rediméndis captívis, deténtis cárcere solándis, et egenórum sublevándæ inópiæ dedit. Hinc tantus ad eum paúperum

concúrsus, ut quæhrénti domum Elígii dicerétur: ubi paúperum cœtum conspéxeris, illic et Elígium repéries. Harum virtútum præstántia Francórum régibus Clotário ejúsque fílio Dagobérto appríme carus fuit, quorum tamen grátia, vel ut indigéntes juváret, vel ut divínam promovéret glóriam, solúmmodo utebátur.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Ad Armoricórum regem pacis componéndæ causa missus a Dagobérto, reges ambos felíci fœdere sociávit. Regáli ejúsdem Dagobérti munificéntia adjútus, Solemniacénse in Lemovícibus Cœnóbium cóndidit; Parísiis tercéntum puellárum ascetérium, aliúdque póstea Noviómi eréxit, exáctam in síngulis constítuens vivéndi disciplínam, cujus fervor, ne umquam tepésceret, exémplo juxta stúduit ac verbo. Plúrima divérsis tempóribus auro, argénto et gemmis ornávit sepúlchra Sanctórum, et mausoléum in primis Mártyris Dionýsii miro artifício decorávit. De Ecclésiæ disciplína sollícitus, simoníacam labem, quæ áltius in Gállia radíces égerat, junctis cum Audœno stúdiis, exstirpávit; effecítque cum eo, ne quis deínceps Epíscopus eligerétur, nisi qui integritáte morum céteris præfulgéret.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Tamquam Aaron ad cleri honórem vocátus, etsi pro singulári sua ánimi demissióne rénuens; sacris tamen initiátur atque Novioménsi præfícitur Ecclésiæ. Quo in múnere omnes perfécti Præsulis partes fidéliter adimplévit. Nam commíssas sibi Christi oves in omni sciéntia ac doctrína erudíre, atque in omni patiéntia redargúere numquam cessávit. Inopum gregem quotídie pavit, sólitus étiam illórum sordes elúere: orthodóxæ veritátis hostes pervígili cura detéxit, illorúmque nefários conátus elúsit. Idololátras, non qui suam modo incolébant diœcésim, sed étiam álios quamplúrimos ad veri Dei cognitiónem et cultum addúxit, atque eórum fana subvértit. Gabilonénsi intérfuit Sýnodo, anno a Vírginis Partu sexcentésimo quinquagésimo círciter celebrátæ. Demum Prophetíæ dono clarus, miraculórum fama insígnis, septuagenárius plácide obdormívit in Dómino, ejúsque corpus summa fidélium veneratióne cónditum in sepúlchro, quod Deus miráculis gloriósum réddidit.

℟. Iste est qui.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 25.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo péregre proficíscens vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homilia 9. in Evang.

Nullus piger ab hac talénti acceptióne secúrus est. Nullus namque est, qui veráciter dicat: taléntum mínime accépi: non est, unde ratiónes pónere cogar. Talénti enim nómine cuílibet

paúperi étiam hoc ipsum reputábitur quod vel mínimum accépit. Alius namque accépit intelligéntiam; prædicatiónis ministérium debet ex talénto. Alius terrénam substántiam accépit; erogatiónem talénti debet ex rebus. Alius nec internórum intelligéntiam, nec rerum affluéntiam accépit, sed tamen dídicit artem, qua páscitur; ipsa ars ei in talénti acceptióne reputátur. Alius nihil horum assequútus est, sed tamen fortásse familiaritátis locum apud dívitem méruit; taléntum profécto familiaritátis accépit. Si ergo nihil ei pro indigéntibus lóquitur, pro talénti retentióne damnátur.

℞. Amávit eum.

Lectio viii.

Habens ergo intelléctum, curet omníno, ne táceat: habens rerum affluéntiam, vígilet, ne a misericórdiæ largitáte torpéscat: habens artem, qua régitur, magnópere stúdeat, ut usum, atque utilitátem illíus cum próximo partiátur; habens loquéndi locum apud dívitem, damnatiónem pro reténto talénto tímeat, si, cum valet, non apud eum pro paupéribus intercédit; tantum quippe ab unoquóque nostrum ventúrus judex éxiget, quantum dedit. Ut ergo de talénti sui ratiónibus, redeúnte Dómino, quisque secúrus sit, cum tremóre penset quotídie, quid accépit. Ecce namque jam juxta est, ut ille, qui péregre proféctus est, rédeat; quasi quippe péregre ábiit, qui de hac terra, in qua natus est, longe discéssit: sed profécto revértitur, ut de taléntis ratiónes ponat; quia, si a bona actióne torpéscimus, de ipsis donis, quæ cóntulit, nos districtius júdicat.

℞. Sint lumbi.

Lectio ix.

Considerémus ergo quæ accépimus, atque in eórum erogatióne vigilémus. Nulla nos a spiritáli ópere terréna cura impédiat, ne, si in terra taléntum abscónditur, talénti dóminus ad iracúndiam provocétur. Piger enim servus, cum jam culpas judex exáminat, taléntum de terra levat; quia sunt pleríque, qui tunc se a terrénis desidériis, vel opéribus súbtrahunt, quando jam per animadversiónem júdicis ad ætérnum supplícium trahúntur. Ante ergo de talénti nostri ponénda ratióne vigilémus, ut, cum jam judex ad feriéndum ímminet, lucrum nos, quod fécimus, excúset. Te Deum laudámus.

Die 18. Decembris.

Exspectationis Partus B. M. V.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 10. Januarii.

S. Agathonis Papæ et Confess. Civis et Patroni Princip. Urbis Panormi.

Duplex 1. classis cum Octava.

Omnia de Communi Conf. Pontif., præter sequentia.

Oratio.

Páteant aures misericórdiæ tuæ, Dómine, précibus supplicántium, et contínuis tribulatiónibus laborántes, intercedénte beáto Agathóne Confessóre tuo, atque Pontífice, propítius respiráre concéde. Per Dóminum.

In I. Nocturno.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. Cap. 50.

Ecce sacérdos magnus, qui in vita sua suffúlsit domum, et in diébus suis corroborávit templum. Templi étiam altitúdo ab ipso fundáta est, duplex ædificátio, et excélsi paríetes templi. In diébus ipsíus emanavérunt pútei aquárum, et quasi mare adimpléti sunt supra modum. Qui curávit gentem suam, et liberávit eam a perditióne. Qui præváluit ædificáre civitátem, qui adéptus est glóriam in conversatióne gentis, et ingréssum domus et átrii amplificávit. Quasi stella matutína in médio nébulæ, et quasi luna plena in diébus suis lucet, et quasi sol refúlgens, sic ille effúlsit in templo Dei.

℟. Euge serve bone.

Lectio ii.

Quasi arcus refúlgens inter nébulas glóriæ, et quasi flos rosárum in diébus vernis, et quasi lília, quæ sunt in tránsitu aquæ, et quasi thus rédolens in diébus æstátis. Quasi ignis effúlgens, et thus ardens in igne. Quasi vas auri sólidum ornátum omni lápide pretióso. Quasi olíva púllulans, et cypréssus in altitúdinem se extóllens, in accipiéndo ipsum stolam glóriæ, et vestíri eum in consummatiónem virtútis. In ascénsu altáris sancti glóriam dedit sanctitátis amíctum. In accipiéndo autem partes de manu sacerdótum, et ipse stans juxta aram. Et circa illum coróna fratrum: quasi plantátio cedri in monte Líbano, sic circa illum stetérunt quasi rami palmæ, et omnes fílii Aaron in glória sua.

℟. Ecce sacérdos.

Lectio iii.

Oblátio autem Dómini in mánibus ipsórum, coram omni synagóga Israël: et consummatióne fungens in ara amplificáre oblatiónem excélsi regis. Porréxit manum suam in libatióne, et libávit de sánguine uvæ. Effúdit in fundaménto altáris odórem divínum excélso príncipi. Tunc exclamavérunt fílii Aaron, in tubis productílibus sonuérunt, et audítam fecérunt vocem magnam in memóriam coram Deo. Tunc omnis pópulus simul properavérunt, et cecidérunt in fáciem super terram, adoráre Dóminum Deum suum, et dare preces omnipoténti Deo excélso. Et amplificavérunt psalléntes in vócibus suis, et in magna domo auctus est sonus suavitátis plenus. Et rogávit pópulus Dóminum excélsum in prece, usque dum perféctus est honor Dómini, et munus suum perfecérunt.

℟. Jurávit Dóminus.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Agatho Panórmi in Sicília natus, sub paréntum cura probe excúltus, eum pietátis fructum rétulit, ut illis mórtuis, statim congéstas in unum locum facultátes die uno paupéribus distribúerit. Deínde sancti Benedícti institútum Panórmi in monastério sancti Hermétis ampléxus, totum se divíno cúltui trádidit. In eo intérdiu, ac noctu ánimo semper inténtus cœléstia meditabátur, et

Dei múnere tot édidit mirácula, ut Thaumatúrgi nomen accéperit. Romam deínde pétiit, et in cœnóbio Monachórum Cassinénsium prope archibasílicam Lateranénsem degit, adeóque ómnibus cívibus tum cléricis, tum láicis virtútum, doctrinǽque splendóre illúxit, ut defúncto Dono Sum̃o Pontífice, cunctis suffrágiis ei sufféctus fúerit Agatho ob summam humanitátem, exímium ánimi candórem, singulárem morum suavitátem ac comitátem, aliásque natúræ et grátiæ dotes, quibus comparátus ad suprémam illam dignitátem geréndam natus, seu factus videbátur.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Accéptis a Constantíno Pogonáto lítteris ad Donum prædecessórem scriptis pro convocándo Concílio œcuménico ad diutúrnum schisma tolléndum, et definiéndas fídei controvérsias, Sýnodos provinciáles in Occidénte habéri curávit, in quibus Monothelitárum causa discuterétur, errorésque damnaréntur. Póstea suos et Concílii Románi legátos Constantinópolim cum binis lítteris ad Imperatórem misit, in quibus prædícta hǽresi docte, fuse, ac sólide confutáta, damnatísque primáriis illíus sectatóribus Sérgio, scílicet, Cyro, Paulo, Pyrrho, Petro et áliis, antecessóres suos Romános Pontífices ab omni erróris labe immúnes fuísse expréssis verbis declarávit. Agathónis ígitur auctoritáte sexta Sýnodus generális congregáta est, in qua iídem erróres, iidémque errántes damnáti fuérunt, ejúsque synódica epístola, ceu ex ore sancti Petri proláta, a Pátribus suscépta est.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Orta in Británnica Ecclésia dissensióne, cum álias ob causas, tum ob Wilfrídi Eboracénsis Archiepíscopi factam contra cánones dispositiónem, Joánnem abbátem sancti Martíni in Británniam misit, ut illíus Ecclésiæ negótia compóneret, et Wilfrídum, a Sede Apostólica suæ dignitáti restitútum, juváret. Tantæ quoque mansuetúdinis et humanitátis fuit, ut néminem a se umquam tristem dimíserit; tantáque ínsuper sanctitáte effúlsit, ut leprósum óbviam factum ósculo suo statim liberáverit. Romæ ea tempestáte ádeo perniciósa pestis grassabátur, ut loca úndique repléta cadavéribus videréntur. Huic tam gravi ingruénti calamitáti Agatho divína ope, quam imploráverat, opportúne succúrrit. Demum virtútibus et méritis cumulátus, migrávit in cœlum nonagenário major, quarto Idus Januárii, anno salútis sexcentésimo octogésimo secúndo, cum annis duóbus et sex ménsibus sedísset.

℟. Iste est qui.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 25.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo péregre proficíscens vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbýteri.

Lib. 4. in Matth. Cap. 25.

Homo iste paterfamílias haud dúbium, quin Christus sit, qui ad Patrem post resurrectiónem victor ascéndens, vocátis Apóstolis, doctrínam Evangélicam trádidit, non pro largitáte et parcitáte álteri plus, et álteri minus tríbuens, sed pro accipiéntium víribus: quómodo et Apóstolus eos, qui sólidum cibum cápere non póterant, lacte potásse se dicit. Dénique, et illum qui de quinque taléntis decem fécerat, et qui de duóbus quátuor, símili recépit gaúdio, non consíderans lucri magnitúdinem, sed stúdii voluntátem.

℟. Amávit eum.

Lectio viii.

In quinque, et duóbus, et uno talénto, vel divérsas grátias intelligámus, quæ unicuíque tráditæ sunt, vel in primo omnes sensus examinátos, in secúndo intelligéntiam et ópera, in tértio ratiónem, qua hómines a béstiis separámur. Accéptis terrénis sénsibus cœléstium sibi notítiam duplicávit, ex creatúris intélligens creatórem, ex corporálibus incorporália, ex visibílibus invisibília, et ex brévibus ætérna. Et iste pro víribus quidquid in lege didícerat, in Evangélio duplicávit, sive sciéntiam et ópera præséntis vitæ, futúræ beatitúdinis typos intelléxit.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Grande tempus est inter ascensiónem Salvatóris, et secúndum ejus advéntum. Si autem Apóstoli redditúri sunt ratiónem, et sub metu júdicis resurrectúri, quid eos opórtet fácere? Et notándum, quod ómnia, quæ in præsénti habémus, licet magna videántur et plúrima, tamen comparatióne futurórum parva et pauca sunt. Intra, inquit, in gaúdium Dómini tui, et súscipe quæ nec óculus vidit, nec auris audívit, nec in cor hóminis ascendérunt. Quid autem majus dari potest fidéli servo, quam esse cum Dómino, et vidére gaúdium Dómini sui?

Te Deum laudámus.

Die 22. Januarii.

S. Vincentii Levitæ et Mart.

Duplex majus.

In I. Vesperis.

Ant. 1.

Dóminus dedit mihi linguam erudítam, ut sciam sustentáre eum, qui lassus est verbo.

Psalmi ut in I. Vesp. de Com̃. Apost.

2. Replétus sum fortitúdine Spíritus Dómini, ut annúntiem Jacob scelus suum.

3. Sapiéntia et fortitúdo Dómini sunt: tibi, Deus, confíteor, quia dedísti mihi.

4. Dedit mihi Dóminus sciéntiam sanctórum, et honestávit me in labóribus.

5. Certámen forte dedit mihi Dóminus, ut víncerem, et scirem, quóniam ómnium poténtior est sapiéntia.

Capitulum. Sap. 10.

Justum dedúxit Dñs per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctó-

rum: in fraude circumveniéntium illum áffuit illi, descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum.

Hymnus.

Partas horrífico supplícii modo
Palmas atque decus mártyris ínclyti
Festívo résonent cármine péctora
Exsultántia gaúdio.

Cessérunt fúriæ, cessit atrócitas
Illaudáta feri júdicis, ígnium,
Vincénti, rábies fugit, abest procul
Cædis triste perículum.

Trudúntur rápidis sæcula sæculis,
Et cursu révolant irrevocábili,
Stat sempérque sacris stabit honóribus
Laus immobílior tua.

Te, lucénte polo, donec eant dies,
Laudábunt hómines, plaúsibus æthere
Responsábit ovans cœtus, et aúrea
Numquam plectra siléntia.

Summa laude Pater, Natus et únicus,
Dicátur páriter Nexus amábilis,
Indivísa manens númine Trínitas
Nunc, olim, sine término.
Amen.

℣. Fuit magnus secúndum nomen suum. ℟. Máximus in salútem electórum Dei.

Ad Magnif. Ant. Cum transíeris per aquas, tecum ero, et flúmina non opérient te: cum ambuláveris in igne, non comburéris, et flamma non ardébit in te.

Oratio ut infra ad Laud. 16*

Ad Matutinum.

Invit. Beátus Vincéntius Christi martyr triúmphat coronátus in cœlis: * Veníte, adorémus Dóminum.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus.

Delassáta senis lingua Valérii
Quæ proférre nequit, dógmata núntians
Certo martýrio non tímido pede
It Vincéntius óbviam.

Sectus sanguíneo vérbere tráditur
Mactándus fídibus discruciántibus;
Inténsis váriat carníficis furor
Instruménta dolóribus.

Prunis suppósitis cráteque férrea,
Vim perférre diu cógitur ígneam,
Quam solum váleat sancta repéllere
Ardens péctore cáritas.

Uncis viva caro scínditur úngulis,
Candéntes rénovant vúlnera láminæ,
Dejéctum píceis in spécubus premunt
Testæ corpus acúleis.

Vis audíre novum supplícii genus?
Sic fessum thálamo purpúreo locant
Inter delícias sértaque flórea:
Nec constántia frángitur.

Sum̃a laude Pater, Natus et únicus,
Dicátur páriter Nexus amábilis,
Indivísa manens númine Trínitas
Nunc, olim, sine término. Amen.

In I. Nocturno.

Ant. Factus es suscéptor meus, Dómine, et refúgium meum in die tribulatiónis meæ.

Psalmi trium Nocturnorum de Communi unius Mart.

Ant. In quocúmque loco fúeris, Dómine, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus.

Ant. Magnificábitur Christus in córpore meo, sive per vitam, sive per mortem.

℣. Fuit magnus secúndum nomen suum. ℟. Máximus in salútem electórum Dei.

De libro Apocalýpsis beáti Joáñis Apóstoli.

Lectio i. Cap. 2. et 3.

[redacted]æc dicit, qui tenet septem stellas in déxtera sua, qui ámbulat in médio septem candelabrórum aureórum: Scio ópera tua, et labórem et patiéntiam tuam, et quia non potes sustinére malos: et tentásti eos, qui se dicunt Apóstolos esse, et non sunt: et invenísti eos mendáces: et sustinuísti propter nomen meum, et non defecísti. Qui habet aurem, aúdiat quid Spíritus dicat: Vincénti dabo édere de ligno vitæ, quod est in paradíso Dei mei. Hæc dicit primus et novíssimus, qui fuit mórtuus et vivit: Scio tribulatiónem tuam et paupertátem tuam, sed dives es: et blasphemáris ab his, qui se dicunt Judæos esse, et non sunt, sed sunt synagóga sátanæ. Nihil horum tímeas quæ passúrus es. Esto fidélis usque ad mortem, et dabo tibi corónam vitæ.

℟. E cœlo membra ista possídeo, * Sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despício, quóniam ab ipso ea me receptúrum spero. ℣. Ego non solum alligári, sed et mori parátus sum propter nomen Dómini Jesu. Sed propter.

Lectio ii.

Hæc dicit qui habet rhomphæam utráque parte acútam: Scio ubi hábitas, ubi sedes est sátanæ: et tenes nomen meum, et non negásti fidem meam. Vincénti dabo manna abscónditum, et dabo illi cálculum cándidum: et in cálculo nomen novum scriptum, quod nemo scit nisi qui áccipit. Et hæc dicit Fílius Dei, qui habet óculos tamquam flammam ignis, et pedes ejus símiles aurichálco: Novi ópera tua et fidem et caritátem tuam et ministérium et patiéntiam tuam, et ópera tua novíssima plura prióribus. Qui vícerit et custodíerit usque in finem ópera mea, dabo illi potestátem super gentes, et reget eas in virga férrea, et tamquam vas fíguli confringéntur, sicut et ego accépi a Patre meo: et dabo illi stellam matutínam.

℟. Angústiæ sunt mihi úndique: * Mélius est mihi absque ópere incídere in manus vestras, quam peccáre in conspéctu Dñi. ℣. Víncula et tribulatiónes me manent: sed nihil horum véreor. Mélius est mihi.

Lectio iii.

Qui habet septem spíritus Dei et septem stellas, hæc dicit: Scio ópera tua: esto vígilans, et confírma cétera, quæ moritúra erant. Qui vícerit, vestiétur vestiméntis albis, et non delébo nomen ejus de libro vitæ, et confitébor nomen ejus coram Patre meo et coram Angelis ejus. Et Sanctus et Verus hæc dicit: Scio ópera tua, et dedi coram te óstium apértum, quod nemo potest claúdere; quia

habes virtútem, et servásti verbum meum, et non negásti nomen meum. Fáciam ut de synagóga sátanæ véniant et adórent ante pedes tuos: et scient quia ego diléxi te: quóniam servásti verbum patiéntiæ meæ, et ego servábo te ab hora tentatiónis, quæ ventúra est in orbem univérsum. Tene quod habes, ut nemo accípiat corónam tuam. Qui vícerit, fáciam illum colúmnam in templo Dei mei, et scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitátis Dei mei, novæ Jerúsalem, et nomen meum novum. Et hæc dicit Amen, testis fidélis et verus, qui est princípium creatúræ Dei: Qui vícerit, dabo ei sedére mecum in throno meo: sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus.

℟. Dómine, qui habes sanctam sciéntiam, manifeste tu scis, quia, cum a morte possem liberári, * Duros córporis sustíneo dolóres: secúndum ánimam vero propter timórem tuum libénter hæc pátior. ℣. Pátior, sed non confúndor: scio cui crédidi. Duros. Glória Patri. Duros.

In II. Nocturno.

Ant. Stetit contra reges horréndos in porténtis et signis.

Ant. Torménta suscépit; ita, ut miraréntur, quod tamquam níhilum dúceret cruciátus.

Ant. Probávit me Dñs quasi aurum, quod per ignem transit.

℣. Si consístant advérsum me castra, non timébit cor meum. ℟. Si exsúrgat advérsum me prœlium, in hoc ego sperábo.

Lectio iv.

Ex Ss. Aug. et Leon. Serm. de S. Vinc., ex Prud. Carm. 5. et act. ap. Ruin.

Vincéntius, martyr ille exímius, quem Paulínus Hispaniárum vocat decus et ornaméntum: quem devótis ádeo Augustínus cóluit obséquiis, ut sermónibus quinque laudes ejus díxerit: quem hymnis et carmínibus Prudéntius cécinit mártyrem toto terrárum orbe celebérrimum: Oscæ in Hispánia citerióre, nóbili ortus génere, Valério Cæsaraugustáno epíscopo, máximæ sanctitátis viro, lítteris et disciplínis informándus ab infántia tráditus est. Qui in doctrína et virtúte gradu céleri sic est progréssus, ut, a Valério ordinátus diáconus, ab eódem præsule, qui propter linguam impeditiórem verbi ministério minus erat idóneus, prædicándi partes accéperit. Dum autem créditum sibi munus summa cum laude, fructu nec minóre adímplet, in persecutióne Diocletiáni comprehénsus, Valéntiam in Hispánia ad Daciánum præsidem vinctus dúcitur.

℟. Hanc tentatiónem, * Ideo permísit Dóminus evenire illi, ut pósteris darétur exémplum patiéntiæ ipsíus. ℣. In labóribus plúrimis, in carcéribus abundántius, in plagis supra modum, in mórtibus frequénter. Ideo.

Lectio v.

Verum quem coram christiána plebe infrácto a labóribus ánimo prædicáverat, invícta a supplíciis constántia coram tyránno Christum proféssus est. Christiánæ religiónis cultórem se ausus própalam dícere, præsidis furéntis

jussu vinctus, retórtis bráchiis exténsus est, donec ossa sédibus suis síngula moveréntur. Mox férreis úngulis semel atque íterum excarnificátus est. Ipse autem spretis torméntis immótus ac quasi esset sine ullo dolóris sensu, nec minis nec iterátis cruciátibus addúci pótuit, ut thus idólis adoléret, neque ut libros sacros tráderet. Quaprópter cratículæ subjéctis ardéntibus prunis impónitur; applicántur membris láminæ; decúrrit inter candéntis ferri asperitátem liquor: stridens flamma arvína respérgitur; salis ígnibus sparsi crepitántes minútiæ per membra dissíliunt. Intérea martyr invíctus, eréctis in cœlum óculis, Dóminum precabátur.

℞. Probávit me Deus quasi aurum, quod per ignem transit: * Vestígia ejus secútus est pes meus; viam ejus custodívi, et non declinávi ex ea. ℣. Ad cognoscéndum Christum et societátem passiónum illíus, configurátus morti ejus. Vestígia.

Lectio vi.

Post hæc in cárcere testáceis fragméntis strato disténditur, ut testárum acúlei vúlnerum dolórem exasperárent. Sed illustráto cǽlitus cárcere Angelórum fovétur obséquio, allóquio mulcétur, solútis néxibus deámbulans psallit, cónsonat vocis angélicæ moduláta suávitas. Quod per rimas conspiciéntes stupefácti cárceris custódes christiánæ religióni fidéliter se dedunt. Edúctus inde Vincéntius molli cúlcitræ impónitur, ut aliquántulum recreátus ácrius dénuo torquerétur. Verum pretiósam resolútus in mortem, Daciáno ingániter de supplício cogitánte, Deo autem cleménter disponénte de prǽmio, cœlo spíritum réddidit. Circumstántium frequéntia sancti vestígia deosculándo prolámbit, vúlnera totíus láceri córporis pia curiositáte palpat, sánguinem línteis éxcipit, sacra veneratióne pósteris profutúrum. Conténdit adhuc cum mórtuo cadávere Daciánus. Sed frustra feris óbjicit. Corax namque custos cǽlitus designátur, qui eas trucémque lupum rostro et alis a thesaúro sibi crédito remótius arcet. Frustra prójicit in mare; quod étenim mínime apparére satégerat, nutu divíno semper próditur corpus, ut religiósius humándum, inquit Augustínus, venerandúmque demonstrarétur.

℞. Post tempestátem tranquíllum facis, Dómine; et post lacrimatiónem et fletum exsultatiónem infúndis. * Sit nomen tuum, Deus Israël, benedíctum in sǽcula. ℣. Ipse autem Dñs noster Jesus Christus dedit consolatiónem ætérnam, et spem bonam in grátia. Sit. Glória Patri. Sit.

In III. Nocturno.

Ant. Propter opus Christi usque ad mortem accéssit, tradens ánimam suam.

Ant. Mundus óbiit, per ómnia in Dómino confídens.

Ant. Vita decéssit, univérsæ genti memóriam mortis suæ ad exémplum virtútis derelínquens.

℣. Justus cum cecíderit, non collidétur. ℞. Quia Dóminus suppónit manum suam.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 10.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére eos, qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere. Et réliqua.

Homilía S. Augustíni Epíscopi.

Serm. 274. et 275. in Festo S. Vincentii Mart.

Magnum spectáculum spectávimus óculis fídei, mártyrem sanctum Vincéntium ubíque vincéntem. Vicit in verbis, vicit in pœnis; vicit in confessióne, vicit in tribulatióne; vicit exústus ígnibus, vicit submérsus flúctibus: postrémo vicit tortus, vicit mórtuus. Quis istam patiéntiam míliti suo donávit, nisi qui pro illo prior sánguinem fudit? Cui dícitur in psalmo: Quóniam tu es patiéntia mea, Dómine: Dómine, spes mea a juventúte mea. Magnum certámen magnam cómparat glóriam, non humánam nec temporálem, sed divínam et sempitérnam. Fides pugnat, et quando fides pugnat, carnem nullus expúgnat.

℟. Testimónium consecútus est esse justus, testimónium perhibénte munéribus ejus Deo; * Et defúnctus adhuc lóquitur. ℣. In vita sua fecit monstra, et in morte mirabília operátus est. Et.

Lectio viii.

Quisquis putat sanctum Vincéntium víribus suis ista potuísse, nimis errat. Quisquis enim víribus suis hoc se posse præsúmpserit, etsi vidétur víncere patiéntia, víncitur a supérbia. Bene víncere, hoc est univérsas máchinas (diáboli) víncere. Illécebras dum minístrat, víncitur per continéntiam: pœnas et torménta inflígit, víncitur per patiéntiam: erróres súggerit, víncitur per sapiéntiam. Si considerétur in ista passióne humána patiéntia, íncipit esse incredíbilis; si agnoscátur divína poténtia, désinit esse mirábilis. Tanta grassabátur crudélitas in mártyris córpore, et tanta tranquíllitas proferebátur in voce; tántaque pœnárum aspéritas sæviébat in membris, et tanta secúritas sonábat in verbis, ut miro modo putarémus, Vincéntio patiénte álium, non loquéntem, torquéri. Et vere, fratres, ita erat: prorsus ita erat: álius loquebátur. Promísit enim et hoc téstibus suis Christus in Evangélio: quos ad hujúsmodi certámina præparábat. Sic enim ait: Nolíte præmeditári, quómodo aut quid loquámini. Non enim vos estis qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis.

℟. Numquid narrábit áliquis in sepúlchro misericórdiam tuam, Dómine? * Numquid cognoscéntur in ténebris mirabília tua, et justítia tua in terra obliviónis? ℣. Nunc, Dómine, réspice in eo, quod manum tuam exténdas ad sanitátes, et signa et prodígia fíeri. Numquid. Glória Patri. Numquid.

Lectio ix.

Dénique his præmíssis, futúræ vidélicet retributiónis fínibus, étiam in hoc mundo mártyrum glóriam demonstrémus. Quæ hódie régio, quæve província ulla, quoúsque vel Románum impérium vel Christiánum nomen exténditur,

natálem non gaudet celebráre Vincéntii? Quis autem hódie Daciáni vel nomen audísset, nisi Vincéntii passiónem legísset? Quod vero tanta cura servávit Dóminus Mártyris corpus, quid áliud demonstrávit, nisi se gubernásse vivéntem, quem non relíquit exánimem? Vicit ergo Daciánum vivens Vincéntius, vicit et mórtuus. Vivens torménta calcávit; mórtuus mária transnatávit. Sed ipse inter undas gubernávit cadáver exstínctum, qui inter úngulas ánimum donávit invíctum. Non flexit flamma tortóris cor ejus; non mersit aqua maris corpus ejus. Sed in his et hujúsmodi nihil est áliud nisi: Pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus. Te Deum.

Ad Laudes
et per Horas.

Ant. 1. Factus est * Dóminus protéctor meus: salvum me fecit, quóniam vóluit me.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Deus meus * misit Angelum suum: quia coram eo justítia invénta est in me.

3. Transívi * per ignem et aquam; et eduxísti me, Dómine, in refrigérium.

4. Tamquam prodígium * factus sum multis; et tu, Dómine, adjútor fortis.

5. Bonum certámen * certávi, cursum consummávi, fidem servávi: in réliquo repósita est mihi coróna justítiæ.

Capitulum. Sap. 10.

Justum dedúxit Dñs per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum: in fraude circumveniéntium illum áffuit illi, descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum.

Hymnus.

Heros supplíciis victor in ómnibus,
Elúsis fátui júdicis ártibus,
Lecti blandítias déserit ávolans
Trans fulgéntia sídera.

Cœlum prodígiis corpus ut íntegrum
Projéctum médiis perstet agris, favet:
Custos corvus adest, nec vólucres, neque
Accédunt ávidæ feræ.

Judex æquóreis flúctibus ímperat
Mergi, relíquiis ne páteat locus;
Incássum, plácide nam refluéntibus
Stans undis superénatat.

Adsis o fámulis rite precántibus,
Vincénti, rádium lúminis ímpetra,
Ne cedat píetas fracta perículis,
Succumbátque labóribus.

Id nostro máneat corde recónditum,
Quod torménta brevi prætereúntia
Ætérnæ páriunt prǽmia glóriæ
Permansúraque gaúdia.

Summa laude Pater, Natus et únicus,
Dicátur páriter Nexus amábilis,
Indivísa manens número Trínitas
Nunc, olim, sine término.
Amen.

℣. Custodívit Dóminus ómnia ossa justi. ℟. Unum ex his non conterétur.

Ad Bened. Ant. **Amplificátus est in mirabílibus suis: et quis potest simíliter sic gloriári? Poténtia nemo vicit illum: et mórtuum prophetávit corpus ejus: in vita sua fecit monstra, et in morte mirabília operátus est.**

Oratio.

Da nobis, quǽsumus, omnípotens Deus: advérsa mundi invícta mentis constántia toleráre; qui beátum Levítam Vincéntium nec minis terréri, nec pœnis passus es superári. Per Dóminum.

Ad Tertiam.

Ant. **Deus meus.**

Capit. **Justum dedúxit.** 15*

℟. br. **Fuit magnus,* Secúndum nomen suum. Fuit. ℣. Máximus in salútem electórum Dei. Secúndum.** Glória Patri. **Fuit.**

℣. **Si consístant advérsum me castra, non timébit cor meum.** ℟. **Si exsúrgat advérsum me prǽlium, in hoc ego sperábo.**

Ad Sextam.

Ant. **Transívi.**

Capitulum. Sap. 10.

Custodívit illum Dóminus ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, et certámen forte dedit illi, ut vínceret, et sciret, quóniam ómnium poténtior est sapiéntia.

℟. br. **Si consístant advérsum me castra, * Non timébit cor meum. Si. ℣. Si exsúrgat advérsum me prǽlium, in hoc ego sperábo. Non.** Glória Patri. **Si.**

℣. **Justus cum cecíderit, non collidétur.** ℟. **Quia Dóminus suppónit manum suam.**

Ad Nonam.

Ant. **Bonum certámen.**

Capitulum. Sap. 10.

Intrávit Deus in ánimam servi sui, et stetit contra reges horréndos in porténtis et signis: ídeo decantávit, Dómine, nomen sanctum tuum, et victrícem manum tuam laudávit páriter.

℟. br. **Justus cum cecíderit, * Non collidétur. Justus. ℣. Quia Dóminus suppónit manum suam. Non.** Glória Patri. **Justus.**

℣. **Custodívit Dóminus ómnia ossa justi.** ℟. **Unum ex his non conterétur.**

In II. Vesperis.

Ant. de Laud., Ps. ut in I. Vesp. et loco ultimi Ps. **Crédidi.**

Capit. et Hymnus ut in I. Vesp. 9*

℣. **In sǽculum memória ejus in benedictióne.** ℟. **Et nominátus est usque ad novíssimum terræ.**

Ad Magnif. Ant. **Réspice ad oratiónem servi tui, Dómine Deus, quam orat coram te hódie: ut exaúdias deprecatiónem pópuli tui.**

Die 23. Januarii.

Desponsationis B. Mariæ V.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 28. Januarii.

S. Juliani Episc. et Conf.

Semiduplex ad libit.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 30. Januarii.

B. Sebastiani Valfrè Conf.

Duplex.

Pro Clero Sæculari tantum.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter sequentia.

Oratio.

Da nobis, quǽsumus Dómine, ita pro animárum subsídio in tua dilectióne manére, sicut beátum Sebastiánum, Confessórem tuum, ad multórum salútem novum tibi sacerdótem fidélem suscitásti. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Sebastiánus Valfrè in óppido Verdúno Albæ Pompéjæ diœcésis, humílibus sed piis paréntibus natus, a prima ætáte haud dúbia exhíbuit futúræ sanctitátis arguménta. Elúxit quippe in púero præclára quædam bonæ ac religiósæ mentis índoles, quæ eum ad christiánam abstinéntiam, ac paúperum misericórdiam miríﬁce attrahébat. In sortem Dómini vocátus, quum omnes, quæ sibi adversaréntur, difficultátes superásset, adhuc adoléscens, Ecclésiæ ministériis sese addíxit. Majóre mox desidério flagrans totum se Deo, et animárum salúti devovéndi, Congregatiónem Oratórii Augústæ Taurinórum ingréssus est: quam vix incéptam, et adhuc male firmam stúdio, ac diligéntia plane constítuit. Ad sacerdótium deínde evéctus, sacræ Theologíæ laúream proméruit, et in collégium doctórum cooptátus est. His adjuméntis instrúctus, et sancti Philíppi Nérii præsértim vestígia premens, id unum toto vitæ cursu spectávit, ut omni ope uníus promovéret Dei cultum, et in proximórum utilitátes totus incúmberet. In nosocomíis, in gymnásiis, in sanctimoniálium cœnóbiis, in statiónibus mílitum, in carcéribus, in sóntium trierémibus, in officínis, in agris, in platéis et urbis viis, dénique in ipsa regis aula singulórum juvándis ánimis sédulam ac perpétuam impéndit óperam.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Admirábilis vero éxstitit in púeris et plebe erudiénda christiánæ fídei præcéptis; quod onus sustínuit ad ætátem últimam tanta cum alacritáte, quasi tum primum sacerdótii stádium esset ingréssus. Idem in Judǽos præstitit atque hæréticos, quorum multos vel Christo adjúnxit, vel communióni restítuit. Confessárii múneri assíduus, plúrimos a peccáti servitúte solútos ad libertátem filiórum Dei tradúxit; quodcúmque genus hóminum lenitáte, et cleméntia allíciens, atque ómnibus ómnia factus, ut omnes Christo lucrifáceret. In opitulándis, qui extrémo supplício afficeréntur, miræ fuit a Deo efficáciæ dono ornátus. Nec minus grátia enítuit, ægrótos ac morti próximos noctu diúque invísens: cujus exímiam pietátem divína sæpe prodígia prosecúta sunt. Eódem juvándi próximos stúdio, puéllas, quarum pudicítia periclitarétur ob inópiam rei familiáris, in tuto pósuit. Pérditas féminas a quæstu córporis ad continéntiam

convértit, eísque, ne egestátis prætéxtu íterum prolaberéntur, vitæ subsídia comparávit. Dénique in paúperes et omne miserórum genus ita fuit effúsus, ut prope porténti loco habeátur tantam pecúniæ vim potuísse corrogári, quantam ipse unus in iis sustentándis collocávit. Quæ sane admiránda viri cáritas non Augústæ Taurinórum septa limítibus se contínuit, sed ad síngulas Gálliæ Cisalpínæ, et Sabaúdiæ províncias pervásit; quo factum est, ut ómnibus his locis commúnis paréntis nómine appellarétur.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

In hac tam vária atque inténta apostólicæ vitæ sollicitúdine, stúdium orándi contemplandíque numquam intermísit: ita ut viderétur, tantis labóribus defatigátus, idéntidem in Dei recordatióne, et quasi ampléxu acquiéscere. Sanctíssimam Salvatóris nostri Matrem tenérrimo amóris sensu venerabátur, eámque ut álii veneraréntur studióse curábat. Castitátem in omni vita prætulit singulárem, quam abstinéntia, et córporis afflictatiónibus sevére custodiébat. Supérnis quoque donis a Deo ditátus, multa, partim ábdita apéruit, partim longe a conspéctu remóta monstrávit, partim étiam multo post futúra prædíxit. Talis quum esset, ita de se demísse humilitérque sentiébat, ut ex firma ánimi persuasióne créderet se mortálium ómnium ínfimum in Oratórii Congregatióne retinéri aliórum indulgéntia, et caritáte. Archiepiscopátum vero Taurinénsem magna ánimi contentióne a rege sibi delátum rejécit, ejúsque confessárii munus, quod invítus suscéperat, abdicávit: quærebátque modis ómnibus níhili se a quocúmque fíeri, sæpe tarditátem ingénii prǽferens, et géneris humilitátem plus nímio augéndo, aut prope inculcándo. Demum sénio ac labóribus debilitátus, et Ecclésiæ sacraméntis reféctus, mortem, quam ante prædíxerat, Augústæ Taurinórum óbiit tértio Kaléndas Februárii, anno millésimo septingentésimo décimo, ætátis suæ annum agens primum supra octogésimum: quem Gregórius décimus sextus Póntifex máximus, virtútibus et miráculis conspícuum, solémni ritu in beatórum númerum adscrípsit.

℟. Iste homo.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Sint lumbi vestri.** ut in Comm. Conf. non Pont. 1. loco.

Die 3. Februarii.

S. Blasii Episcopi et Mart.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die, sed in I. Noct. Lect. A **Miléto.** de Comm.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Si quis vult post me veníre.** ut in Comm. 2. loco.

Die 6. Februarii.

(Pro Diœc. Calatanisiadensi.)

B. Matthæi Episc. Agrig. et Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pontif., præter sequentia.

Oratio.

Da quǽsumus, omnípotens Deus, interveniénte beáto Matthǽo Confessóre tuo, atque Pontífice;

ut sicut ipse Sanctíssimi Nóminis Fílii tui Jesu amóre flagrávit, ita nos eódem accénsi, studeámus calcáre terréna, et amáre cœléstia: Qui tecum vivit.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadrages. Lect. **Fidélis sermo.** de Communi.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Matthæus Agrigénti in Sicília piis honestísque paréntibus natus, Deíque amóre præventus, pueritia ac adolescéntia summa morum pietáte transácta, patérnis valedícens ópibus, ac mundi spretis illécebris, ut Deo ad majóra vocánti sese intímius conjúngeret, apud minóres Conventuáles inter Cléricos connumerátus est. Vota jam solémnia proféssus, Hispániam, ut sacris humanísque disciplínis imbuerétur, ex obediéntia pétiit, ubi se totum pietátis opéribus, et excoléndis virtútibus dedit. Altióris inde perfectiónis stúdio, ac sancti Bernardíni Senénsis fama commótus, rigídius Fratrum de Observántia institútum amplexátus, ac inter ipsíus Bernardíni sócios adscríptus, Itáliam fere totam perlustrávit, et in Nómine Jesu, quod júgiter præseferébat, labescéntem ubíque pietátem ópere ac prædicatióne restítuit, Dómino sermónem confirmánte sequéntibus signis. Regulárem Observántiam per Hispániam restaurávit, ac in Sicília plúrimum promóvit. Deíparam Vírginem summo prosequebátur amóre, ac suavíssimi Jesu Nóminis inter Sículos præsértim ádeo strénuus assértor factus est, ut ubíque domórum fróntibus affíxum cernerétur. Plúrima præsértim in Sicília ejus ópera constrúcta sunt Monastéria, annuéntibus Martíno quinto ac Eugénio quarto Pontifícibus, in Jesu Nóminis Deiparǽque honórem, sanctæ Maríæ a Jesu appelláta.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Agrigentíno Epíscopo vita functo, invítus licet, unánimi cívium consénsu, plaudénte Alphónso Aragóniæ rege, Eugenióque quarto, Agrigentínæ Ecclésiæ præfícitur. Epíscopus ordinátus omni sane virtútum laude, uti lucérna super candelábrum pósita, corúscans, se totum ecclesiásticæ disciplínæ restaurándæ impéndit. Per summam calúmniam apud Eugénium accusátus, Deo sic permitténte, ut tamquam aurum in fornáce ejus probarétur constántia, Romam ab objéctis se purgatúrus sceléribus ádiit, ibíque a Summo Pontífice ínnocens declarátus, suæ est restitútus Ecclésiæ, cujus régimen paulo post sponte dimísit. Panórmum revérsus, a Conventuálibus ea in urbe degéntibus permánter excéptus, aliquantísper apud eos est commorátus, donec Observántiæ Vicário Provinciáli agénte ad suos revérsus est.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Aliquot ibi annis pie sanctéque transáctis, labóribus fractus, ac advérsa valetúdine afflíctus, Superiórum jussu ad Conventuáles dénuo est deportátus; ac tandem sénio, morbóque conféctus ad cœ-

lum evolávit. Illíus cadáver ab ejus frátribus vindicátum in cœnóbium sanctæ Maríæ de Jesu illátum est non sine prodígiis, in quibus illud insígne, quod evécto in Cœnóbii templum féretro, emórtuum licet, médium se eréxerit, et junctis deínde mánibus Eucharístiam adórans rursus decubúerit, magno astántium stupóre. Miraculórum glória in vita et post mortem célebris, ac Spíritu prophético et sanctitátis laude clarus, statim uti sanctus cœpit ab homínibus honorári. Quem cultum ab immemorábili témpore eídem præstitum Clemens décimus tértius ratum hábuit, festúmque diem ecclesiástico offício celebrári indúlsit. Ac tandem Pius Papa séptimus Lectiónes próprias in ejus offício recitári concéssit.

℟. Iste est qui.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Vigiláte. de Comm. Conf. Pont. 2. loco.

Die 9. Februarii.

S. Anastasii Martyris.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius Mart., præter sequ.

Oratio.

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris; ut qui ex iniquitáte nostra reos nos esse cognóscimus, beáti Anastásii Mártyris tui intercessióne liberémur. Per Dñm.

In I. Noct. Lect. de Script. occurr.

In II. Nocturno Lect. iv. Anastásius Persa. ut in Breviario die 22. Jan. Lectio v. et vi. de Comm. unius Mart. 1. loco.

Sed in III. Noct. Homilia in Evang. Si quis venit. de eodem Comm. 1. loco.

Eadem die.

(Pro Diœcesi Calatanisiadensi.)

S. Apolloniæ Virginis et Mart.

Duplex.

Omnia de Communi Virg. et Mart., præter sequentia.

Oratio. Deus, qui inter cétera.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadrages. Lect. De virgínibus. de Communi.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Apollónia, virgo Alexandrína, sub Décio imperatóre, cum ingravescénte jam ætáte ad idóla sisterétur, ut eis veneratiónem adhibéret, illis contémptis, Jesum Christum verum Deum coléndum esse, prædicábat. Quamóbrem omnes ei contúsi sunt et evúlsi dentes; ac nisi Christum detestáta, deos cóleret, accénso rogo combustúros vivam mináti sunt ímpii carnífices. Quibus illa, se quamvis mortem pro Jesu Christi fide subitúram, respóndit. ℟. Propter.

Lectio v.

Itaque comprehénsa, ut comburerétur, cum paulísper quasi delíberans, quid agéndum esset, stetísset, ex illórum mánibus elápsa, álacris in ignem sibi parátum, majóri Spíritus sancti flam̃a intus accénsa, se injécit. Unde brevi consúmpto córpore, puríssimus spíritus in cœlum ad sempitérnam martýrii corónam evolávit.

℟. Dilexísti justítiam.

De Sermóne sancti Gregórii Papæ.

Lectio vi.

Recte per Salomónem dícitur: Fortis est, ut mors, diléctio: quia sicut mors corpus intérimit,

sic ab amóre rerum corporálium ætérnæ vitæ cáritas occídit. Nam, quem perfécte absorbúerit, ad terréna foris desidéria velut insensíbilem reddit. Nec enim sancta hæc, cujus hódie natalítia celebrámus, mori pro Dómino potuísset in córpore, si prius a terrénis desidériis mórtua non fuísset in mente: eréctus namque in virtútis cúlmine ánimus torménta despéxit, præmia calcávit.

℟. Afferéntur Regi.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus.** de eodem Communi Virg. 1. loco.

Die 11. Februarii.

(Pro Diœc. Calatanisiadensi.)

S. Hygini Papæ et Martyris.

Duplex.

Omnia de Comuni unius Martyris, præter sequentia.

Oratio. **Infirmitátem.** de Comm.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadrages. Lectiones **A Miléto.** de Communi.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Hygínus Atheniénsis, philósopho Patre, cum jam Románæ Ecclésiæ présbyter esset, Cleri suffrágiis Thelésphoro suffféctus est. Sedit in sancta Petri sede, Imperatóre Antoníno Pio Augústo, annos tres, menses úndecim, dies vigínti octo. Ubi primum Póntifex renuntiátus est, Clericórum órdines in suos gradus distínxit: ac fecit, ut in iis Ecclésiis, quas Títulos vocant, tum primárii minístri, tum álii eísdem subjécti adéssent, qui fidélibus, cum res postuláret, sacra ministrárent.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Instítuit étiam, ne absque celebratióne Missæ templa, vel oratória sacro ritu consecraréntur; ne, inconsúlto epíscopo, vel nova construeréntur, vel jam constrúcta destrueréntur, et ne matéries ad sacrum illórum usum congésta et destináta, in profános usus converterétur. Edíxit prætérea, ut Patríni Baptísmo adéssent, qui de sacro fonte infántes levárent: ne quis Epíscopus reus críminis damnarétur, nisi a comprovinciálibus Epíscopis ejus causa probe discússa fuísset. Cuncta hæc ejus título ac nómine sancíta exstant. Tres ordinatiónes hábuit mense Decémbri, in quibus creávit Epíscopos sex, Presbýteros quíndecim, Diáconos quinque.

℟. Desidérium ánimæ.

Lectio vi.

Quum autem paulo ante Justínus, claríssimus philósophus et Christi Martyr, scripsísset Apológiam pro Religióne Christiána ad Imperatórem Antonínum Pium Augústum, obtínuit, ut persecútio desævíret. Hinc a Christianórum cæde, non quidem omníno, plúrimum tamen público Príncipis edícto, temperátum est. Sanctíssimo tamen pastóri, cujus cura Domínico gregi consúltum fúerat, párcitum non fuit: nempe hic glorióso martýrio, ne Antecessóribus dissímilis esset, innocentíssimam vitam terminávit anno Dómini centésimo quinquagésimo octávo, die

undécima Januárii, et sepúltus est in Vaticáno.

℟. Stola jucunditátis.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Si quis venit. de eodem Comm. 1. loco.

Die 12. Februarii.

Octava S. Agathæ Virg. et Mart.

Duplex.

Omnia ut in festo die 5. Februarii, præter sequ.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

De Epístola sancti Hierónymi Presbýteri ad Eustóchium.

De Custod. Virg. Tom. 1. circa medium.

Lectio iv.

De virgínibus, inquit Apóstolus, præcéptum Dómini non hábeo. Cur? quia et ipse ut esset virgo, non fuit impérii, sed própriæ voluntátis. Neque enim audiéndi sunt, qui eum uxórem habuísse confíngunt; cum de continéntia dísserens, et suádens perpétuam castitátem, intúlerit: Volo autem omnes esse, sicut meípsum. Et infra: Dico autem innúptis, et víduis: Bonum est illis, si sic permáneant, sicut et ego. Quare ergo non habet Dómini de virginitáte præcéptum? quia majóris est mercédis, quod non cógitur, et offértur: quia si fuísset virgínitas imperáta, núptiæ videbántur ablátæ, et duríssimum erat contra natúram cógere, Angelorúmque vitam ab homínibus extorquére.

℟. Ego autem.

Lectio v.

Alia fuit in véteri lege felícitas: ibi dícitur: Beátus, qui habet semen in Sion, et domésticos in Jerúsalem; et: Maledícta stérilis, quæ non pariébat, et: Fílii tui sicut novéllæ olivárum in circúitu mensæ tuæ. Vácuus erat orbis, et ut de týpicis táceam, sola erat benedíctio liberórum. Proptérea et Abraham jam senex Cethúræ copulátur, et Jacob mandrágoris redímitur, et conclúsam vúlvam in Ecclésiæ figúram Rachel conquéritur. Paulátim vero increscénte ségete, messor immíssus est. Virgo Elías, Eliséus virgo, vírgines multi fílii prophetárum. Jeremíæ dícitur: Et tu ne accípias uxórem. Sanctificátus in útero, captivitáte propínqua, uxórem prohibétur accípere. Aliis verbis idípsum Apóstolus lóquitur: Exístimo hoc bonum esse propter instántem necessitátem. Quæ est ista necéssitas, quæ aufert gaúdia nuptiárum? Tempus breviátum est, in próximo est Nabuchodónosor.

℟. Ipse me.

Lectio vi.

Inveniebátur ergo, ut díximus, in viris tantum hoc continéntiæ bonum, et in dolóribus júgiter Eva parturiébat. Postquam vero Virgo concépit in útero, et péperit nobis púerum, cujus principátus in húmeros ejus, Deum fortem, Patrem futúri sǽculi; solúta maledíctio est. Mors per Evam, vita per Maríam. Ideóque et dítius virginitátis donum fluxit in féminas, quia cœpit a fémina. Statim ut Fílius Dei ingréssus est super terram, novam sibi famíliam instítuit, ut qui ab Angelis adorabátur in cœlo, habéret Angelos et in terris. Tunc Holoférnis caput Judith cóntinens

amputávit: tunc Aman, qui interpretátur iníquitas, suo combústus est igni: tunc primum audítum est: Quæ non est nupta, cógitat, quæ sunt Dómini, ut sit sancta córpore, et spíritu.

℟. Vidísti, Dómine.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 19.

In illo témpore: Accessérunt ad Jesum Pharisǽi tentántes eum, et dicéntes: Si licet hómini dimíttere uxórem suam quacúmque ex causa? Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 32. in Matth. c. 19. circa medium.

Judǽi in fínibus suis constitútum Dóminum tentavérunt, et repulérunt, et in fornicatiónibus suis corporálibus fornicatiónem suam conféssi sunt spirituálem, dicéntes: Si licet viro dimíttere uxórem suam quacúmque ex causa? Quia non potest ánimo esse castus, qui córpore est lascívus: hoc est, non potest Deo esse fidélis, qui uxóri suæ pérfidus est: sicut nec ex divérso consciéntiam servat, qui Deo fidem non servat, sed áltera altérius fornicatiónis est accusátrix. Et illi quidem secúndum carnem interrogábant, quæ pati merebántur secúndum spíritum.

℟. Beáta Agatha.

Lectio viii.

Christus autem respóndit eis, quod fácere eos non decébat, dicens: Quicúmque dimíserit uxórem suam, nisi ob causam fornicatiónis, et áliam dúxerit, mœchátur. Sicut enim uxórem quocúmque modo contra voluntátem viri agéntem, dignum est repéllere: non autem est justum, quantum ad gravitátem viri, nisi ob causam fornicatiónis: sic et Ecclésia quocúmque modo contra voluntátem égerit Christi, digna est ábjici: non autem abjícitur, propter longanimitátem Christi, nisi sola causa transgressiónis.

℟. Medicínam.

Lectio ix.

Sicut enim, si Christus prius dimisísset Ecclésiam Judæórum, non eis subminístrans per scriptúras notítiam suæ divinitátis, ipse faciébat eam adúlteram cum diis extráneis: quóniam natúra rationábilis, et súbdita Deo creáta, sine Deo non potest esse: sic Christo semper eis sciéntiam suæ divinitátis subministránte, quóniam synagóga spernens transíbat ad idóla, inexcusábilis adúltera repérta est. Propter quod répulit Christum, non répulit eam Christus, non quacúmque ex causa, sed propter causam fornicatiónis ipsíus: quia non solum diábolo se conjúnxit, sed étiam interfécit eum, pro quo mori debúerat. Ab inítio enim Deus génuit Christum, deínde creávit hóminem quasi cónjugem, et poténtem suscípere verbum ipsíus. Ideo clamat: Quod Deus conjúnxit, homo non séparet.

Te Deum laudámus.

Eadem die.

(Pro Diœc. Calatanisiad.)

S. Agathonis Papæ et Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont., præter sequentia.

Oratio. **Da, quǽsumus.** de Comm.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadrages. Lect. **Fidélis sermo.** de Communi.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Agatho, natióne Sículus, ex doctíssimo ac sanctíssimo mónacho Románus Póntifex creátus est anno Christi sexcentésimo septuagésimo octávo. Vir suma humanitáte, exímio ánimi candóre, singulári morum suavitáte et comitáte prǽditus. Cunctórum amans, cunctis amabilíssimus. Ita demum a natúra et grátia comparátus, ut ad suprémam illam dignitátem geréndam natus, seu factus esse viderétur. ℟. Invéni David.

Lectio v.

Accéptis a Constantíno Pogonáto lítteris ad Donum prædecessórem scriptis pro convocándo Concílio œcuménico ad diutúrnum schisma tolléndum, quo laborábat Ecclésia, et definiéndas fídei controvérsias, quæ toto fere Oriénte máximas tempestátes atque minas excitárant; Provinciáles Sýnodos in Occidénte habéri curávit, in quibus Monothelitárum causa discuterétur, et damnaréntur erróres. ℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

His præmíssis, legátos suos et Concílii Románi misit Constantinópolim cum bonis lítteris ad Imperatórem, in quibus, prædícta hǽresi dócte, fuse ac sólide refutáta, damnatísque primáriis illíus sectatóribus, Sérgio scílicet, Cyro, Paulo, Pyrro, Petro et áliis, antecessóres suos ab omni erróris labe immúnes hucúsque fuísse expréssis verbis declarávit. Agathónis ígitur auctoritáte sexta Sýnodus universális congregáta est, in qua iídem erróres, iidémque errántes damnáti fuérunt. Demum, cum tres annos et quinque círciter menses sedísset, pie óbiit in Dómino, et in Basílica Príncipis Apostolórum sepultúræ mandátus est.

℟. Iste est qui.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Homo péregre.** de eodem Com. 1. loco.

Die 15. Februarii.

(Pro Diœc. Calatanisiad.)

B. Bernardi a Corleone Conf.

Semiduplex.

Omnia de Comuni Conf. non Pont., præter sequ. **(m. t. v.)**

Oratio.

Deus, qui beátum Bernárdum, Confessórem tuum, heróica caritáte, et admirábili pœniténtia claróre fecísti: ejus nobis intercessióne concéde; te super ómnia toto cordis afféctu dilígere, et dignos pœniténtiæ fructus fácere. Per Dóminum.

In I. Noct. Lect. de Script. occurr.

In Quadrag. Lectiones **Beátus vir.** de eodem Comm. 2. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Bernárdus a Corleóne, regni Sicíliæ óppido, piis honestísque paréntibus Leonárdo et Francísca de Latínis ortus octávo

Idus Februárii, año millésimo sexcentésimo séptimo eodémque die sacro fonte ablútus, Philíppi nomen obtínuit. Puer sutóris artem apud patrem diu exércuit, quam, eo mórtuo, statim abjécit. Erat autem in adolescéntulo, præter índolem pugnácis ingénii, mira in armórum usu, et natíva dextéritas, quam ingens membrórum robur efficiébat alacriórem. Tali ímpetu abréptus, et laxióris vitæ captus dulcédine, tempus omne, ut júvenum pleríque, in factiónum, rixarúmque perículis, ceteríisque sǽculi vanitátibus traducébat. Verum inter cæcos hujúsmodi erróres præclára quædam emicábant bona ac religiósæ mentis indícia. Primum enim in tanta licéntia, síngulis diébus sub vésperam visus est domo égredi, ut armis defénderet senes, féminas, puerósque ad óppidum sero redeúntes, ne quid ab insidiántibus per noctem milítibus detriménti cáperent. Prætérea antíquam Christi Liberatóris imáginem sǽpius invisébat religiónis causa, et præcípuo venerabátur cultu Francíscum Assisinátem. Intérim a quodam sodáli suo, béllicæ laudis ǽmulo, ad digladiándum provocátus, semel iterúmque recusávit; sed tandem venit in conflíctum, quo illum gráviter vulnerávit. Tali crímine huc illuc prófugus, diúque trépidans, cœpit dénique cogitáre, quanto ánimi et córporis in discrímine versarétur. Tália revolvénti divína favit cleméntia, a qua sensit se fórtiter suavitérque deprehénsum. Quamóbrem nihil cunctátus, impetráta facultáte, Calatanixéctam pétiit, ibíque Philíppi cum Bernárdi nómine commutáto, Christi crucem inter Fratres Capuccínos ampléxus est.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Tirocínii spátio cum laude conf écto, tota deínceps vita, dignos pœniténtiæ fructus fácere magis, magísque procurávit. Septem quadragesimárum jejúnia, sacro órdini consuéta, numquam illi satis: quamplúra per annum pane et aqua conténtus áddere sibi consuévit, máxime in pervigíliis Deíparæ, Michaélis Archángeli, Francísci, Apostolórum, ac sexta quaque féria quadragenárii jejúnii, cibo haustúque prorsus omni abstinébat. Aliquot post annos pœniténtiæ ardóre flagrántior, quum sólidas in pane et aqua tradúceret hebdómadas, elánguidum pulte áliqua fovére stómachum cœnóbii præses jussit; quo coáctus império, multo immíxtam cínere, sapóre ingratíssimo degustábat. A religiósæ vitæ exórdio ad extrémum usque spíritum, ne quid mínimum voluptátis paláto indúlsit. Crústula, bellária, placéntas, sive córpore mélius se habéret, sive detérius, numquam áttigit. Somno vix binas, ternásque horas dare sólitus, lectum ex angústo asse sibi fecit, et pulvínar ex trunco. Rústica sub lana aspérrima condébat cilícia, quorum máxime unum, non tactu solum, sed étiam visu erat formidándum. Cilíciis gravióra fuére vérbera, quibus die noctúque sépties se cruentábat.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

Tot tantísque cruciátibus, dum córpore magis infirmabátur, spíritu evadébat poténtior. Orándi namque stúdio támdiu óperam impéndit, quámdiu ab extérna rerum administratióne vacávit. Quotídie mane ea subsecíva témporis moménta, quæ póterat, ómnia avidíssime arrípere, seque in ángulis ábdere, ibíque oráre; pomeridiánas vero, et vespertínas horas, cum sui erat juris, íntegras Deo dicáre consuévit. Sénio jam conféсto, officiísque liberáto, tum prope lícuit Beatórum more vívere; nam æque ánimo et córpore immótus, excipiébat divíni lúminis rádios, ac Patri cœlésti mira quadam spíritus dulcédine jungebátur. Ac licet usque ádeo contemplatióni déditus esset, nosocomía tamen, carcerésque frequentáre, ægrótis præsto esse, egénis aliménta divídere, calamitósis ómnibus opituléri perréxit usque ad extrémum. Multas vitiórum pestes e pópulo sústulit, et augéndo beátæ Vírginis cúltui assídue vacávit. Illum vicíssim Virgo multis maximísque ornávit benefíciis; inter quæ illud impetrásse fertur, ut quarto ante óbitum mense lætíssimum ab ea núntium accéperit. Dono tandem prophetíæ, curatiónum grátia, miraculísque plúribus clarus, máxima sanctitátis celebritáte, ea qua prænuntiáverat die, vi morbi oppréssus, in Dómino obdormívit annos natus duos supra sexagínta. Virtútum ejus prodigiorúmque judício institúto, venerábilem virum Clemens décimus tértius beatórum fastis adscrípsit. ℟. Iste homo.

In III. Nocturno Homil. in Evang. **Sint lumbi vestri.** de eodem Communi 1. loco.

Die 21. Februarii.

Ss. Claudii, Sabini et **Maximi** Civium Panorm. aliorumque Septuaginta sex Mart. Siciliensium.

Duplex.

Omnia de Communi plurim. Mart., præter sequentia.

Oratio.

Majestátem tuam, Dómine, supplíciter exorámus, ut, intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Claúdio, Sabíno et Máximo, eorúmque sóciis, a cunctis malis, quibus incessánter afflígimur, te miseránte, liberémur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadr. Lect. **Fratres: Debitóres.** de Communi.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Diocletiáno et Maximiáno imperatóribus, anno trecentésimo tértio, in Sicília septuagínta novem Mártyrum fortitúdo in confessióne Christiánæ Religiónis, et in cruciátibus perferéndis enítuit, quorum méminit Martyrológium Románum die vigésima prima Februárii, qua martýrium subiérunt. Quamvis autem eorúmdem nómina acta síleant, Claúdium, Sabínum et Máximum inter ipsos Mártyres antíqua tradítio recénset. Quorum memória a vetustíssimis tempóribus in Ecclésia Panormitána religióse cólitur.

℟. Sancti tui.

De expositióne sancti Ambrósii Epíscopi.

Sermo 12. in Psalmum 118.

Lectio v.

Me exspectavérunt peccatóres, ut pérderent me, testimónia tua intelléxi. Potest vox ista convenire martýrio, in quo pósitus Sanctus, jam de judício persecutóris egréssus, dicat: Me exspectavérunt peccatóres, ut pérderent me: hoc est adhibuérunt ómnia génera pœnárum, omnes artes persuasiónum, sed de propósito abdúcere nequivérunt. Vicit fides vitæ hujus illécebram, corporísque cruciátum: exspectavérunt peccatóres, ut de me triúmphum reférrent; sed grátias Christo, qui mihi dedit de persecutóribus triumpháre.

℟. Vérbera carníficum.

Lectio vi.

Redíte victi, qui sperabátis vos esse victóres: redíte dejécti, qui veniebátis supérbi! Ubi est victória tua! Ubi est mors acúleus tuus! Non tua jam, sed nostra cœpit esse victória; quia in te víncimus, in qua ántea vincebámur. Bene ergo dicit Martyr: Me exspectavérunt peccatóres, ut pérderent me. Post moméntum, immo in córpore adhuc pósitus, videt deducéntium choros, Angelórum gaúdia. Qui enim super uníus peccatóris conversióne lætántur, quanto magis in passióne justórum? Videt glóriam, et ait: Me exspectávit Christus, ut coronáret me.

℟. Tamquam aurum.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 21.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum audiéritis prælia, et seditiónes, nolíte terréri: opórtet primum hæc fíeri, sed nondum statim finis. Et réliqua.

Homilía S. Augustíni Epíscopi.

Serm. 14. lib. 50. hom.

Dóminus noster Jesus Christus téstibus, idest, martýribus suis, pro humána fragilitáte sollícitis, ne forte eum confiténdo, atque moriéndo perírent, magnam securitátem dedit, dicens: Capíllus de cápite vestro non períbit. Times ergo ne péreas, cujus capíllus non períbit? Si sic custodiúntur supérflua tua, in quanta securitáte est ánima tua? Non perit capíllus, qui cum tondétur, non sentis, et perit ánima, per quam sentis? Sane multa dura eos passúros esse prædíxit, ut prædicéndo fáceret paratióres, diceréntque illi: Parátum cor meum.

℟. Propter testaméntum.

Lectio viii.

Quid est parátum cor meum, nisi paráta volúntas mea? Parátam ergo habent Mártyres voluntátem in martýrio, sed præparátur volúntas a Dómino. Illis autem malis duris, atque ásperis futúris commémorans adjécit: In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras. In vestra patiéntia inquit: non enim esset patiéntia tua, si non ibi esset et volúntas tua. In vestra patiéntia: sed unde vestra? Nostrum est quod a nobis

habétur: nostrum est et quod nobis donátur.
℟. Sancti mei.

Lectio ix.

Quómodo enim áliquid donas, nisi ut ejus sit, cui donas? Apérta est enim illa conféssio: Nonne Deo subjiciétur ánima mea? ab ipso enim est patiéntia mea. Dicit nobis ipse: In vestra patiéntia. Dicámus illi et nos: Patiéntia mea ab ipso est. Tuum fecit donándo, noli ingrátus esse tibi assignándo. Nonne in oratióne Domínica dícimus et nostrum esse quod a Deo est? Quotídie dícimus: Panem nostrum quotidiánum. Jam dixísti: Nostrum, et dicis: Da nobis. Ecce nostrum, ecce da nobis. Illo dante fit nostrum.
Te Deum laudámus.

Die 25. Februarii.
(Pro Diœc. Calatanisiad.)
S. Gerlandi Episc. Agrig. et Conf.
Duplex.

Omnia de Communi Confess. Pont., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Gerlándum Confessórem tuum, atque Pontíficem prædicatiónis grátia ad fídei exaltatiónem decoráre dignátus es: præsta, quǽsumus; ut ejus suffragántibus méritis, quæ ipse dócuit, ópere adimplére mereámur. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones Fidélis sermo. de Comm. Conf. Pont.

In II. Nocturno.
Lectio iv.

Gerlándus, Vesontióne in Burgúndia nóbili génere natus, ab ineúnte ætáte præclára dedit futúræ sanctitátis indícia. Adhuc adoléscens, fluxam mundi glóriam contémnens, cœléste regnum ardénti desidério cœpit exquírere. Exiens ítaque de terra sua et de cognatióne sua et inIcíliam adnávigans, quum sensim ejus fama longe latéque manáret, ac magno in honóre habéri incíperet, inde in próximam Calábriæ Províneiam descéndit: ubi in Militénsi Ecclésia Primicérius choro præfícitur. Verum, quum illórum hóminum vivéndi licéntiam ferre non posset, clam se subdúcens, illinc in pátriam íterum remigrávit. Quum Rogérius, Calábriæ Comes, Saracénis fugátis, Sicíliam pene totam suæ ditiónis fecísset, atque Agrigentína Ecclésia viduáta esset Pastóre, Gerlándum e Burgúndia, per legátos suos conquisítum, revocándum curávit. Qui divínæ obtémperans voluntáti, in Calábriam dénuo revértitur: et unánimi ómnium consénsu Agrigénti Epíscopus eléctus, ab Urbáno secúndo, Románo Pontífice, consecrátur.
℟. Invéni David.

Lectio v.

Epíscopus renuntiátus, morum gravitáti exímiam vitæ castimóniam conjúngens, cathólicam fidem, et ecclesiásticam disciplínam, prædicatiónis assiduitáte ádeo propagávit, ut plúrimos e Saracénis et Judǽis ad Christi fidem convérterit. Inopes et paúperes ómnibus caritátis complectebátur officiis. Pupillórum ac viduárum necessitátibus ita movebátur, ut omni ópera, pecúnia, ac patrocínio, eórum indigéntiam, ac solitúdinem subleváret. Peregrínos quo-

que benígno excipiébat hospítio: ac morbo laborántes sédulo invísens, patérno consolabátur afféctu. Cathedrálem Ecclésiam Barbarórum incúrsu fúnditus olim evérsam, muníﬁca pietáte restítuit; et in honórem beatíssimæ Vírginis Maríæ, sancti Jacóbi, et ómnium Apostolórum solémni ritu consecrávit.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Quum vero áliquot ménsibus, ántequam e vita migráret, juxta antíquam Episcopórum consuetúdinem, Romam ad sacra Apostolórum límina accessísset, et inde rédiens, Balneária, Calábriæ óppido, pertransíret, ad Drogónem, loci præpósitum divértit. Cui próximam córporis dissolutiónem imminére sibi prænúntians, illum eníxe deprecátus est, ut sui semper post óbitum ad Dei Altáre meminísset, cum síquidem sibi in Episcopátu successúrum, Deo reveiánte, cognóverit. Quam cœ́litus hábitam prænotiónem, ea quæ paulo post sunt secúta, demonstrárunt. Nam sex elápsis vix ménsibus, Gerlándus felíciter die vigésima quinta Februárii obdormívit in Dómino: in cujus étiam locum Drogo suffícitur. Sacrum defúncti corpus in Cathedrálem Ecclésiam pia Clericórum et fidélium pompa deportátum, eam suavíssimo quem efflábat odóre, replévit: ac conveniéntibus províncíæ Epíscopis ad funus celebrándum, quarto post óbitum die sepultúræ fuit demandátum.

℟. Iste est qui.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Homo péregre.** de eodem Com. 1. loco.

Ad Bened. Ant. **Hæreditátem géntium adéptus beátus Gerlándus, parávit Dómino plebem perféctam, pópulum acceptábilem, sectatórem bonórum óperum.**

Die 26. Februarii.

S. Joannis Theristi Abbatis Civis Panormitani.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pont., præter sequ. **(m. t. v.)**

Oratio.

Supplicatiónes pópuli tui, quǽsumus, Dómine, cleménter exaúdi, et intercessióne beáti Joánnis Abbátis temporálibus non destituátur auxíliis, et spirituálibus semper profíciat increméntis. Per Dóminum nostrum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadrag. Lect. **Justus si morte.** de Communi 1. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Joánnes, e Calábria oriúndus, Panórmi natus est; ejus namque mater grávida, occíso a Saracénis viro, et captíva ab iis Panórmum addúcta, ibídem Joánnem péperit, piéque educávit. Cum esset annórum quatuórdecim, matérnis jussiónibus obtémperans, Calábriam pétiit, ut thesaúros patérnos, in Oppido Cursáno abscónditos, inquíreret. Sed pius adoléscens cœléstia magis, quam terréna, exquírens, statim ac Calábriam et Stylum pervénit, ab illíus loci Epíscopo baptizátus, in monastérium órdinis Basiliáni, prope

montem septentrionálem Styli exstrúctum, sanctitáte tunc témporis conspícuum, ingréssus, ibi sanctimóniæ et miraculórum laude flóruit.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Corpus suum, in se véluti in infensíssimum hostem sæviens, frígore, nuditáte, fame, siti, chameúniis, flagéllis, labóribus, aliísque cruciátibus affligébat. Agrum cujúsdam viri nóbilis, cujus eleemósynis Rodiánum cœnóbium, quod Joánnes tunc visitábat, sustentabátur, ingréssus, messóres, a quibus deridebátur, parvo pane et módico vino abúnde satiávit, et copiosíssimæ ségetes, quæ nonnísi a multis messóribus per plures dies cólligi póterant, ipsíus précibus deméssæ, et in fascículos colligátæ, dómino agri, et ipsis messóribus demirántibus, apparuérunt. Unde Therísti, seu messóris nomen, ejúsque imágines cum falce, buccélla panis et vini póculo depíngi consuevérunt.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

In próprium monastérium revérsus, illíus abbas invítus eléctus est, cujus múneris partes ut probe expléret, monásticum institútum promovére, et fratres verbo et exémplo ad perfectiónis ápicem evéhere summópere stúduit. Miráculis tandem et sanctitáte conspícuus, in eódem cœnóbio obdormívit in Dómino, ineúnte sǽculo undécimo. Multis elápsis annis famáque percrebrescénte cœnóbium novum et ecclésia sub invocatióne nóminis ejúsdem Sancti exstrúcta sunt. Ibíque corpus honorífice depósitum fuit. Postrémum sacrum e córpore bráchium, anno millésimo septingentésimo vigésimo quarto, Josépho Gasch Archiepíscopo, Panórmum delátum in templo cathedráli summa veneratióne cólitur.

℟. Iste homo.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 10.

In illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te; quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis.

Declar. Evang. hujus verbi.

Arbitror verba lectiónis hujus ea esse, de quibus ad immortálem sponsum a fínibus terræ clamat Ecclésia: Propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras. Hæc nempe sunt verba, quæ contémptum mundi in univérso mundo, et voluntáriam persuasére homínibus paupertátem. Hæc sunt, quæ mónachis claustra replent, desérta anachorétis. Hæc, inquam, sunt verba, quæ Ægýptum spóliant, et óptima quæque sua vasa dirípiunt. Hic sermo vivus et éfficax, convértens ánimas felíci æmulatióne sanctitátis, et veritátis promissióne fidéli.

℟. Iste est, qui.

Lectio viii.

Nam et mundus transit, et concupiscéntia ejus, et relínquere hæc magis éxpedit, quam relínqui. Ecce, inquit, relíquimus ómnia, et secúti sumus te: nimírum, quia ex-

sultávit ut gigas ad curréndam viam, nec curréntem sequi póteras onerátus. Sed nec inútilis commutátio pro eo, qui super ómnia est, ómnia reliquísse; nam et simul cum eo donántur ómnia, et ubi apprehénderis eum, erit unus ipse ómnia in ómnibus, qui pro ipso ómnia reliquérunt. Omnia sane díxerim, non tantum possessiónes, sed étiam cupiditátes, et eas máxime. ℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Petrus cogitátum suum jactans in Dómino, et omnem sollicitúdinem suam in eum projíciens, certus, quod illi foret cura de eo, relíquit ómnia, secútus est Dóminum, ne intérrogans quidem de prǽmio, donec Salvátor prosequebátur, súmeret occasiónem percunctándi: Quid ergo erit nobis? Ait illi Jesus: Amen dico vobis. Verbum confirmatiónis præmíttitur, magnum nóveris esse, quod séquitur: In regeneratióne sedébitis et vos. Consequémini, ait, quem sequímini; ut cum ipse séderit, et vos páriter sedeátis. O séssio! Quis mihi tríbuat, ut dignis éxprimam verbis quod de sessióne hac cordis affectióne concípio? Imo quis tríbuat mihi sessiónis hujus imperturbáta frui réquie, quam desídero, quam cúpio, quam requíro? Te Deum laudámus.

Die 27. Februarii.

(Pro Diœc. Calatanisiad.)

S. Leandri Episc. Hispalensis et Confessoris.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont., præter sequ. **(m. t. v.)**

Oratio.

Deus, qui Ariánam pravitátem doctrína sancti Confessóris tui, atque Pontíficis Leándri ex Hispánia propulísti: da plebi tuæ, ut ejúsdem méritis et précibus, ab omni errórum et vitiórum labe semper líbera conservétur. Per Dóminum nostrum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadrages. Lect. **Fidélis sermo.** de eodem Communi 1. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Ex B. Isidoro et Ss. Hispanorum hist.

Leánder, Carthágine ex patre Severiáno, viro claríssimo ejúsdem Carthágaginis dómino ortus, fratres hábuit sanctos epíscopos Isidórum et Fulgéntium, sanctitáte et doctrína præstantíssimos, et Florentínam vírginem. In eo a téneris annis castíssimæ luxit intégritas vitæ et morum grávitas máxime venerábilis, quam incomparábilis ingénii cláritas illustrábat. Gliscénte eo témpore hæreticórum furóre sub Wisigóthis princípibus, qui cum império Ariánam impietátem in Hispániam invéxerant, et ejus ecclésias mísere vexábant: públicæ vitæ pertǽsus adoléscens in religiósum monastérium se recépit; ut in propósito perfectióris institúti sánctius Deo inservíret, et piis stúdiis et meditatiónibus in tranquíllo sese exercéret. In eo sanctitáte et doctrína ádeo profécit, et in omni génere virtútum, diviníśque et humánis lítteris conspícuus evásit, ut Isidórus germánus suus ad Claúdium

ducem de quibúsdam artículis, ad fidem pertinéntibus, ínstruens scrípserit: Meménto commúnis nostri doctóris Leándri, et ejus fidem atque doctrínam pro víribus imitáre. Sed nóluit Deus tam splendéntem pietátis et doctrínæ lucérnam in occúlto delitéscere, sed in fastígio Ecclésiæ pósitam, Hispániæ prælucére: nam clero et pópulo exposcénte, a monastério avúlsus, epíscopus Hispalénsis creátus est.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Suscéptam ecclésiam omni cura ac sollicitúdine gubernávit: cleri et pópuli mores ad arctam disciplínam tradúxit: solémnia Ecclésiæ offícia, hymnódiam, sacræ Missæ ritus, precésque, quibus eo témpore omnes Hispániæ ecclésiæ utebántur, ordinávit et auxit. A persequénda Ariána hǽresi prædicatióne numquam déstitit. Monásticum órdinem Benedictínum amplificáre in Hispánia cœpit, ac soróri suæ Florentínæ régulam pro institutióne Vírginum dedit. His et áliis mire gestis, Constantinópolim pro causis fídei Wisigothórum legátus proféctus est; ubi ob exímiam religiónem et doctrínam apud sanctum Gregórium, Románi Pontíficis Apocrisárium tunc ibi degéntem, tanti hábitus fuit, tantáque amicítia illi conjúnctus, ut ad Románam Sedem póstea promótus, cum Leánder in ecclésiam suam jam fuísset revérsus, pállii ornaméntum míserit, frequéntibus epístolis illum honoráverit; libros in Job, quos illi dicávit, una cum Pastoráli, his lítteris benevoléntia plenis, ad ipsum transmíserit: Quanto ardóre vidére te sítiam, quia valde me díligis, in tui tábulis cordis leges; sed quia longo terrárum spátio disjúnctum te vidére néqueo, unum, quod mihi de te dictávit cáritas, fuit, ut librum Régulæ Pastorális, quem in episcopátus mei exórdio scripsi, et libros, quos in expositiónem beáti Job jam dudum me fecísse cognovísti, sanctitáti vestræ transmíttere curáverim.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Sancto ergo præsule suæ ecclésiæ restitúto, vix enarrári possunt, quæ pro glória Dei, proque eliminánda hǽresi Ariána laborávit. Hermenegíldum enim nepótem suum, Leovigíldi regis fílium, sermónibus suis haud solum ad fídei confessiónem perdúxit, sed, ut glorióso sánguinis testimónio illam confirmáret, adéptus fuit. Inflammátus furóre pater in Leándrum, et in omnes adhuc ecclésias, exsílio eum mulctávit, et illas facultátibus et pastóribus orbátas relíquit. Nec tamen déstitit cum fídei hóstibus líbere decertáre. In ipso síquidem exsílio, ut frater suus Isidórus testátur, duos libros erudítíssime sanctárum Scripturárum ditíssimos scripsit, quibus eórum perfídiam confutávit. Affúlsit tandem Ecclésiæ post illam nubem optáta serénitas. Rex enim cum in morbum incidísset, sub mortem in meliórem mentem, (licet non ut oportébat) revérsus, Leándrum cum áliis epíscopis ab exsílio revocári jussit, eíque Reccarédi fílii curam dedit. Defúncto patre, piíssimus rex Reccarédus doctrínam,

consília, et exémpla Leándri secútus, ejus ópera Gothos ad fidem convérti mirabíliter fuit adéptus. Leánder ergo cum tam miram conversiónem vidísset, Hispániæ epíscopos in Toletánam sýnodum conveníre omni sollicitúdine promóvit, quod et Reccarédus máxime curávit. In eo enim concílio, duóbus supra sexagínta epíscopis congregátis, et omni clero, primáriis regni, étiam et ipso rege assidéntibus, Ariána hǽresis fuit damnáta et abjuráta, et fides cathólica ab ómnibus unanímiter suscépta, et uno ore laudáta. Leánder ígitur elegantíssima concióne pátribus de gentis conversióne congratulátus est. Múltaque ad fidem et disciplínam Ecclésiæ sanciéndam tum in eódem concílio, tum in álio, quod póstea Híspali celebrávit, constituénda dispósuit. Demum religióne restitúta et Ecclésiæ pace firmáta, jam octogenário major, cum ecclésiam quadragínta et ámplius annos rexísset, admirábili vitæ ac sanctitátis exémplo migrávit ad Dóminum. Sepúltus fuit in basílica sanctárum vírginum Justæ et Rufínæ; póstea ejus corpus in Hispalénsem ecclésiam translátum est. ℟. Iste est qui.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 5.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras, et conculcétur ab homínibus. Et réliqua.

Homilía sancti Isidóri Epíscopi Hispalénsis.

Tam doctrína, quam vita clarére debet ecclesiásticus doctor. Nam doctrína sine vita arrogántem reddit: vita sine doctrína inútilem facit. Sacerdótis prædicátio opéribus confirmánda est: ita ut quod docet verbo, ínstruat exémplo. Vera est illa doctrína, quam vivéndi séquitur forma. Nam nihil túrpius est quam si bonum, quod quisque sermóne prǽdicat, explére ópere négligat. Tunc enim utíliter prædicátio profértur, quando efficáciter adimplétur. Unusquísque doctor et bonæ actiónis, et bonæ prædicatiónis habére debet stúdium: nam álterum sine áltero non facit perféctum, sed præcédat justus bene ágere, ut sequénter possit bene docére.

℟. Amávit eum.

Lectio viii.

Omnis útilis doctor plébibus subjéctis ita se præstáre debet, atque insístere doctrínæ, ut quanto claret verbo, tanto claréscat et mérito. Nam quod Apóstolus Timótheo prǽcipit cum omni império docére: non hortátur ad tumórem supérbiæ, sed ad bonam actiónem, et vitæ auctoritátem: vidélicet ne libertátem pérderet prædicándi, si bene docéret, et male víveret. Unde et Dóminus: Qui sólverit unum de mandátis istis mínimis et sic docúerit, mínimus erit in regno cœlórum. Vides quod auctoritáte magistérii caret, qui quod docet, non facit. Sicut in numísmate metállum, figúra, et pondus inquíritur; ita in omni dóctore ecclesiá-

stico quod sequátur, quid dóceat, quómodo vivat. Per qualitátem ígitur metálli doctrína, per figúram similitúdo Patrum, per pondus humílitas designátur. Qui vero ab his tribus discrepáverit, non metállum, sed terra erit.

℟. In médio.

Lectio ix.

Qui præfícitur ad régimen, táliter erga disciplínam subjectórum præstáre se debet, ut non solum auctoritáte, verum étiam humilitáte claréscat. Sed tamen ita erit in eo virtus humilitátis; ne dissolvátur vita subditórum in vítiis: atque ita auctóritas áderit potestátis, ne per timórem cordis sevéritas exsístat imoderatiónis. Hæc est enim in Dei Sacerdótibus vera discrétio, qua nec per libertátem supérbi, nec per humilitátem remíssi sint. Hinc est quod sancti cum magna constántia redarguérunt étiam príncipum vítia, in quibus quum summa esset humílitas, loco tamen necessário líbere transgressóres justítiæ increpábant. Aliquándo súbditis non opórtet ánimo esse humilióres, quóniam facta subditórum judicántur a nobis, nostra vero Deus júdicat. Agnóscat epíscopus, se esse consérvum plebis, non dóminum verum. Hoc cáritas, non condítio éxigit.

Te Deum laudámus.

Feria VI. post Cineres.

In Comemoratione

Passionis D. N. J. Chr.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis Feria III. post Domin. Sexages. Et fit com. Feriæ in utrisque Vesp. et Laud.

Die 1. Martii.

(Pro Diœc. Calatanisiad.)

B. Joannæ Mariæ Bonomo

Virginis.

Duplex.

Omnia de Communi Virg., præter sequentia.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, virtútum ómnium exémplar et prǽmium, qui beátam Joánnam Maríam Vírginem tuam admirábili patiéntia pro nóminis tui amóre decorásti: da pópulo tuo ejus solémnia celebránti, ita sequi vestígia, ut assequátur et prǽmia: Qui vivis et regnas.

In I. Nocturno Lect. De virgínibus. de Communi.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Joánna María Bónomo Virgo, Joánne et Virgínia ingénuis, piísque paréntibus nata est Asyliáci, non ignóbili pago ex septem fœderátis commúnibus apud agrum vicentínum, anno humánæ salútis millésimo sexcentésimo sexto. Ab ineúnte ætáte non obscúra prǽbuit sanctitátis indícia; postque exáctos summa pietáte pueríles annos virginitátem suam Deo consecráre decrévit. Mórtua matre, forte ánimo réstitit patri, précibus atque minis ómnia tentánti, ut eam a sancto propósito removéret. Voti tandem compos effécta, séxdecim annos nata in Bassanénsi monastério órdinis sancti Benedícti, monásticum institútum profészsa est, in quo ómnium se virtútum exémplar exhíbuit.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Corpus suum omni pœnárum génere in servitútem redígere studébat, cilíciis, férreo cíngulo, crebrísque flagéllis ita in se sǽviens, ut sæpe copiósus cruor diffúeret. Præter consuéta jejúnia plures in hebdómada dies non solum vini, sed et panis usu sibi interdícto vílibus cibis conténta ducébat, imo nec sitim aqua exstínguere curábat. A soróribus suis derelícta, linguárum mórsibus dire agitáta, invíctæ patiéntiæ atque profundíssimæ humilitátis exémplum prǽbuit: quod máxime enítuit in plúribus morbis, quibus sæpe sǽpius vexáta fuit; præcípue vero in ischíade toleránda, qua ad mortem usque laborávit. Castitátem ádeo cóluit, ut ne óculos quidem in quemquam conjícere audéret. Tanto quoque divíni amóris igne æstuábat, ut extra sensus frequénter rapta, diutúrnas atque admirábiles éxtases passa fúerit, in quibus exímiis a Deo grátiis illustrabátur.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Mirífica étiam in beátam Vírginem pietáte excélluit, et lacrimárum dono enítuit. Quibus, aliísque virtútibus fulgéntem dignam sane soróres existimárunt, cui monastérii régimen semel atque íterum commítterent, in quo quidem múnere tanta caritáte, atque humilitáte erga omnes se gessit, ut quamvis mater esset, et sorórum magístra, ómnium se tamen ancíllam exhibéret atque minístram. Méritis tandem atque virtútibus cumuláta, et omni asperitátum género cruciáta in gravíssimum morbum íncidit, in quo acerbíssimos dolóres forti ánimo pértulit. Ingravescénte deínde morbo soróres suas salutáribus mónitis instrúxit, sanctissimísque Ecclésiæ Sacraméntis coram eis devotíssime suscéptis, ánimam Deo réddidit Kaléndis Mártiis anno millésimo sexcentésimo septuagésimo, ætátis suæ sexagésimo quarto. Plúribus in vita, et post mortem miráculis cláruit, quibus rite probátis, Pius Sextus Póntifex Máximus beatórum catálogo eam adscrípsit.

℟. Afferéntur Regi.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus.** de Communi.

Die 2. Martii.

(Pro Diœc. Calatanisiad.)

B. Joannis Marinonii Conf.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter sequentia.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui beátum Joánnem Confessórem tuum, per assíduam Passiónis tuæ contemplatiónem, imitatórem tui exímium effecísti: ipsíus quǽsumus intercessióne concéde; ut ejúsdem vestígiis inhæréntes, passiónis tuæ fructus percípere valeámus. Qui vivis et regnas.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadr. Lect. **Beátus vir.** de Com̃.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Joánnes Marinónius ex illústri família Venétiis natus, Canónicus fuit in célebri sancti Marci Basílica, ubi non pauca prǽ-

buit virtútum exémpla. Sed divíni amóris æstu ad majóra vocátus, perféctius vitæ institútum sibi propósuit. Motus enim fama nascéntis tunc Ordinis Clericórum Regulárium Theatinórum, provolútus pédibus sancti Cajetáni ejúsdem órdinis institutóris, ab ipso impetrávit, ut suos inter alúmnos cooptarétur. Incredíbile autem dictu est, quanta ánimi alacritáte novum hoc vitæ genus ampléxus fúerit. In observándis institúti légibus diligentíssimus, oratióni contínuo inténtus, cilício, jejúniis, vigíliis corpus exércens suum, exémplum se ómnibus præbuit vere evangélicæ perfectiónis. Contemplatióni præsértim Domínicæ Passiónis addíctus tantam inde hausit humilitátem, ut vilíssimum se peccatórem coram Deo et homínibus prófitens, cum oblátum sibi intellígeret a Pontífice Paulo quarto Archiepiscopátum Neapolitánum, précibus, et lácrimis imploráverit, ne tanta sibi dígnitas conferrétur. Hinc solum cógitans, quæ Dei sunt, vitam duxit tam castam, et omni virtútum génere exercitátam, ut a sancto Cajetáno Angelus in carne, et a sancto Andréa Avellíno viva imágo veræ sanctitátis dicerétur.
℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Caritáte erga próximum, Pater paúperum, et Angelus consílii ac pacis dici póterat. In reficiéndis enim egénis, et viséndis infírmis, iísque assídue in públicis nosocomíis tum Neápoli cum Venétiis adjuvándis, patérnæ osténdit víscera misericórdiæ. Spíritum vero consílii osténdit máxime in regéndis tum religiósis suis, quibus plures per annos præésse coáctus est, tum plúribus sanctimoniálibus aliísque spirituálibus fíliis, inter quos præsértim fuit Cardinális de Arrétio, cujus heróicas virtútes jam Sedes Apostólica approbávit, ac sanctus Andréas Avellínus, quem univérsa venerátur Ecclésia. Ad pacem hortári príncipes per lítteras conabátur, cum bellum ímminens viderétur. Pacem ínitam præcognóscens, prophético quodam spíritu concionándo annuntiávit, ut pópulum consolarétur. Pacem quoque afférre turbátis spirítibus, et ánxiis consciéntiis peculiáre fuit ejus donum, quod máxime effúlsit, cum moriéntibus præsto esset. ℟. Amávit eum.

Lectio vi.

Pro honóre Dei vir licet suávis, et mitis, zelo exársit máxime in Hæreticórum erróribus et in sǽculi vítiis expugnándis. Plúries in hebdómada ad pópulum, plúries in die ad religiósos suos de divínis rebus sic loquebátur, ut in simplicitáte sermónis, ígneo véluti elóquio prǽditus viderétur, et quasi de parva scintílla magnum in pópulo éxcitans divíni amóris incéndium, omnes implébat horróre, ac dolóre culpárum, ut pœniténtiam perágerent. Letháli demum morbo corréptus, méritis plenus, Neápoli in ǽdibus sancti Pauli obdormívit in Dómino ætátis suæ anno septuagésimo secúndo, fama sanctitátis et miraculórum máxime clarus. ℟. Iste homo.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Sint lumbi vestri.** ut in eodem Com̃.

Die 5. Martii.

S. Elisæ Prophetæ.

Duplex.

Pro Clero Civit. et Diœc. Panor.

In I. Vesperis.

Ant. 1.

Zelo zelátus sum pro Dómino Deo exercítuum, quia dereliquérunt pactum tuum fílii Israël.

Psalmi de Dominica, et loco ultimi, Psalm. **Lauda Jerúsalem Dóminum.** ut in Vesp. Sabbati.

2. **Usquequo claudicátis in duas partes? Si Dóminus est Deus, sequímini eum.**

3. **Si homo Dei sum, descéndat ignis de cœlo, et dévoret te, et quinquagínta tuos.**

4. **Non ego turbávi Israël, sed tu, et domus patris tui, qui dereliquísti mandáta Dómini.**

5. **Occidísti ínsuper, et possedísti: Ecce ego indúcam super te malum, et démetam posterióra tua.**

Capitulum. Eccli. 48.

Surréxit Elías Prophéta quasi ignis, et verbum ipsíus quasi fácula ardébat. Qui indúxit in pópulos famem, et irritántes illum invídia sua pauci facti sunt.

Hymnus.

Nunc juvat celsi properáre ad alta
Mente Carméli juga, et ore pleno
Vatis Elíæ méritos reférre
Laudis honóres.

Dum fames terras prémeret, minístro
Utitur corvo: víduæ farínam
Súfficit solers, oleóque manat
Hýdria pingui.

Hic, Deo fusis précibus, redúctum
Fínibus mortis púerum paréntí
Reddit, orándo valet expetítam
Réddere lucem.

Claudit et nubes, aperítque verbo:
Imperat, post tres properánter annos,
Décidant cœlo, sitiénsque tellus
Haúriat imbres.

Sit Patri summo, genitǽque Proli,
Et tibi compar utriúsque, sancte
Spíritus, laus, impérium, potéstas
Tempus in omne. Amen.

℣. **Verbo Dñi contínuit cœlum.**
℟. **Et dejécit de cœlo ignem ter.**

Ad Magnif. Ant. **Ecce ego mittam vobis Elíam Prophétam, ántequam véniat dies Dómini magnus, et horríbilis. Et convértet cor patrum ad fílios, et cor filiórum ad patres eórum.**

Oratio ut infra ad Laudes. **43***

Ad Matutinum.

Invit. **Regem Prophetárum Dóminum, * Veníte, adorémus.**

Ps. **Veníte, exsultémus.**

Hymnus. **Nunc juvat celsi.** ut supra.

In I. Nocturno.

Ant. **Factum est autem, ut ægrotáret fílius mulíeris matrisfamílias, et erat lánguor fortíssimus.**

Psalmi trium Nocturnorum de Communi Conf. non Pont.

Ant. **Dixit múlier ad Elíam: Quid mihi et tibi, vir Dei? Ingréssus es ad me, ut rememoraréntur iniquitátes meæ, et interfíceres fílium meum?**

Ant. **Ait Elías ad víduam: Da mihi fílium tuum. Et clamávit ad Dóminum, et revíxit puer.**

℣. **Verbo Dñi contínuit cœlum.**
℟. **Et dejécit de cœlo ignem ter.**

De libro tértio Regum.

Lectio i. Cap. 17.

Dixit Elías Thesbítes de habitatóribus Gálaad ad Achab: Vivit Dóminus Deus Israël, in cujus conspéctu sto, si erit añis his ros, et plúvia, nisi juxta oris mei verba. Et factum est verbum Dómini ad eum, dicens: Recéde hinc, et vade contra Oriéntem, et abscóndere in torrénte Carith, qui est contra Jordánem, et ibi de torrénte bibes: corvísque præcépi, ut pascant te ibi. Abiit ergo: et fecit juxta verbum Dómini, cumque abiísset, sedit in torrénte Carith, qui est contra Jordánem. Corvi quoque deferébant ei panem, et carnes mane; simíliter panem, et carnes véspere, et bibébat de torrénte. Post dies autem siccátus est torrens: non enim plúerat super terram. Factus est ergo sermo Dómini ad eum, dicens: Surge, et vade in Saréphta Sidoniórum, et manébis ibi: præcépi enim ibi mulíeri víduæ, ut pascat te.

℟. Recéde hinc, et vade contra Oriéntem, dixit Dóminus ad Elíam: * Qui ábiit, et fecit juxta verbum Dómini. ℣. Abscóndere in torrénte Carith, et ibi de torrénte bibes: corvísque præcépi, ut pascant te ibi. Qui ábiit.

Lectio ii.

Surréxit, et ábiit in Saréphta. Cumque venísset ad portam civitátis, appáruit ei múlier vídua cólligens ligna, et vocávit eam, dixítque ei: Da mihi paúlulum aquæ in vase, ut bibam. Cumque illa pérgeret, ut afférret, clamávit post tergum ejus, dicens: Affer mihi, óbsecro, et buccéllam panis in manu tua. Quæ respóndit: Vivit Dóminus Deus tuus, quia non hábeo panem, nisi quantum pugíllus cápere potest farínæ in hýdria, et paúlulum ólei in lécytho; en cólligo duo ligna ut ingrédiar, et fáciam illum mihi, et fílio meo, ut comedámus, et moriámur. Ad quam Elías ait: Noli timére, sed vade, et fac sicut dixísti: verúmtamen mihi primum fac de ipsa farínula subcinerícium panem párvulum, et affer ad me: tibi autem, et fílio tuo fácies póstea. Hæc autem dicit Dóminus Deus Israël: Hýdria farínæ non defíciet, nec lécythus ólei minuétur usque ad diem, in qua Dóminus datúrus est plúviam super fáciem terræ. Quæ ábiit, et fecit juxta verbum Elíæ: et comédit ipse, et illa, et domus ejus: et ex illa die hýdria farínæ non defécit, et lécythus ólei non est imminútus, juxta verbum Dómini, quod locútus fúerat in manu Elíæ.

℟. Abiit múlier, et fecit juxta verbum Prophétæ: * Et comédit ipse, et illa, et domus ejus. ℣. Ex illa die hýdria farínæ non defécit, et lécythus ólei non est imminútus, juxta verbum Elíæ. Et.

Lectio iii.

Factum est autem post hæc, ægrotávit fílius mulíeris matrisfamílias, et erat languor fortíssimus, ita ut non remanéret in eo hálitus. Dixit ergo ad Elíam: Quid mihi et tibi, vir Dei? Ingréssus es ad me, ut rememoraréntur iniquitátes meæ, et interfíceres fílium meum? Et ait ad eam Elías: Da mihi fílium tuum. Tulítque eum

de sinu ejus, et portávit in cœnáculum: ubi ipse manébat, et pósuit super léctulum suum. Et clamávit ad Dóminum, et dixit: Dómine Deus meus, etiámne víduam, apud quam ego utcúmque susténtor, afflixísti, ut interfíceres filium ejus? Et expándit se, atque mensus est super púerum tribus vícibus, et clamávit ad Dóminum, et ait: Dómine Deus meus, revertátur, óbsecro, ánima púeri hujus in víscera ejus. Et exaudívit Dóminus vocem Elíæ: et revérsa est ánima púeri intra eum, et revíxit.

℟. Revérsa est ánima púeri intra eum, et revíxit, et trádidit matri suæ, et ait illi: * En vivit filius tuus. ℣. Tulit Elías púerum, et depósuit eum in inferiórem domum, dicens. En. Glória Patri. En.

In II. Nocturno.

Ant. Factum est verbum Dómini ad Elíam, dicens: Vade, et osténde te Achab, ut dem plúviam super fáciem terræ.

Ant. Ait Elías ad Achab: Ascénde, cómede, et bibe, quia sonus multæ plúviæ est.

Ant. Manus Dómini facta est super Elíam, accinctísque lumbis currébat ante Achab, donec veníret in Jézrahel.

℣. Tu ungis reges ad pœniténtiam. ℟. Et Prophétas facis successóres post te.

Ex libro S. Epiphánii Epíscopi.

De vitis Prophet.

Lectio iv.

Elías Prophéta ex Thesbis exsistébat e continénte Arabum, de Tribu Aaron Levítæ. Morabátur autem in Gálaad: quóniam Thesbis erant ædes sacerdótibus consecrátæ, ac destinátæ. Quem cum eniterétur parens ejus, ejúsmodi Sobac patri vísio appáruit. Viri, níveum quemdam præ se feréntes hábitum, pusiónem salutábant, matrísque ubéribus in ignem evellébant: quin et flammam ignis cibi loco ministrábant. Proféctus est ítaque in Jerúsalem génitor, vísaque ad sacerdótes rétulit. Respóndit autem illi Chrematísmus, hoc est, Oráculum, sive Respónsor: Cave maniféstum fácias: erit quippe lumen fílii hujus domicílium, sermóque ejus demonstrátio ac senténtia: et judicábit Israël cum igne, tum rhomphǽa. Hic est ille Elías, qui ter ignem e cœlo dedúxit, quique imbrem sua lingua gestávit, mórtuos item suscitávit, et in cœlum dénique nimbo, seu túrbine ignis, assúmptus est.

℟. Ait Abdías ad Elíam: Cum recéssero a te, Spíritus Dómini asportábit te in locum quem ego ignóro, et tu dicis: * Dic Dómino tuo: Adest Elías. ℣. Dixit Elías: Vivit Dóminus exercítuum, ante cujus vultum sto, quia hódie apparébo ei. Dic.

Ex libro sancti Isidóri Epíscopi.

De vita et morte Sanctorum.

Lectio v.

Elías, qui interpretátur Dóminus Deus, Thesbítes, Sacérdos magnus, atque Prophéta, habitátor solitúdinis, fide plenus, devotióne summus, in labóribus fortis, in indústria solers, excellénti ingénio prǽditus, in exercitatióne disciplínæ rectus, in sancta meditatióne assíduus, metúque mortis intrépi-

dus. Verberávit tyránnos, sacrílegos interfécit, multísque signis virtútum effúlsit. Triénnii siccitáte clausit ímbribus cœlum. Orávit rursum, et cœlum dedit plúvias. Mórtuum mulíeris fílium suscitávit. Cujus virtúte hýdria farínæ non defécit, et vas ólei perpétuo fonte manávit. Cujus verbo super sacrifícium ignis de cœlo venit. Duos quinquagenários cum milítibus cœlésti igne combússit. Jordánem tránsiens, tactu melótis abrúpit aquas.

℟. Cum venísset Elías ad portam civitátis, appáruit ei múlier vídua cólligens ligna: et vocávit eam, dixítque ei: * Da mihi paúlulum aquæ in vase, ut bibam. ℣. Cumque illa pérgeret, ut afférret, clamávit post tergum ejus, dicens: Affer mihi, óbsecro, et buccéllam panis in manu tua. Da mihi.

Lectio vi.

Post hæc ígneo curru in cœlum raptus ascéndit, ventúrus, juxta Malachíam Prophétam, in fine mundi præcursúrus Christum, annuntiatúrus últimum ejus advéntum cum magnis virtútibus, prodigiísque signórum, ita ut bellum gerat Antichrístus advérsus eum, et Henoch, qui cum eo ventúrus est: et occídet eos. Cadávera vero eórum tribus diébus, et sex horis in platéis insepúlta jacébunt. Dehinc suscitáti a Dómino regnum Antichrísti plaga magna percútient. Post hæc véniet Dóminus, et interfíciet Antichrístum gládio oris sui, et eos, qui adoravérunt eum, et regnábit Dóminus cum ómnibus sanctis suis in ætérnum.

℟. Expándit se, atque mensus est Elías super púerum tribus vícibus, et clamávit ad Dóminum: * Et exaudívit Dóminus vocem Elíæ. ℣. Dómine Deus meus, revertátur, óbsecro, ánima púeri hujus in víscera ejus. Et. Glória Patri. Et.

In III. Nocturno.

Ant. Dixit Elías Prophétis Baal: Elígite vobis bovem unum, et invocáte nómina deórum vestrórum; qui clamábant, et non erat, qui respondéret eis.

Ant. Cum jam tempus esset, ut offerrétur holocaústum, accédens Elías orávit ad Dóminum.

Ant. Oránte Elía, cécidit ignis Dómini, et vorávit holocaústum, et ligna, et lápides, púlverem quoque, et aquam, quæ erat in aquædúctu, lambens.

℣. Beáti sunt, qui te vidérunt.
℟. Et in amicítia tua decoráti sunt.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 17.

In illo témpore: Assúmpsit Jesus Petrum, et Jacóbum, et Joáñem fratrem ejus, et duxit illos in montem excélsum seórsum, et transfigurátus est ante eos. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. 57. in Matth. paulo post princip.

Cujus autem rei grátia Móysen, et Elíam prodúxit? Multas quidem dícere quis causas posset. Primum quóniam et turbæ, álii Elíam, álii Jeremíam, álii priscórum Prophetárum unum opinabántur: idcírco Móysen et Elíam,

ceterórum Prophetárum vértices, prodúcit, ut quam magnum sit inter servos, et Dóminum discrímen, óculis cérnerent, utque recte laudátum créderent Petrum, qui Fílium Dei eum conféssus est. Deínde quóniam assídue quasi transgressórem legis Judǽi accusábant, et blasphemáre putábant, quasi glóriam Patris nihil ad eum pertinéntem vindicárent. Dicébant enim: Hic non est a Deo, quia Sábbatum non servat; et rursus: De bono ópere non lapidámus te, sed cum sis homo, Deum te facis; ut ipsa re monstrarétur, quia ex invídia hæc criminabántur, quia neutri horum críminum subjicerétur, nec legis prævaricátor esset, nec aliénam glóriam sibi acquíreret, æquálem se Patri faciéndo, eos prodúxit in médium, quorum altéruter in altérutra istárum rerum præfúlsit. Móysi enim legem dedit; quare non fuísset passus Móyses conculcári legem, ut Judǽi credébant; nec prævaricatórem ejus, et legumlatóris hostem, lator ipse umquam coluísset. Elías autem pro glória Dei zelávit; quare non astitísset ei, qui æquálem se Patri dicébat, si non esset, nec paruísset illi, qui sibi, quod non habébat, vindicáret.

℟. Ait Elías núntiis regis Samaríæ: Numquid non est Deus in Israël, ut eátis ad Beélzebub? Quamóbrem hæc dicit Dóminus: * De léctulo, super quem ascendísti, non descéndes, sed morte moriéris. ℣. Revérsi núntii ad Ochozíam dixérunt: Vir occúrrit nobis dicens: Ite, et revertímini ad regem, et dicétis ei. De.

Lectio viii.

Ad hæc ómnia illud étiam póssumus dícere, ut tam mortis quam vitæ habére potestátem líquido, ac vere crederétur; utque supernórum, et infernórum Dóminus ostenderétur; idcírco Móysen jam mórtuum, et Elíam, qui nondum id passus est, in médium prodúxit. Quartam vero causam Evangelísta quoque ipse tétigit. Quænam ígitur illa est? Ut crucis glóriam osténdat, et tam Petrum, quam réliquos, qui passiónem formidábant, consolarétur, et ad sublímius erígeret. Non enim tacébant, inquit, sed loquebántur de glória, quam completúrus erat in Jerúsalem, de cruce vidélicet, ac passióne: sic enim ipsam semper appellábat.

℟. Factum est, dum tólleret Dóminus Elíam per túrbinem in cœlum, * Eliséus clamábat, dicens: Pater mi, pater mi, currus Israël, et auríga ejus. ℣. Cumque pérgerent, et incedéntes sermocinaréntur: ecce currus ígneus, et equi ígnei divisérunt utrúmque, et ascéndit Elías per túrbinem in cœlum. Eliséus. Glória Patri. Eliséus.

Lectio ix.

Accédit ad hæc ómnia virtus quoque virórum singuláris atque præcípua, quam máxime a discípulis flagitábat. Nam quóniam dixit: Si quis vult post me veníre, tollat crucem suam, et sequátur me: hac de causa eos, qui cénties pro Dei præceptórum custódia, et pópuli, qui sibi créditus fúerat, mortem suscepíssent, in médium

prodúcit; quorum utérque cum ánimam perdíderit, invénit eam. Atque sane magna libertáte advérsus tyránnos locúti sunt; alter advérsus Ægýptum, alter advérsus Achab: et quod magnum est, pro ingrátis homínibus, et inobediéntibus, a quibus in atrócia perícula compúlsi sunt; qui etsi priváti, ac absque potestáte fúerant, propósitum tamen habuérunt ab idolórum cultu pópulum erípere; quorum alter tardus lingua, et voce ténuis, alter étiam áliquo modo rustícior, et utérque sæculárium divitiárum appríme contémptor. Nam neque Móyses quidquam possidébat, nec Elías præter melótem áliquid habébat: præsértim cum véteris essent testaménti, nec tanta grátia signórum pollérent.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes
et per Horas.

Ant. 1. Elías, * dum zelat zelum legis, recéptus est in cœlum.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Factum est autem, * cum leváre vellet Dóminus Elíam per túrbinem in cœlum, ibant Elías, et Eliséus de Gálgalis.

3. Tulit Elías * pállium suum, et percússit aquas, et divísæ sunt, et transiérunt ambo per siccum.

4. Cum Elías, * et Eliséus pérgerent, et incedéntes sermocinaréntur, ecce currus ígneus et equi ígnei divisérunt utrúmque.

5. Ascéndit Elías * per túrbinem in cœlum; Eliséus autem vidébat, et clamábat: Pater mi, pater mi, currus Israël, et auríga ejus.

Capitulum. Eccli. 48.

Surréxit Elías Prophéta quasi ignis, et verbum ipsíus quasi fácula ardébat: qui indúxit in pópulos famem, et irritántes illum invídia sua, pauci facti sunt.

Hymnus.

Te, magne rerum Cónditor,
Mens nostra gliscit laúdibus
In hoc Thesbíte máximo,
Quem díligis extóllere.

Hic namque sacri nóminis
Tui zelátor próvocat
Vates Baal nequíssimos,
Victósque jure intérficit.

Illo precánte, víctimas
Absúmit ignis cœlitus:
Hinc perstrepéntes ácriter,
Sunt ómnibus ludíbrio.

Tum Jezabélis ímpiæ
Vitans furórem nóxium,
Sub junipéro dórmiens,
Adésse cernit Angelum.

Panem sibi qui próferens,
Lymphámque, jussit pérgere
Cibo reféctum strénue
Ad montis Horeb vérticem.

Hoc in cibo jejúnium
Tulit quadragenárium:
Hac vi dapes sunt prǽditæ,
Quas dextra Dei pórrigit.

Omnis tibi sit glória,
Verbum, Pater, Paráclite,
Inseparáta Trínitas,
Quæ condidísti ómnia. Amen.

℣. Elías in túrbine tectus est.
℟. Et in Eliséo complétus est spíritus ejus.

Ad Bened. Ant. Elías homo erat símilis nobis passíbilis: et oratióne orávit, ut non plúeret super terram: et non pluit annos tres, et

menses sex. Et rursum orávit: et cœlum dedit plúviam, et terra dedit fructum suum.

Oratio.

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut qui beátum Elíam Prophétam tuum ígneo curru mirabíliter elevátum esse crédimus, eódem interveniénte, ad cœléstia sublevémur; et sanctórum tuórum consórtio gaudeámus. Per Dñm.

Ad Tertiam.

Ant. Factum est autem.

Capit. Surréxit Elías. 42*

℟. br. Verbo Dómini * Contínuit cœlum. Verbo. ℣. Et dejécit de cœlo ignem ter. Contínuit. Glória Patri. Verbo.

℣. Tu ungis Reges ad pœniténtiam. ℟. Et Prophétas facis successóres post te.

Ad Sextam.

Ant. Tulit Elías.

Capitulum. Eccli. 48.

Verbo Dómini contínuit cœlum, et dejécit de cœlo ignem ter: sic amplificátus est Elías in mirabílibus suis.

℟. br. Tu ungis Reges * Ad pœniténtiam. Tu. ℣. Et Prophétas facis successóres post te. Ad. Glória Patri. Tu.

℣. Beáti sunt, qui te vidérunt. ℟. Et in amicítia tua decoráti sunt.

Ad Nonam.

Ant. Ascéndit Elías.

Capitulum. Eccli. 48.

Tu sustulísti mórtuum ab ínferis, de sorte mortis in verbo Dómini Dei. Qui scriptus es in judíciis témporum leníre iracúndiam Dómini.

℟. br. Beáti sunt, * Qui te vidérunt. Beáti. ℣. Et in amicítia tua decoráti sunt. Qui te. Glória Patri. Beáti.

℣. Elías in túrbine tectus est. ℟. Et in Eliséo complétus est spíritus ejus.

In II. Vesperis.

Omnia ut in primis, præter

℣. Beáti sunt, qui te vidérunt. ℟. Et in amicítia tua decoráti sunt.

Ad Magnif. Ant. Tulit Elías pállium suum, et percússit aquas Jordánis, quæ divísæ sunt in utrámque partem, et transiérunt ipse, et Eliséus per siccum: et ascéndit Elías per túrbinem in cœlum.

Die 6. Martii.

S. Pulcheriæ Virg. Imperatricis.

Duplex.

Omnia de Communi Virg. exceptis his, quæ sequuntur.

Oratio.

Deus, qui beátam Pulchériam, Vírginem tuam, singulári castitátis prærogatíva decorásti, quique illi ad defendéndam Ecclésiam tuam summum fídei amórem tribúere voluísti: concéde; ut ejus intercessióne, tibi puris méntibus inhæréntes, ab ómnium hóstium insídiis misericórditer liberémur. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lect. De virgínibus. de Comm. Virg. 1. loco, si venerit in Quadragesima.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Ælia Pulchéria Augústa, patre, avo, fratre atque viro Romanórum imperatóribus máxime nóbilis, sed profligátis sua præsértim ópera hæreticórum er-

róribus, et cathólico dógmate circa Incarnatiónis mystérium et divínam Maternitátem constitúto multo nobílior, ab ipsa pueritia tanta sapiéntia divínitus prǽdita fuit, ut ii, quibus post Arcádii patris óbitum impérii procurátio, dum Theodósius adolésceret, commíssa fúerat, ejus arbitrátu ómnia fácerent, essétque constans opínio, uníus puéllulæ virtúte ac sapiéntia, quæ instáre atque ingrúere videbántur, perícula discússa, et felicitátem império constitútam. Domi assídua disciplínæ exáctrix, eam vivéndi formam indúxit, ut illa jam non aula imperatórum, sed ascetérium vulgo dicerétur. Theodósium fratrem, Eudóxiam, quam illi matrimónio conjungéndam curávit, Flaccíllam, Arcádiam, Marínam soróres ita imbuébat bonis móribus, exercebátque ad virtútem, ut quibus ætáte non multum præstábat, eórum moderátrix ac propémodum mater esse viderétur. Qua institutióne soróres quantum profécerint, vel ex hoc uno intélligi potest, quod Pulchériam imitátæ, se suámque virginitátem Deo devovérunt: utque Augústa virgo ea, quæ decréverat, ámplius confirmáret, omnésque voluntátis suæ testes habéret, ex auro et pretiósis lapídibus sacram mensam in ecclésia Constantinopolitána pro virginitáte sua et fratris império dedicávit, et in fronte ipsíus mensæ hæc éadem inscrípsit.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Pótior autem ejus in Theodósio instruéndo elúxit cura; eúmque, ubi opus esset, mira quadam dexteritáte corrigébat; qui quidem talis est efféctus, ut absolutíssimum óptimi veréque christiáni príncipis exémplar fúerit, dum Pulchériæ consíliis est obsecútus. Post diutúrnam cum fratre concórdiam, turbis malevolórum fraude atque obtrectatióne in aula excitátis, tempus nacta, quo sibi jam uni, Deóque vacáre posset, secéssit in Hébdomum, locum Byzántio suburbánum, ibíque vitam agens pene monásticam aliquámdiu se contínuit; cum vero felícitas impérii una cum ea exsuláret, a fratre accersíta, ubi deésse vidit qui prǽlia Dómini pugnáret, Debbóram imitáta, fide ac religióne armáta procéssit, et missis in omnem partem epístolis hortándo, monéndo, minitándo, non pecúniæ, non labóribus parcens, digna effécta est quam Patres concílii Chalcedonénsis una ómnium voce atque præcónio custódem fídei, pacis conciliatrícem, expultrícem hæreticórum, piam, orthodóxam, novam Hélenam (sicut Marciánum tunc imperatórem novum Constantínum) consalutárent; cuíque sanctus Leo totíus Románæ Ecclésiæ nómine plúrimum gratularétur, ejúsque causa exsultáre se díceret, ac digna Deo vota persólvere, quod de Nestoriána primum impietáte, mox de nefário Eutychétis erróre perémpto, dúplicem illi et palmam contúlerat et corónam.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Atque hæ tantæ curárum moles, quas præsértim in Ephesíno ac Chalcedonénsi concíliis Roma-

nórum Pontíficum auctoritáte convocátis, necessário suscéperat, níhilo illam ad cétera christiánæ pietátis offícia obeúnda fecére segniórem. Assídue cœléstium rerum contemplatióne, sacrórum librórum lectióne, córporis afflictatiónibus sponte suscéptis se exercébat; Psalmos de nocte surgens una cum régiæ famíliæ princípibus decantábat: Dei ac Sanctórum (quorum et collóquio non semel dignáta est) cultrix exímia; quæ étiam summópere semper conténdit, ut erga eórum relíquias cultus augerétur. Deíparam in primis cóluit, cui hanc ipsam Deíparæ appellatiónem contra Nestorianórum blasphémias asséruit. Vóluit namque summa sapiéntiæ suæ dispositióne divína providéntia, ut per vírginem summa Vírginis dígnitas inoffénsa pénitus servarétur; quam étiam est imitáta servándo perpétuam in ipso conjúgio virginitátem: cujus dénique cúltui amplificándo complúra templa regáli plane magnificéntia excitávit, donáriis auxit, redítibus locupletávit. In placánda divína justítia mira pietáte enítuit. Fuit erga paúperes misericórdia plane singulári: quos et matérna quadam caritáte compléxa est, quoad vixit, et móriens eórum, quæ assídua effusissimáque liberálitas réliqua fécerat, scripsit hærédes. Quod cautum ab ipsa testaménto fuit, diligénter curávit Marciánus, quem pari religiónis stúdio, rebúsque ómnibus império digníssimum, ipsa evéxerat ad impérium, sibíque hanc ipsam ob causam, salva quam Deo vóverat virginitáte, cónjugem delégerat. Obiit año quadringentésimo quinquagésimo tértio, magno ómnium luctu, maximísque sanctórum Patrum, ceterorúmque ejus ævi scriptórum laúdibus celebráta.

℟. Afferéntur Regi.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. Cap. 17.

In illo témpore: Dixit Jesus: Hæc est autem vita ætérna, ut cognóscant te solum Deum verum, et quem misísti Jesum Christum. Et réliqua.

Homilía sancti Cyrílli Epíscopi Alexandríni.

De Fide ad Pulcheriam, et Sorores Reginas.

Sane vos sacras castissimásque Christi ómnium nostrum Salvatóris sponsas, religiosíssimæ ac Deo dilectíssimæ imperatríces, orbis terrárum ornaméntum, sanctissimarúmque ecclesiárum decus óptimo jure quisquis appelláverit, in quibus nimírum omne virtútum genus, omnísque ornátus divínæ majestátis óculis gratus acceptúsque mirífice splendet. Neque his ópibus conténtæ omnem quoque curam omnéque stúdium adhibétis, quo fide recta, nullámque in partem vacillánte, excellátis. Neque Christi regnum capéssere, et ea quæ illi grata sunt fácere et sentíre omíttitis, partim quidem præcláris actiónibus, partim rursum cum vestras, tum príncipum quoque vestrórum aulas virginitátis glória condecorántes; partim dénique sumptuosíssima templa Christo Dómino excitán-

tes: nam et hoc quoque pietátis stúdium inter cétera ille sanctis vestris ánimis impertítus est.

℟. Hæc est virgo.

Lectio viii.

Igitur ex sacris lítteris vobis vere sanctis Christi sponsis (quamquam ad quodvis opus bonum abúnde instrúctæ videámini) áliquid deprómam. Hinc étenim et Emmanuélem verum, ac naturálem Deum, et Vírginem Matrem, quæ eum péperit, veram per ipsum Deíparam esse planum fiet. Ait Christus: Hæc est vita ætérna, ut cognóscant te solum Deum verum, et quem misísti Jesum Christum. Si cum solíus veríque Dei cognitióne Jesu Christi cognitiónem necessáriam consociatámque esse opórtet, et hoc ipsum ætérnam vitam concíliat, cui obscúrum esse potest, Christum verum esse Deum? Verbum sane caro factum est, sed mansit ínterim Verbum.

℟. Média nocte.

Lectio ix.

Et ego claritátem, quam dedísti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Qualem ítaque glóriam Fílius a Patre accepísse se narrat, quam nobis deínde commúnem fécerit? Sane ipse ab hac quæstióne nos líberat, dum ait: Ut unum sint, sicut et nos unum sumus. Nam etsi Dei Patris Verbum secúndum própriam hypóstasim álius a Patre esse dignoscátur, naturáli tamen identitáte unum plane et idem est cum illo. At quo pacto Verbum illud unum quoque nobíscum factum est? Ad eúmdem omníno modum, puta, secúndum essentiálem et naturálem identitátem. At cum divína natúra tanto a creatúra distet intervállo, ut secúndum esséntiam cum ea coíre nequáquam váleat, ecquo, inquis, modo secúndum natúram unum ille factus est nobíscum, qui omnem omníno creatúram excéllit? Verbum factus est homo, ut quemádmodum in Deitáte unum et idem est cum Patre, ita secúndum natúræ humánæ habitúdinem sit unum quoque nobíscum.

Te Deum laudámus.

In Laudibus commem. Feriæ.

Die 9. Martii.

S. Catharinæ Virg. Bononiensis.

Duplex.

Omnia dé Communi Virg. exceptis iis, quæ sequuntur.

Oratio.

Concéde nos fámulos tuos Deus, beátæ Catharínæ Vírginis suffrágiis adjuvári: cujus odóre unguentórum tráhimur ad tua sancta lætántes. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lect. De **virgínibus**. ut in Comm. Virg.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Catharína Virgo, Bonóniæ nobílibus paréntibus, Joánne Ferrariénsi, ex illústri Vigriórum família, et Benvenúta Bononiénsi orta est. Hanc beáta Dei Génitrix María patri per visum prænuntiávit in festo Nativitátis suæ véluti fulgentíssimum solem nascitúram. Quare ab incunábilis Dei benedictióne prævénta, vitæ innocéntiam cum pietáte perpétuo servávit. Vigésimum añum agens,

a matre Ferráriam perdúcta, in monastério Córporis Christi religiósum sanctæ Claræ hábitum sumpsit. Quo in loco, ut lampas ardens, céteris splendéscere, et virtútum ómnium spécimen præbére cœpit. Humílitas tanta ei ínerat, ut vilióra semper, et lácera induménta cáperet, abjectióra offícia exhibéret. Caritáte erga omnes afficiebátur máxima. Nil vitábat, nil prætermittébat, quin fovéret omnes, sublevarétque, præsértim infírmas, in quibus moniális caput, sánie tabefáctum, nedum contíngere, et mánibus abstérgere, sed et lingua língere sæpius non horrúerit.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Assíduo Sponsi sui amóre flagrans, summa spíritus dulcédine potiebátur. Quare arcána córdium, et secréta cœléstia sæpe ei sunt reveláta. Cui et sanctus Thomas Cantuariénsis manum deosculándam, et beátus Franciscus stígmata visénda aliquándo præbuérunt. Animam Joánnis epíscopi Ferrariénsis, in cœlum eúntem véluti stellam coruscántem, moniáli, quæ tunc áderat, osténdit. Aliquándo in Missa, dum sacérdos Præfatiónem perfíceret, Angelórum concéntum, ter Sanctus canéntium, mira suavitáte audívit: qui si diútius, ut ipsa rétulit, perdurásset, proculdúbio córpore resolúta foret. Fratrem in viam salútis redúxit. Soróris ánimam in cœlum eúntem vidit; multa prophético spíritu prædíxit.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Cum autem Bononiénses, étiam fama sanctitátis ejus permóti, monastérium Bonóniæ in honórem Córporis Christi erexíssent, ex Ferrariénsi monastério beáta Catharína una cum quíndecim moniálibus Bonóniam, ut illud monastérium régeret, míttitur; quod quidem illa et vírginum número, et reguléri disciplína auxit. Cumque octo et vigínti annos, advérsa valetúdine probáta, postrémum diem sibi imminére prævidéret, convocátis soróribus mónita salútis dedit. Sumptis deínde Sacraméntis, invocáto Jesu nómine, beátam efflávit ánimam quinquagésimo ætátis suæ anno. Honorífice sepúlto ejus córpore, miríficus odor e sepúlchro fragráre cœpit; et illic concurréntes plúrimi infírmi sanáti sunt. Post dies decem et octo exhumátum corpus invéntum est incorrúptum, et magno odóre fragrans. Quod in ecclésia delátum, ibi religióse asservátur íntegrum, et multis clarum miráculis. Eam vero Clemens undécimus solémni ritu sanctórum catálogo adscrípsit.

℟. Afferéntur Regi.

In III. Nocturno Homil. in Evang. **Simile erit regnum cœlórum decem virgínibus.** de Communi Virg.

Lectio ix. de Homilia Feriæ occurr., et de ea fit commem. in Laud.

Die 11. Martii.

B. Petri de Hieremia Confess. Sac. Civ. Panorm.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter sequentia.

176

Oratio.

Deus, qui beáti Petri Confessóris tui précibus et hortaméntis errántes in viam justítiæ misericórditer redíre fecísti: diláta, quǽsumus, illíus intercessióne, corda nostra; ut sémitam mandatórum tuórum semper currámus. Per Dóminum nostrum.

In I. Nocturno Lectiones Justus. de Comm. 1. loco temp. Quadrag.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Petrus, nóbili família de Hierémia Panórmi natus, Bonóniam adoléscens missus est, ut utríque juri óperam daret. Doctorátus insígnia in utráque facultáte mox consecutúrus, cœléstium amóre ductus, terréna cuncta despíciens, ea in urbe ingréssus est órdinem fratrum Prædicatórum. Patrem id ægre feréntem, sibíque ácriter obsisténtem magna ánimi constántia, sed fusis potíssimum lácrimis, et précibus ad Deum, tandem devícit. Religiósis exínde votis solémniter nuncupátis, ac theologíæ divinarúmque litterárum stúdiis explétis, uni se devóvit proximórum ætérnæ salúti procurándæ, totúsque fuit in sacris eórum confessiónibus excipiéndis, atque ministério verbi Dei: quo sane in múnere ex eo témpore diligéntius, et fervéntius cœpit laboráre, quo a sancto Vincéntio Ferrério, quem Bonóniæ tunc degéntem convénerat, cértior effectus fuit, stúdium hoc suum Dómino veheménter esse probátum.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Illud autem véritus, ne dum áliis prædicáret, réprobus ipse efficerétur, numquam déstitit corpus suum castigáre, atque redígere in servitútem. Zona quinque círculis férreis compácta ita lumbos constrínxit, ut nec post ejus óbitum, nisi exsiccáto cadávere evélli inde potúerit. Huic severióri córporis castigatióni jejúnia áddidit, vigílias, aliásque carnis maceratiónes. Adeo in eo vigébat pro Jesu Christi amóre patiéndi ardor, ut se minus illi accéptum esse ingemísceret, si vel ægritúdine áliqua, vel ærúmnis áliis frequéntius non tentarétur. Réliquæ item, quæ hóminem perfectiónem sectántem decent, virtútes in illo singulári prorsus modo enituérunt, ac præ céteris cultus assíduus reguláris disciplínæ. Quo factum est, ut sǽpius novitiórum institutióni præpósitus, illos ad omnem sanctimóniam informáverit, aliísque auctor fúerit, ut monásticæ vitæ institútum suscíperent: quos inter mérito recensétur beátus Joánnes Líccius, qui, Petro suadénte, órdini nomen dedit.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

In cœnóbiis, quorum prudéntia summa, nec minóri zelo præfectúram gessit, régulæ observántiam religiosámque vivéndi normam, sícubi collápsam invénit, restitúere, ubi vero floréntem, tuéri, et amplificáre non tam dictis, quam benefáctis sédulo curávit. Illíus sanctitátis, et doctrínæ fama Eugénius quartus permótus, Concílio œcuménico a se Floréntiæ indícto,

eum, ut interésset, vocávit. In hoc vero Concílio ita se gessit, ut deínde in clerum Trinácriæ univérsum commíssum ei fúerit ab eódem Summo Pontífice árduum reformatiónis opus, quod tamen pro ánimi sui modéstia nónnisi in reguláres viros perficiéndum suscépit: et, ut erat mitíssimus, benígne cum ómnibus agens felíciter absólvit. Post hæc in cœnóbium Panormitánum sanctæ Zitæ se recépit, ubi tandem méritis, et labóribus plenus, sanctíssime excéssit. Signis, eísque præcláris, a Deo fuísse illustrátum, vétera produnt monuménta. Ejus cultum Pius sextus Póntifex máximus probávit, ejúsque Offícium et Missam ab univérso Prædicatórum órdine, et Panormitánæ ecclésiæ clero celebrári concéssit.

℟. Iste homo.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Sint lumbi vestri.** cum ix. Lect. Feriæ si venerit in Quadrag.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 24. Aprilis 1890.

G. Erlenborn, Vic. in Spirit. Gener.

Homilia

dicenda in Matutino unius Martyris non Pontificis, quando dicitur Missa: In **virtúte tua.**

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 10.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte arbitrári quia pacem vénerim míttere in terram: non veni pacem míttere, sed gládium. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi **Presbýteri.**

Lib. 1. in Matth. Cap. 10.

Supra díxerat: Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine; et quod in aure audítis, prædicáte super tecta: nunc infert quid post prædicatiónem sequátur. Ad fidem Christi totus orbis contra se divísus est: unaquǽque domus et infidéles et credéntes hábuit, et proptérea bellum missum est bonum, ut rumperétur pax mala. Tale quid et in Génesi advérsus rebélles hómines, qui moti fúerant de Oriénte, et turrem exstrúere festinábant, per quam cœli alta penetrárent, fecísse scríbitur Deus, ut divíderet linguas eórum.

℟. Coróna aúrea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Expréssa.

Lectio viii.

Veni enim separáre hóminem advérsus patrem suum. Hic locus prope iísdem verbis in Michǽa scríbitur. Et notándum, ubicúmque de véteri testaménto testimónium pónitur, utrum sensus tantum an sermo conséntiat. Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus. Qui ante præmíserat: Non veni pacem míttere, sed gládium, et divídere hómines advérsus patrem, et matrem, nurum et socrum; ne quis pietátem religióni anteférret, subjécit dicens: Qui amat patrem aut matrem plusquam me. Et in Cántico légimus canticórum: Ordinávit in me caritátem. Hic ordo in omni afféctu necessárius est. Ama post Deum patrem, ama matrem, ama fílios.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit: * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cœléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Qui. Glória Patri. Qui.


Lectio ix.

Ordo pulchérrimus: ad prædicatiónem mittit, docet perícula non timénda, affectum súbjicit religióni. Aurum supra túlerat, æs de zona excússerat: dura Evangelistárum condítio. Unde ergo sumptus, unde victus necessária? Austeritátem mandatórum spe témperat promissórum: Qui récipit, ínquiens, vos, me récipit, et qui me récipit, récipit eum qui me misit: ut in suscipiéndis Apóstolis unusquísque credéntium Christum se suscepísse arbitrétur.

Te Deum laudámus.

Index alphabeticus.

Sumptibus et Typis Fr. Pustet, S. Sedis Apost. et S. Rit. Congr. Typogr.



PROPRIUM SANCTORUM
PRO SICILIÆ REGNO.

PARS VERNA.

Die 9. Februarii.

S. Anastasii Martyris.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius Mart., præter sequ.

Oratio.

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris; ut qui ex iniquitáte nostra reos nos esse cognóscimus, beáti Anastásii Mártyris tui intercessióne liberémur. Per Dñm.

Et fit commem. Feriæ.

In I. Nocturno Lectiones **Fratres: Debitóres.** de Communi.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Anastásius Persa, mónachus, Heraclío imperatóre, cum sanctam Jerosolymórum terram visitásset, ad Cæsaréam Palestínæ pro Christi religióne víncula et vérbera constánter perpéssus est. Mox a Persis ob eámdem causam váriis cruciátibus afféctus, a rege Chósroa, una cum septuagínta áliis christiánis secúri percútitur. Cujus relíquiæ primum Jerosólymam, ad monastérium, in quo monásticam vitam proféssus erat, deínde Romam delátæ, collocátæ sunt in monastério ad Aquas Sálvias.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v. et vi. de Communi unius Mart. 1. loco.

Sed in III. Noct. Homilia in Evang. **Si quis venit.** de eodem Comm. 1. loco.

Lectio ix. et comm. Feriæ in Laud.

Eadem die.

(Pro Diœcesi Calatanisiadensi.)

S. Apolloniæ Virginis et Mart.

Duplex.

Omnia de Communi Virg. et Mart., præter sequentia.

Oratio. **Deus, qui inter cétera.**

In I. Nocturno Lect. De virgínibus. de Communi.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Apollónia, virgo Alexandrína, sub Décio imperatóre, cum ingravescénte jam ætáte ad idóla sisterétur, ut eis veneratiónem adhibéret, illis contémptis, Jesum Christum verum Deum coléndum esse, prædicábat. Quamóbrem omnes ei contúsi sunt et evúlsi dentes; ac nisi Christum detestáta, deos cóleret, accénso rogo combustúros vivam mináti sunt ímpii carnífices. Quibus illa, se quamvis mortem pro Jesu Christi fide subitúram, respóndit.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Itaque comprehénsa, ut comburerétur, cum paulísper quasi delíberans, quid agéndum esset, stetísset, ex illórum mánibus elápsa, álacris in ignem sibi parátum, majóri Spíritus sancti flam̃a intus accénsa, se injécit. Unde brevi consúmpto córpore, puríssimus spíritus in cœlum ad sempitérnam martýrii corónam evolávit.

℟. Dilexísti justítiam.

De Sermóne sancti Gregórii Papæ.

Lectio vi.

Recte per Salomónem dícitur: Fortis est, ut mors, diléctio: quia sicut mors corpus intérimit, sic ab amóre rerum corporálium ætérnæ vitæ cáritas occídit. Nam, quem perfécte absorbúerit, ad terréna foris desidéria velut insensíbilem reddit. Nec enim sancta hæc, cujus hódie natalítia celebrámus, mori pro Dómino potuísset in córpore, si prius a terrénis desidériis mórtua non fuísset in mente: eréctus namque in virtútis cúlmine ánimus torménta despéxit, prǽmia calcávit.

℟. Afferéntur Regi.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus. de eodem Communi Virg. 1. loco.

Lectio ix. et comm. Feriæ in Laud.

Die 11. Februarii.

(Pro Diœc. Calatanisiadensi.)

S. Hygini Papæ et Martyris.

Duplex.

Omnia de Com̃uni unius Martyris. præter sequentia.

Oratio. Infirmitátem. de Comm.

In I. Nocturno Lectiones A Miléto. de Communi.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Hygínus Atheniénsis, philósopho Patre, cum jam Románæ Ecclésiæ présbyter esset, Cleri suffrágiis Thelésphoro suffėctus est. Sedit in sancta Petri sede, Imperatóre Antoníno Pio Augústo, annos tres, menses úndecim, dies vigínti octo. Ubi primum Póntifex renuntiátus est, Clericórum órdines in suos gradus distínxit: ac fecit, ut in iis Ecclésiis, quas Títulos vocant, tum primárii minístri, tum álii eísdem subjécti adéssent, qui fidélibus, cum res postuláret, sacra ministrárent.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Instítuit étiam, ne absque celebratióne Missæ templa, vel oratória sacro ritu consecraréntur

tur; ne, inconsúlto epíscopo, vel nova construeréntur, vel jam constrúcta destrueréntur, et ne matéries ad sacrum illórum usum congésta et destináta, in profános usus converterétur. Edíxit prætérea, ut Patríni Baptísmo adéssent, qui de sacro fonte infántes levárent: ne quis Epíscopus reus críminis damnarétur, nisi a comprovinciálibus Epíscopis ejus causa probe discússa fuísset. Cuncta hæc ejus título ac nómine sancíta exstant. Tres ordinatiónes hábuit mense Decémbri, in quibus creávit Epíscopos sex, Presbýteros quíndecim, Diáconos quinque.

℟. Desidérium ánimæ.

Lectio vi.

Quum autem paulo ante Justínus, claríssimus philósophus et Christi Martyr, scripsísset Apológiam pro Religióne Christiána ad Imperatórem Antonínum Pium Augústum, obtínuit, ut persecútio desæviret. Hinc a Christianórum cæde, non quidem omníno, plúrimum tamen público Príncipis edícto, temperátum est. Sanctíssimo tamen pastóri, cujus cura Domínico gregi consúltum fúerat, párcitum non fuit: nempe hic glorióso martýrio, ne Antecessóribus dissímilis esset, innocentíssimam vitam terminávit anno Dómini centésimo quinquagésimo octávo, die undécima Januárii, et sepúltus est in Vaticáno.

℟. Stola jucunditátis.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Si quis venit.** de eodem Comm. 1. loco. Lectio ix. et comm. Feriæ in Laud.

Die 12. Februarii.

(Pro Diœc. Calatanisiad.)

S. Agathonis Papæ et Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont., præter sequentia.

Oratio. **Da, quæsumus.** de Comm.

In I. Nocturno Lect. **Fidélis sermo.** de Communi.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Agatho, natióne Sículus, ex doctíssimo ac sanctíssimo mónacho Románus Póntifex creátus est anno Christi sexcentésimo septuagésimo octávo. Vir sum̃a humanitáte, exímio ánimi candóre, singulári morum suavitáte et comitáte prǽditus. Cunctórum amans, cunctis amabilíssimus. Ita demum a natúra et grátia comparátus, ut ad suprémam illam dignitátem geréndam natus, seu factus esse viderétur.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Accéptis a Constantíno Pogonáto lítteris ad Donum prædecessórem scriptis pro convocándo Concílio œcuménico ad diutúrnum schisma tolléndum, quo laborábat Ecclésia, et definiéndas fídei controvérsias, quæ toto fere Oriénte máximas tempestátes atque minas excitárant; Provinciáles Sýnodos in Occidénte habéri curávit, in quibus Monothelitárum causa discuterétur, et damnaréntur erróres.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

His præmíssis, legátos suos et Concílii Románi misit Constantinópolim cum bonis lítteris ad Imperatórem, in quibus, prædícta

hǽresi docte, fuse ac sólide refutáta, damnatísque primáriis illíus sectatóribus, Sérgio scílicet, Cyro, Paulo, Pyrro, Petro et áliis, antecessóres suos ab omni erróris labe immúnes hucúsque fuísse expréssis verbis declarávit. Agathónis ígitur auctoritáte sexta Sýnodus universális congregáta est, in qua iídem erróres, iidémque errántes damnáti fuérunt. Demum, cum tres annos et quinque círciter menses sedísset, pie óbiit in Dómino, et in Basílica Príncipis Apostolórum sepultúræ mandátus est.

℟. Iste est qui.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Homo péregre. de eodem Com̃. 1. loco. Lectio ix. et comm. Feriæ in Laud.

Die 15. Februarii.

(Pro Diœc. Calatanisiad.)

B. Bernardi a Corleone Conf.

Semiduplex.

Omnia de Com̃uni Conf. non Pont., præter sequ. (m. t. v.)

Oratio.

Deus, qui beátum Bernárdum, Confessórem tuum, heróica caritáte, et admirábili pœniténtia clarére fecísti: ejus nobis intercessióne concéde; te super ómnia toto cordis afféctu dilígere, et dignos pœniténtiæ fructus fácere. Per Dóminum.

Et fit commem. Feriæ.

In I. Nocturno Lect. Beátus vir. de eodem Comm. 2. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Bernárdus a Corleóne, regni Sicíliæ óppido, piis honestísque paréntibus Leonárdo et Francísca de Latínis ortus octávo Idus Februárii, año millésimo sexcentésimo séptimo eodémque die sacro fonte ablútus, Philíppi nomen obtínuit. Puer sutóris artem apud patrem diu exércuit, quam, eo mórtuo, statim abjécit. Erat autem in adolescéntulo, præter índolem pugnácis ingénii, mira in armórum usu, et natíva dextéritas, quam ingens membrórum robur efficiébat alacriórem. Tali ímpetu abréptus, et laxióris vitæ captus dulcédine, tempus omne, ut júvenum pleríque, in factiónum, rixarúmque perículis, ceterísque sǽculi vanitátibus traducébat. Verum inter cæcos hujúsmodi erróres præclára quædam emicábant bona ac religiósæ mentis indícia. Primum enim in tanta licéntia, síngulis diébus sub vésperam visus est domo égredi, ut armis defénderet senes, féminas, puerósque ad óppidum sero redeúntes, ne quid ab insidiántibus per noctem milítibus detriménti cáperent. Prætérea antíquam Christi Liberatóris imáginem sǽpius invisébat religiónis causa, et præcípuo venerabátur cultu Franciscum Assisinátem. Intérim a quodam sodáli suo, béllicæ laudis ǽmulo, ad digladiándum provocátus, semel iterúmque recusávit; sed tandem venit in confíctum, quo illum gráviter vulnerávit. Tali crímine huc illuc prófugus, diúque trépidans, cœpit dénique cogitáre, quanto ánimi et córporis in discrímine versarétur. Tália revolvénti divína favit cleméntia, a qua sensit se fórtiter suavitérque deprehénsum. Quamóbrem nihil cunctátus, impetráta facultáte, Calatanixéctam pétiit,

ibíque Philíppi cum Bernárdi nómine commutáto, Christi crucem inter Fratres Capuccínos ampléxus est.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Tirocínii spátio cum laude confécto, tota deínceps vita, dignos pœniténtiæ fructus fácere magis, magísque procurávit. Septem quadragesimárum jejúnia, sacro órdini consuéta, numquam illi satis: quamplúra per annum pane et aqua conténtus áddere sibi consuévit, máxime in pervigíliis Deíparæ, Michaélis Archángeli, Francísci, Apostolórum, ac sexta quaque féria quadragenárii jejúnii, cibo haustúque prorsus omni abstinébat. Aliquot post annos pœniténtiæ ardóre flagrántior, quum sólidas in pane et aqua tradúceret hebdómadas, elánguidum pulte áliqua fovére stómachum cœnóbii præses jussit; quo coáctus império, multo immíxtam cínere, sapóre ingratíssimo degustábat. A religiósæ vitæ exórdio ad extrémum usque spíritum, ne quid mínimum voluptátis paláto indúlsit. Crústula, bellária, placéntas, sive córpore mélius se habéret, sive detérius, numquam áttigit. Somno vix binas, ternásque horas dare sólitus, lectum ex angústo asse sibi fecit, et pulvínar ex trunco. Rústica sub lana aspérrima condébat cilícia, quorum máxime unum, non tactu solum, sed étiam visu erat formidándum. Cilíciis gravióra fuére vérbera, quibus die noctúque sépties se cruentábat.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

Tot tantísque cruciátibus, dum córpore magis infirmabátur, spíritu evadébat poténtior. Orándi namque stúdio támdiu óperam impéndit, quámdiu ab extérna rerum administratióne vacávit. Quotídie mane ea subsecíva témporis moménta, quæ póterat, ómnia avidíssime arrípere, seque in ángulis ábdere, ibíque oráre; pomeridiánas vero, et vespertínas horas, cum sui erat juris, íntegras Deo dicáre consuévit. Sénio jam confécto, officiísque liberáto, tum prope lícuit Beatórum more vívere; nam æque ánimo et córpore immótus, excipiébat divíni lúminis rádios, ac Patri cœlésti mira quadam spíritus dulcédine jungebátur. Ac licet usque ádeo contemplatióni déditus esset, nosocomía tamen, carcerésque frequentáre, ægrótis præsto esse, egénis aliménta divídere, calamitósis ómnibus opitulári perréxit usque ad extrémum. Multas vitiórum pestes e pópulo sústulit, et augéndo beátæ Vírginis cúltui assídue vacávit. Illum vicíssim Virgo multis maximísque ornávit benefíciis; inter quæ illud impetrásse fertur, ut quarto ante óbitum mense lætíssimum ab ea núntium accéperit. Dono tandem prophetíæ, curatiónum grátia, miraculísque plúribus clarus, máxima sanctitátis celebritáte, ea qua prænuntiáverat die, vi morbi oppréssus, in Dómino obdormívit annos natus duos supra sexagínta. Virtútum ejus prodigiorúmque judício institúto, venerábilem virum Clemens décimus tértius beatórum fastis adscrípsit. ℟. Iste homo.

In III. Nocturno Homil. in Evang. **Sint lumbi vestri.** de eodem Communi 1. loco.

Lectio ix. et comm. Feriæ in Laud.

Die 21. Februarii.

Ss. Claudii, Sabini et **Maximi** Civium Panorm. aliorumque Septuaginta sex Mart. Siciliensium.

Duplex.

Omnia de Communi plurim. Mart., præter sequentia.

Oratio.

Majestátem tuam, Dómine, supplíciter exorámus, ut, intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Claúdio, Sabíno et Máximo, eorúmque sóciis, a cunctis malis, quibus incessánter afflígimur, te miseránte, liberémur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

In I. Nocturno Lectiones **Fratres: Debitóres.** de Communi.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Diocletiáno et Maximiáno imperatóribus, anno trecentésimo tértio, in Sicília septuagínta novem Mártyrum fortitúdo in confessióne Christiánæ Religiónis, et in cruciátibus perferéndis enítuit, quorum méminit Martyrológium Románum die vigésima prima Februárii, qua martýrium subiérunt. Quamvis autem eorúmdem nómina acta síleant, Claúdium, Sabínum et Máximum inter ipsos Mártyres antíqua tradítio recénset. Quorum memória a vetustíssimis tempóribus in Ecclésia Panormitána religióse cólitur.

℟. Sancti tui.

De expositióne sancti Ambrósii Epíscopi.

Sermo 12. in Psalmum 118.

Lectio v.

Me exspectavérunt peccatóres, ut pérderent me, testimónia tua intelléxi. Potest vox ista convenire martýrio, in quo pósitus Sanctus, jam de judício persecutóris egréssus, dicat: Me exspectavérunt peccatóres, ut pérderent me: hoc est adhibuérunt ómnia génera pœnárum, omnes artes persuasiónum, sed de propósito abdúcere nequivérunt. Vicit fides vitæ hujus illécebram, corporísque cruciátum: exspectavérunt peccatóres, ut de me triúmphum reférrent; sed grátias Christo, qui mihi dedit de persecutóribus triumpháre.

℟. Vérbera carníficum.

Lectio vi.

Redíte victi, qui sperabátis vos esse victóres: redíte dejécti, qui veniebátis supérbi! Ubi est victória tua! Ubi est mors acúleus tuus! Non tua jam, sed nostra cœpit esse victória; quia in te víncimus, in qua ántea vincebámur. Bene ergo dicit Martyr: Me exspectavérunt peccatóres, ut pérderent me. Post moméntum, immo in córpore adhuc pósitus, videt deducéntium choros, Angelórum gaúdia. Qui enim super uníus peccatóris conversióne lætántur, quanto magis in passióne justórum? Videt glóriam, et ait: Me exspectávit Christus, ut coronáret me.

℟. Tamquam aurum.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 21.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum audiéritis prǽlia, et seditiónes, nolíte terréri: opórtet primum hæc fieri, sed nondum statim finis. Et réliqua.

Homilía S. Augustíni Epíscopi.

Serm. 14. lib. 50. hom.

Dóminus noster Jesus Christus téstibus, idest, martýribus suis, pro humána fragilitáte sollícitis, ne forte eum confiténdo, atque moriéndo períirent, magnam securitátem dedit, dicens: Capíllus de cápite vestro non períbit. Times ergo ne péreas, cujus capíllus non períbit? Si sic custodiúntur supérflua tua, in quanta securitáte est ánima tua? Non perit capíllus, qui cum tondétur, non sentis, et perit ánima, per quam sentis? Sane multa dura eos passúros esse prædíxit, ut prædicéndo fáceret paratióres, diceréntque illi: Parátum cor meum.

℟. Propter testaméntum.

Lectio viii.

Quid est parátum cor meum, nisi paráta volúntas mea? Parátam ergo habent Mártyres voluntátem in martýrio, sed præparátur volúntas a Dómino. Illis autem malis duris, atque ásperis futúris commémorans adjécit: In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras. In vestra patiéntia inquit: non enim esset patiéntia tua, si non ibi esset et volúntas tua. In vestra patiéntia: sed unde vestra? Nostrum est quod a nobis habétur: nostrum est et quod nobis donátur.

℟. Sancti mei.

Lectio ix. et comm. Feriæ in Laud.

Die 25. Februarii.

(Pro Diœc. Calatanisiad.)

S. Gerlandi Episc. Agrig. et Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Confess. Pont., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Gerlándum Confessórem tuum, atque Pontíficem prædicatiónis grátia ad fídei exaltatiónem decoráre dignátus es: præsta, quǽsumus; ut ejus suffragántibus méritis, quæ ipse dócuit, ópere adimplére mereámur. Per Dóminum.

Et fit commem. Feriæ.

In I. Nocturno Lectiones Fidélis sermo. de Comm. Conf. Pont.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Gerlándus, Vesontióne in Burgúndia nóbili génere natus, ab ineúnte ætáte præclára dedit futúræ sanctitátis indícia. Adhuc adoléscens, fluxam mundi glóriam contémnens, cœléste regnum ardénti desidério cœpit exquírere. Exiens ítaque de terra sua et de cognatióne sua et in Silíliam adnávigans, quum sensim ejus fama longe latéque manáret, ac magno in honóre habéri incíperet, inde in próximam Calábriæ Províinciam descéndit: ubi in Militénsi Ecclésia Primicérius choro præfícitur. Verum, quum illórum hóminum vivéndi licéntiam ferre non posset, clam se subdúcens, illinc in pátriam íterum remigrávit.

Quum Rogérius, Calábriæ Comes, Saracénis fugátis, Sicíliam pene totam suæ ditiónis fecísset, atque Agrigentína Ecclésia viduáta esset Pastóre, Gerlándum e Burgúndia, per legátos suos conquisítum, revocándum curávit. Qui divínæ obtémperans voluntáti, in Calábriam dénuo revértitur: et unánimi ómnium consénsu Agrigénti Epíscopus eléctus, ab Urbáno secúndo, Románo Pontífice, consecrátur. ℟. Invéni David.

Lectio v.

Epíscopus renuntiátus, morum gravitáti exímiam vitæ castimóniam conjúngens, cathólicam fidem, et ecclesiásticam disciplínam, prædicatiónis assiduitáte ádeo propagávit, ut plúrimos e Saracénis et Judǽis ad Christi fidem convérterit. Inopes et paúperes ómnibus caritátis complectebátur offíciis. Pupillórum ac viduárum necessitátibus ita movebátur, ut omni ópera, pecúnia, ac patrocínio, eórum indigéntiam, ac solitúdinem subleváret. Peregrínos quoque benígno excipiébat hospítio: ac morbo laborántes sédulo invísens, patérno consolabátur afféctu. Cathedrálem Ecclésiam Barbarórum incúrsu fúnditus olim evérsam, munífica pietáte restítuit; et in honórem beatíssimæ Vírginis Maríæ, sancti Jacóbi, et ómnium Apostolórum solémni ritu consecrávit. ℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Quum vero áliquot ménsibus, ántequam e vita migráret, juxta antíquam Episcopórum consuetúdinem, Romam ad sacra Apostolórum límina accessísset, et inde rédiens, Balneária, Calábriæ óppido, pertransíret, ad Drogónem, loci præpósitum divértit. Cui próximam córporis dissolutiónem imminére sibi prænúntians, illum eníxe deprecátus est, ut sui semper post óbitum ad Dei Altáre meminísset, cum síquidem sibi in Episcopátu successúrum, Deo revelánte, cognóverit. Quam cǽlitus hábitam prænotiónem, ea quæ paulo post sunt secúta, demonstrárunt. Nam sex elápsis vix ménsibus, Gerlándus felíciter die vigésima quinta Februárii obdormívit in Dómino: in cujus étiam locum Drogo suffícitur. Sacrum defúncti corpus in Cathedrálem Ecclésiam pia Clericórum et fidélium pompa deportátum, eam suavíssimo quem efflábat odóre, replévit: ac conveniéntibus provínciæ Epíscopis ad funus celebrándum, quarto post óbitum die sepultúræ fuit demandátum. ℟. Iste est qui.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Homo péregre. de eodem Com̃. 1. loco. Lectio ix. et comm. Feriæ in Laud.

Ad Bened. Ant. Hæreditátem géntium adéptus beátus Gerlándus, parávit Dómino plebem perféctam, pópulum acceptábilem, sectatórem bonórum óperum.

Die 26. Februarii.

S. Joannis Theristi Abbatis Civis Panormitani.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pont., præter sequ. (m. t. v.)

Oratio.

Supplicatiónes pópuli tui, quǽsumus, Dómine, cleménter ex-

aúdi, et intercessióne beáti Joánnis Abbátis temporálibus non destituátur auxíliis, et spirituálibus semper profíciat increméntis. Per Dóminum nostrum.

In I. Noct. Lect. Justus si morte. de Communi 1. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Joánnes, e Calábria oriúndus, Panórmi natus est; ejus namque mater grávida, occíso a Saracénis viro, et captíva ab iis Panórmum addúcta, ibídem Joánnem péperit, piéque educávit. Cum esset annórum quatuórdecim, matérnis jussiónibus obtémperans, Calábriam pétiit, ut thesaúros patérnos, in Oppido Cursáno abscónditos, inquíreret. Sed pius adoléscens cœléstia magis, quam terréna, exquírens, statim ac Calábriam et Stylum pervénit, ab illíus loci Epíscopo baptizátus, in monastérium órdinis Basiliáni, prope montem septentrionálem Styli exstrúctum, sanctitáte tunc témporis conspícuum, ingréssus, ibi sanctimóniæ et miraculórum laude flóruit.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Corpus suum, in se véluti in infensíssimum hostem sæviens, frígore, nuditáte, fame, siti, chameúniis, flagéllis, labóribus, aliísque cruciátibus afflígébat. Agrum cujúsdam viri nóbilis, cujus eleemósynis Rodiánum cœnóbium, quod Joánnes tunc visitábat, sustentabátur, ingréssus, messóres, a quibus deridebátur, parvo pane et módico vino abúnde satiávit, et copiosíssimæ ségetes, quæ nónnisi a multis messóribus per plures dies cólligi póterant, ipsíus précibus deméssæ, et in fascículos colligátæ, dómino agri, et ipsis messóribus demirántibus, apparuérunt. Unde Therísti, seu messóris nomen, ejúsque imágines cum falce, buccélla panis et vini póculo depíngi consuevérunt.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

In próprium monastérium revérsus, illíus abbas invítus eléctus est, cujus múneris partes ut probe expléret, monásticum institútum promovére, et fratres verbo et exémplo ad perfectiónis ápicem evéhere summópere stúduit. Miráculis tandem et sanctitáte conspícuus, in eódem cœnóbio obdormívit in Dómino, ineúnte sǽculo undécimo. Multis elápsis annis famáque percrebrescénte cœnóbium novum et ecclésia sub invocatióne nóminis ejúsdem Sancti exstrúcta sunt. Ibíque corpus honorífice depósitum fuit. Postrémum sacrum e córpore bráchium, anno millésimo septingentésimo vigésimo quarto, Josépho Gasch Archiepíscopo, Panórmum delátum in templo cathedráli summa veneratióne cólitur.

℟. Iste homo.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 10.

In illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te; quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis.

Declar. Evang. hujus verbi.

Arbitror verba lectiónis hujus ea esse, de quibus ad immortálem sponsum a fínibus terræ clamat Ecclésia: Propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras. Hæc nempe sunt verba, quæ contémptum mundi in univérso mundo, et voluntáriam persuasére homínibus paupertátem. Hæc sunt, quæ mónachis claustra replent, desérta anachorétis. Hæc, inquam, sunt verba, quæ Ægýptum spóliant, et óptima quæque sua vasa dirípiunt. Hic sermo vivus et éfficax, convértens ánimas felíci æmulatióne sanctitátis, et veritátis promissióne fidéli.

℞. Iste est, qui.

Lectio viii.

Nam et mundus transit, et concupiscéntia ejus, et relínquere hæc magis éxpedit, quam relínqui. Ecce, inquit, relíquimus ómnia, et secúti sumus te: nimírum, quia exsultávit ut gigas ad curréndam viam, nec curréntem sequi póteras onerátus. Sed nec inútilis commutátio pro eo, qui super ómnia est, ómnia reliquísse; nam et simul cum eo donántur ómnia, et ubi apprehénderis eum, erit unus ipse ómnia in ómnibus, qui pro ipso ómnia reliquérunt. Omnia sane díxerim, non tantum possessiónes, sed étiam cupiditátes, et eas máxime.

℞. Sint lumbi.

Lectio ix. et comm. Feriæ in Laud.

Die 27. Februarii.

(Pro Diœc. Calatanisiad.)

S. Leandri Episc. Hispalensis et Confessoris.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont., præter sequ. (m. t. v.)

Oratio.

Deus, qui Ariánam pravitátem doctrína sancti Confessóris tui, atque Pontíficis Leándri ex Hispánia propulísti: da plebi tuæ, ut ejúsdem méritis et précibus, ab omni errórum et vitiórum labe semper líbera conservétur. Per Dóminum nostrum.

In I. Nocturno Lect. Fidélis sermo. de eodem Communi 1. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Ex B. Isidoro et Ss. Hispanorum hist.

Leánder, Carthágine ex patre Severiáno, viro claríssimo ejúsdem Carthágınis dómino ortus, fratres hábuit sanctos epíscopos Isidórum et Fulgéntium, sanctitáte et doctrína præstantíssimos, et Florentínam vírginem. In eo a téneris annis castíssimæ luxit intégritas vitæ et morum grávitas máxime venerábilis, quam incomparábilis ingénii cláritas illustrábat. Gliscénte eo témpore hæreticórum furóre sub Wisigóthis princípibus, qui cum império Ariánam impietátem in Hispániam invéxerant, et ejus ecclésias mísere vexábant: públicæ vitæ pertǽsus adoléscens in religiósum monastérium se recépit; ut in propósito perfectióris institúti sánctius Deo inservíret, et piis stúdiis et meditatiónibus in tranquíllo sese exercéret. In eo sanctitáte et doctrína

ádeo profécit, et in omni génere virtútum, divinísque et humánis lítteris conspícuus evásit, ut Isidórus germánus suus ad Claúdium ducem de quibúsdam artículis, ad fidem pertinéntibus, ínstruens scrípserit: Meménto commúnis nostri doctóris Leándri, et ejus fidem atque doctrínam pro víribus imitáre. Sed nóluit Deus tam splendéntem pietátis et doctrínæ lucérnam in occúlto delitéscere, sed in fastígio Ecclésiæ pósitam, Hispániæ prælucére: nam clero et pópulo exposcénte, a monastério avúlsus, epíscopus Hispalénsis creátus est.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Suscéptam ecclésiam omni cura ac sollicitúdine gubernávit: cleri et pópuli mores ad arctam disciplínam tradúxit: solémnia Ecclésiæ offícia, hymnódiam, sacræ Missæ ritus, precésque, quibus eo témpore omnes Hispániæ ecclésiæ utebántur, ordinávit et auxit. A persequénda Ariána hæresi prædicatióne numquam déstitit. Monásticum órdinem Benedictínum amplificáre in Hispánia cœpit, ac soróri suæ Florentínæ régulam pro institutióne Vírginum dedit. His et áliis mire gestis, Constantinópolim pro causis fídei Wisigothórum legátus proféctus est; ubi ob exímiam religiónem et doctrínam apud sanctum Gregórium, Románi Pontíficis Apocrisárium tunc ibi degéntem, tanti hábitus fuit, tantáque amicítia illi conjúnctus, ut ad Románam Sedem póstea promótus, cum Leánder in ecclésiam suam jam fuísset revérsus, pállii ornaméntum míserit, frequéntibus epístolis illum honoráverit; libros in Job, quos illi dicávit, una cum Pastoráli, his lítteris benevoléntia plenis, ad ipsum transmíserit: Quanto ardóre vidére te sítiam, quia valde me díligis, in tui tábulis cordis leges; sed quia longo terrárum spátio disjúnctum te vidére néqueo, unum, quod mihi de te dictávit cáritas, fuit, ut librum Régulæ Pastorális, quem in episcopátus mei exórdio scripsi, et libros, quos in expositiónem beáti Job jam dudum me fecísse cognovísti, sanctitáti vestræ transmíttere curáverim.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Sancto ergo præsule suæ ecclésiæ restitúto, vix enarrári possunt, quæ pro glória Deï, proque eliminánda hæresi Ariána laborávit. Hermenegíldum enim nepótem suum, Leovigíldi regis fílium, sermónibus suis haud solum ad fídei confessiónem perdúxit, sed, ut glorióso sánguinis testimónio illam confirmáret, adéptus fuit. Inflammátus furóre pater in Leándrum, et in omnes adhuc ecclésias, exsílio eum mulctávit, et illas facultátibus et pastóribus orbátas relíquit. Nec tamen déstitit cum fídei hóstibus líbere decertáre. In ipso síquidem exsílio, ut frater suus Isidórus testátur, duos libros eruditíssime sanctárum Scripturárum ditíssimos scripsit, quibus eórum perfídiam confutávit. Affúlsit tandem Ecclésiæ post illam nubem optáta serénitas. Rex enim cum in morbum incidísset, sub mortem in meliórem mentem, (licet non ut oportébat) revérsus, Leándrum

cum áliis epíscopis ab exsílio revocári jussit, eíque Reccarédi fílii curam dedit. Defúncto patre, piíssimus rex Reccarédus doctrínam, consília, et exémpla Leándri secútus, ejus ópera Gothos ad fidem convérti mirabíliter fuit adéptus. Leánder ergo cum tam miram conversiónem vidísset, Hispániæ epíscopos in Toletánam sýnodum conveníre omni sollicitúdine promóvit, quod et Reccarédus máxime curávit. In eo enim concílio, duóbus supra sexagínta epíscopis congregátis, et omni clero, primáriis regni, étiam et ipso rege assidéntibus, Ariána hǽresis fuit damnáta et abjuráta, et fides cathólica ab ómnibus unanímiter suscépta, et uno ore laudáta. Leánder ígitur elegantíssima concióne pátribus de gentis conversióne congratulátus est. Múltaque ad fidem et disciplínam Ecclésiæ sanciéndam tum in eódem concílio, tum in álio, quod póstea Híspali celebrávit, constituénda dispósuit. Demum religióne restitúta et Ecclésiæ pace firmáta, jam octogenário major, cum ecclésiam quadragínta et ámplius annos rexísset, admirábili vitæ ac sanctitátis exémplo migrávit ad Dóminum. Sepúltus fuit in basílica sanctárum vírginum Justæ et Rufínæ; póstea ejus corpus in Hispalénsem ecclésiam translátum est. ℟. Iste est qui.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 5.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras, et conculcétur ab homínibus. Et réliqua.

Homilía sancti Isidóri Epíscopi Hispalénsis.

Nam doctrína, quam vita clarére debet ecclesiásticus doctor. Nam doctrína sine vita arrogántem reddit: vita sine doctrína inútilem facit. Sacerdótis prædicátio opéribus confirmánda est: ita ut quod docet verbo, ínstruat exémplo. Vera est illa doctrína, quam vivéndi séquitur forma. Nam nihil túrpius est quam si bonum, quod quisque sermóne prǽdicat, explére ópere négligat. Tunc enim utíliter prædicátio profértur, quando efficáciter adimplétur. Unusquísque doctor et bonæ actiónis, et bonæ prædicatiónis habére debet stúdium: nam álterum sine áltero non facit perféctum, sed præcédat justus bene ágere, ut sequénter possit bene docére. ℟. Amávit eum.

Lectio viii.

Omnis útilis doctor plébibus subjéctis ita se præstáre debet, atque insístere doctrínæ, ut quanto claret verbo, tanto claréscat et mérito. Nam quod Apóstolus Timótheo prǽcipit cum omni império docére: non hortátur ad tumórem supérbiæ, sed ad bonam actiónem, et vitæ auctoritátem: vidélicet ne libertátem pérderet prædicándi, si bene docéret, et male víveret. Unde et Dóminus: Qui sólverit unum de mandátis istis mínimis et sic docúerit, mínimus erit in regno cœlórum. Vides quod auctoritáte

magistérii caret, qui quod docet, non facit. Sicut in numísmate metállum, figúra, et pondus inquíritur; ita in omni doctóre ecclesiástico quod sequátur, quid dóceat, quómodo vivat. Per qualitátem ígitur metálli doctrína, per figúram similitúdo Patrum, per pondus humílitas designátur. Qui vero ab his tribus discrepáverit, non metállum, sed terra erit.

℟. In médio.

Lectio ix. et comm. Feriæ in Laud.

Feria VI.
post Dominicam I. Quadrag.
Ss. Quinque Vulnerum D. N. J. C.
Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis Feria VI. post Dom. III. Quadr.

Feria VI.
post Dominicam II. Quadrag.
Ss. Spineæ Coronæ D. N. J. C.
Duplex majus.

In I. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud. 17* Ps. ut in I. Vesp. de Communi Apost.

Hymnus.

Exíte, Sion fíliæ,
Regis pudícæ vírgines,
Christi corónam cérnite,
Quam mater ipsa téxuit.

Horret, revúlsis crínibus,
Spinis cruentátum caput,
Et vultus ille décolor
Mortem propínquam réspicit.

Quæ terra sulcis ínvia,
Dumis rigens et séntibus,
Lugúbre munus prótulit?
Quæ sæva méssuit manus?

Christi rubéscens sánguine
Acúleos mutat rosis,
Palmámque vincens frúctibus,
Spina est triúmphis áptior.

Culpis satæ mortálium
Te, Christe, spinæ vúlnerant:
Evélle nostras córdibus,
Tuásque nostris ínsere.

Virtus, honor, laus, glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sæculórum sǽcula.
Amen.

℣. Plecténtes corónam de spinis.
℟. Posuérunt super caput ejus.

Ad Magnif. Ant. Egredímini, et vidéte, fíliæ Sion, regem Salomónem in diadémate quo coronávit eum mater sua, parans crucem Salvatóri suo.

Oratio ut in Laudibus. 17*
Et fit commem. Feriæ.

Ad Matutinum.

Invitat. Christum Regem spinis coronátum, * Veníte, adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus. Exíte. ut supra.

In I. Nocturno.

Ant. Erit tamquam lignum quod plantátum est secus decúrsus aquárum, et fructum suum dabit in témpore suo.

Psalmi 1. et 2. ut in I. Nocturno de Comm. unius Mart.

Ant. Convenérunt in unum advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Ant. In tribulatióne dilatásti mihi.

Ps. 4. Cum invocárem. ut in II. Noct. ibidem.

℣. Glória et honóre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

De Isaía Prophéta.

Lectio i. Cap. 53.

Quis crédidit audítui nostro? et bráchium Dómini cui revelátum est? Et ascéndet sicut virgúltum coram eo, et sicut radix de terra sitiénti: non est spécies ei, neque decor; et vídimus eum, et non erat aspéctus, et desiderávimus eum: despéctum, et novíssimum virórum, virum dolórum, et sciéntem infirmitátem: et quasi abscónditus vultus ejus et despéctus, unde nec reputávimus eum. Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit: et nos putávimus eum quasi leprósum, et percússum a Deo, et humiliátum. Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra: disciplína pacis nostræ super eum, et livóre ejus sanáti sumus.

℟. Maledícta terra in ópere hóminis, * Spinas et tríbulos germinávit Christo. ℣. Quia comédit Adam de ligno, ex quo præcéperat Deus ne coméderet. Spinas.

Lectio ii.

Omnes nos quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam declinávit: et pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrum. Oblátus est, quia ipse vóluit, et non apéruit os suum: sicut ovis ad occisiónem ducétur, et quasi agnus coram tondénte se obmutéscet, et non apériet os suum. De angústia et de judício sublátus est: generatiónem ejus quis enarrábit? quia abscíssus est de terra vivéntium: propter scelus pópuli mei percússi eum.

℟. Appáruit Móysi Dóminus in flamma ignis de médio rubi: * Et vidébat quod rubus ardéret, et non comburerétur. ℣. Dixit ergo Móyses: Vadam, et vidébo visiónem hanc magnam. Et.

Lectio iii.

Et dabit ímpios pro sepultúra, et dívitem pro morte sua: eo quod iniquitátem non fécerit, neque dolus fúerit in ore ejus. Et Dóminus vóluit contérere eum in infirmitáte: si posúerit pro peccáto ánimam suam, vidébit semen longǽvum, et volúntas Dómini in manu ejus dirigétur. Pro eo quod laborávit ánima ejus, vidébit, et saturábitur: in sciéntia sua justificábit ipse justus servus meus multos, et iniquitátes eórum ipse portábit.

℟. Ecce ignis et ligna: Deus providébit sibi * Víctimam holocaústi. ℣. Levávit Abraham óculos suos, vidítque post tergum aríetem inter vepres hæréntem. Víctimam. Glória Patri. Víctimam.

In II. Nocturno.

Ant. Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti eum.

Ps. 5. Verba mea. ut in II. Noct. de Comm. unius Mart.

Ant. Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum.

Ps. 8. Dómine Dóminus. ut ibid.

Ant. Peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagíttas suas in pháretra, ut sagíttent justum.

Ps. 10. In Dómino confído. ut in III. Noct. de Comm. unius Mart.

℣. Posuísti Dómine super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.
Serm. 2. in Epiph. Domini.
Lectio iv.

Egredímini, fíliæ Sion; vobis dícimus, fíliæ Sion, ánimæ sæculáres, débiles, delicátæ; fíliæ, et non fílii, in quibus nihil est fortitúdinis, nihil est virílis ánimi. Egredímini de sensu carnis ad intelléctum mentis, de servitúte carnális concupiscéntiæ ad libertátem spirituális intelligéntiæ. Egredímini de terra vestra, et de cognatióne vestra, et de domo patris vestri, et vidéte regem Salomónem in diadémate quo coronávit eum mater sua, in coróna paupertátis, in coróna misériæ: síquidem coronátus est et a novérca sua coróna spínea, coróna misériæ, coronándus a família sua coróna justítiæ, quando exíbunt Angeli, et tollent de regno ejus ómnia scándala, quando véniet ad judícium cum senióribus pópuli sui, cum pugnábit pro eo orbis terrárum advérsus insensátos. Corónat eum et Pater coróna glóriæ, sicut ait Psalmísta: Glória et honóre coronásti eum, Dómine. Vidéte eum, fíliæ Sion, in diadémate quo coronávit eum mater sua.

℟. Cum apparúerit princeps pastórum, quo percússo, dispérsæ sunt oves gregis, * Percipiétis immarcescíbilem glóriæ corónam. ℣. Cum fécerit grande convívium, ut osténdat divítias glóriæ regni sui. Percipiétis.

Lectio v.
Serm. 42. in Cant.

Ego, fratres, ab ineúnte mea conversióne pro acérvo meritórum, quæ mihi deésse sciébam, mihi fascículum colléctum ex ómnibus anxietátibus et amaritudínibus Dómini mei colligáre, et inter úbera mea collocáre curávi. Memóriam abundántiæ suavitátis horum eructábo quoad víxero, in ætérnum non oblivíscar miseratiónes istas, quia in ipsis vivificátus sum. Mihi hic salutáris fascículus servátus est; nemo tollet eum a me: inter úbera mea commorábitur. Hæc meditári, dixi sapiéntiam: in his justítiæ mihi perfectiónem constítui, in his plenitúdinem sciéntiæ, in his divítias salútis, in his cópias meritórum. Ex his mihi intérdum potus salutáris amaritúdinis: ex his rursum suávis únctio consolatiónis. Hæc me érigunt in advérsis, in prósperis réprimunt, et, inter læta tristiáque vitæ præséntis, via régia incedénti tutum præbent utrobíque ducátum, hinc inde mala imminéntia propulsándo. Hæc mihi concíliant mundi Júdicem, dum treméndum potestátibus, mitem humilémque figúrant; dum non solum placábilem, sed et imitábilem repræséntant eum, qui inaccessíbilis est principátibus, terríbilis apud reges terræ.

℟. Accépit regnum decóris, * Et diadéma speciéi. ℣. Deus exaltávit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen. Et.

Lectio vi.

Hæc proptérea mihi in ore frequénter, sicut vos scitis; hæc in corde semper, sicut Deus scit; hæc stylo meo ádmodum familiária, sicut appáret: hæc mea sublímior ínterim philosophía, scire Jesum, et hunc crucifíxum. Non requíro, sicut sponsa, ubi cubet in

merídie, quem lætus ampléctor mea inter úbera commorántem. Non requíro ubi pascat in merídie, quem intúeor Salvatórem in cruce. Illud sublímius, istud suávius: panis illud, hoc lac: hoc víscera réficit parvulórum, hoc replet úbera matrum; et ídeo inter úbera mea commorábitur. Hunc et vos, dilectíssimi, tam diléctum fascículum collígite vobis: hunc medúllis insérite cordis, hoc muníte áditum péctoris, ut et vobis inter úbera commorétur. Si enim ante óculos habuéritis quem portátis, pro certo vidéntes angústias Dómini, lévius vestras portábitis, ipso auxiliánte Ecclésiæ sponso, qui est super ómnia Deus benedíctus in sǽcula. Amen.

℟. Arcam de lignis Setim deaurábis auro mundíssimo intus et foris: * Faciésque supra corónam aúream per circúitum. ℣. Pones in arca testificatiónem quam dabo tibi. Faciésque. Glória. Faciésque.

In III. Nocturno.

Ant. Ingréssus sine mácula, et operátus justítiam, coronátus est in monte sancto tuo.

Ps. 14. **Dómine, quis.** ut in III. Noct. de Comm. unius Mart.

Ant. Super caput ejus corónam de lápide pretióso posuísti, Dómine.

Ps. 20. **Dómine, in virtúte.** ut ibid.

Ant. Advérsus eos qui tríbulant me, impinguásti in óleo caput meum.

Ps. 22. **Dóminus regit me.** ut ad Primam Feriæ V.

℣. Coróna aúrea super caput ejus. ℟. Expréssa signo sanctitátis.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. Cap. 19.

In illo témpore: Apprehéndit Pilátus Jesum, et flagellávit. Et mílites plecténtes corónam de spinis, imposuérunt cápiti ejus. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis.

Ex Serm. 50. de diversis.

Vidéte, fíliæ Sion, regem Salomónem. Non dicit Ecclesiásten, aut Ididam. Nam et his nomínibus appellátus est rex ille: et signíficat Jesum Christum, nostrum verum Salomónem, qui est Sálomon, id est, pacíficus in exsílio: Ecclesiástes, id est, concionátor in judício: Idida, id est, diléctus Dómini in regno, ibíque rex. In exsílio mansuétus, in judício justus, in regno gloriósus. In exsílio amábilis, in judício terríbilis, in regno admirábilis. In diadémate quo coronávit eum mater sua. Est autem hæc coróna misericórdiæ, et in hac imitábilis. Coronávit eum et novérca sua coróna misériæ, et in hac contemptíbilis. Synagógam loquor, quæ se ei non matrem exhíbuit, sed novércam.

℟. Fácies altáre ad adoléndum thymiáma de lignis Setim, * Faciésque ei corónam auréolam per gyrum. ℣. Ponésque altáre contra velum coram propitiatório. Faciésque.

Lectio viii.

Coronábit eum família sua coróna justítiæ, et in hac terríbilis: corónat eum Pater suus co-

róna glóriæ, et in hac desiderábilis. Vídeant ergo eum peccatóres in coróna misériæ, id est, spínea, et compungántur: vídeant eum filiæ Sion, ánimæ affectuósæ, in coróna misericórdiæ, et imiténtur. Vidébunt eum ímpii in coróna justítiæ, et períbunt: vidébunt eum sancti in coróna glóriæ, et perpetuáliter gaudébunt. Coronántur quidem et álii imitatóres ipsíus; sed hoc ex indústria adjúti per grátiam. Solus iste a matre coronátus est, quia solus cum ordinátis affectiónibus, tamquam sponsus e thálamo, procéssit ex útero matris.

℟. Christus sciens dolórem et infirmitátem, spinis coronátus, * Ipse est qui corónat vos in misericórdia et miseratiónibus. ℣. Vulnerátus propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra, cujus livóre sanáti sumus. Ipse. Glória Patri. Ipse.

Lectio ix. de Homilia Feriæ.

Ad Laudes

et per Horas.

Ant. 1. Diléctus meus cándidus * et rubicúndus, comæ cápitis ejus sicut púrpura regis vincta canálibus.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Requiévit super eum * spíritus timóris Dómini: Coróna sapiéntiæ et exsultatiónis decorávit illum.

3. Induit eum * Dóminus vestiméntis salútis, et induménto justítiæ, quasi sponsum decorátum coróna.

4. Fascículus myrrhæ * diléctus meus mihi, inter úbera mea commorábitur.

5. Rex ætérnæ glóriæ * pro nobis coronátus, benedícet corónæ anni benignitátis suæ.

Capitulum. Cant. 3.

Egredímini, et vidéte, fíliæ Sion, regem Salomónem in diadémate, quo coronávit illum mater sua.

Hymnus.

Legis figúris píngitur
Christi coróna nóbilis:
Impléxa spinis víctima,
Ardénsque testátur rubus.

Arcam coróna cínxerat,
Mensǽque sacrum círculum:
Arámque thure fúmidam
Coróna nectit ámbiens.

Christi dolórum cónscia,
Salve, coróna glóriæ,
Gemmis et auro púlchrior,
Vincens corónas síderum.

Virtus, honor, laus, glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sæculórum sǽcula. Amen.

℣. Eris coróna glóriæ in manu Dómini. ℟. Et diadéma regni in manu Dei tui.

Ad Bened. Ant. Exívit Jesus, portans spíneam corónam et purpúreum vestiméntum.

Oratio.

Præsta, quǽsumus omnípotens Deus: ut qui in memóriam passiónis Dómini nostri Jesu Christi, corónam ejus spíneam venerámur in terris, ab ipso glória et honóre coronári mereámur in cœlis: Qui tecum.

Et fit commem. Feriæ.

Ad Tertiam.

Ant. Requiévit super eum.

Capit. Egredímini. ut supra.

℟. br. Eris coróna glóriæ * In manu Dómini. Eris. ℣. Et diadéma regni in manu Dei tui. In. Glória Patri. Eris.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Sextam.

Ant. Induit eum.

Capitulum. Apoc. 6.

Vidi, et ecce equus albus, et qui sedébat super illum, habébat arcum: et data est ei coróna, et exívit vincens, ut vínceret.

℟. br. Glória et honóre * Coronásti eum, Dñe. Glória et. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Coronásti. Glória Patri. Glória et.

℣. Tuam corónam adorámus, Dómine. ℟. Tuam gloriósam recólimus passiónem.

Ad Nonam.

Ant. Rex ætérnæ glóriæ.

Capitulum. Is. 28.

In die illa erit Dóminus exercítuum coróna glóriæ, et sertum exsultatiónis resíduo pópuli sui.

℟. br. Tuam corónam * Adorámus, Dómine. Tuam. ℣. Tuam gloriósam recólimus passiónem. Adorámus. Glória Patri. Tuam.

℣. Plecténtes corónam de spinis. ℟. Posuérunt super caput ejus.

In II. Vesperis.

Omnia ut in I. Vesperis.

Ad Magnif. Ant. Et genu flexo ante eum, illudébant ei, dicéntes: Ave, Rex Judæórum; et exspuéntes in eum, accepérunt arúndinem, et percutiébant caput ejus.

Deinde fit commem. Feriæ.

Feria VI. post Dominicam III. Quadrag. Pretios. Sanguinis D. N. J. Chr.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis Feria VI. post Dom. IV. Quadr.

Feria VI. post Dominicam IV. Quadrag. Ss. Lanceæ et Clavorum D. N. J. Chr.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis Feria VI. post Dom. I. Quadrag.

Die 1. Martii.

(Pro Diœc. Calatanisiad.)

B. Joannæ Mariæ Bonomo Virginis.

D u p l e x.

Omnia de Communi Virg., præter sequentia.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, virtútum ómnium exémplar et prǽmium, qui beátam Joánnam Maríam Vírginem tuam admirábili patiéntia pro nóminis tui amóre decorásti: da pópulo tuo ejus solémnia celebránti, ita sequi vestígia, ut assequátur et prǽmia: Qui vivis et regnas.

Et fit commem. Feriæ.

In I. Nocturno Lect. De virgínibus. de Communi.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Joánna María Bónomo Virgo, Joánne et Virgínia ingénuis, piísque paréntibus nata est Asyliáci, non ignóbili pago ex septem fœderátis commúnibus apud agrum vicentínum, anno humánæ salútis millésimo sexcentésimo

sexto. Ab ineúnte ætáte non obscúra præbuit sanctitátis indícia; postque exáctos summa pietáte pueríles annos virginitátem suam Deo consecráre decrévit. Mórtua matre, forte ánimo réstitit patri, précibus atque minis ómnia tentánti, ut eam a sancto propósito removéret. Voti tandem compos effécta, séxdecim annos nata in Bassanénsi monastério órdinis sancti Benedícti, monásticum institútum proféssa est, in quo ómnium se virtútum exémplar exhíbuit.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Corpus suum omni pœnárum génere in servitútem redígere studébat, cilíciis, férreo cíngulo, crebrísque flagéllis ita in se sǽviens, ut sæpe copiósus cruor difflúeret. Præter consuéta jejúnia plures in hebdómada dies non solum vini, sed et panis usu sibi interdícto vílibus cibis conténta ducébat, imo nec sitim aqua exstínguere curábat. A soróribus suis derelícta, linguárum mórsibus dire agitáta, invíctæ patiéntiæ atque profundíssimæ humilitátis exémplum præbuit: quod máxime enítuit in plúribus morbis, quibus sæpe sǽpius vexáta fuit; præcípue vero in ischíade toleránda, qua ad mortem usque laborávit. Castitátem ádeo cóluit, ut ne óculos quidem in quemquam conjícere audéret. Tanto quoque divíni amóris igne æstuábat, ut extra sensus frequénter rapta, diutúrnas atque admirábiles éxtases passa fúerit, in quibus exímiis a Deo grátiis illustrabátur.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Mirífica étiam in beátam Vírginem pietáte excélluit, et lacrimárum dono enítuit. Quibus, aliísque virtútibus fulgéntem dignam sane soróres existimárunt, cui monastérii régimen semel atque íterum commítterent, in quo quidem múnere tanta caritáte, atque humilitáte erga omnes se gessit, ut quamvis mater esset, et sorórum magístra, ómnium se tamen ancíllam exhibéret atque minístram. Méritis tandem atque virtútibus cumuláta, et omni asperitátum génere cruciáta in gravíssimum morbum íncidit, in quo acerbíssimos dolóres forti ánimo pértulit. Ingravescénte deínde morbo soróres suas salutáribus mónitis instrúxit, sanctissimísque Ecclésiæ Sacraméntis coram eis devotíssime suscéptis, ánimam Deo réddidit Kaléndis Mártiis anno millésimo sexcentésimo septuagésimo, ætátis suæ sexagésimo quarto. Plúribus in vita, et post mortem miráculis cláruit, quibus rite probátis, Pius Sextus Póntifex Máximus beatórum catálogo eam adscrípsit.

℟. Afferéntur Regi.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus.** de Communi.

Lectio ix. et comm. Feriæ in Laud.

Die 2. Martii.

(Pro Diœc. Calatanisiad.)

B. Joannis Marinonii Conf.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter sequentia.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui beátum Joánnem Confessórem

tuum, per assíduam Passiónis tuæ contemplatiónem, imitatórem tui exímium effecísti: ipsíus quǽsumus intercessióne concéde; ut ejúsdem vestígiis inhæréntes, passiónis tuæ fructus percípere valeámus. Qui vivis et regnas.

Et fit commem. Feriæ.

In I. Nocturno Lectiones Beátus vir. de Communi.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Joánnes Marinónius ex illústri família Venétiis natus, Canónicus fuit in célebri sancti Marci Basílica, ubi non pauca prǽbuit virtútum exémpla. Sed divíni amóris æstu ad majóra vocátus, perféctius vitæ institútum sibi propósuit. Motus enim fama nascéntis tunc Ordinis Clericórum Regulárium Theatinórum, provolútus pédibus sancti Cajetáni ejúsdem órdinis institutóris, ab ipso impetrávit, ut suos inter alúmnos cooptarétur. Incredíbile autem dictu est, quanta ánimi alacritáte novum hoc vitæ genus ampléxus fúerit. In observándis institúti légibus diligentíssimus, oratióni contínuo inténtus, cilício, jejúniis, vigíliis corpus exércens suum, exémplum se ómnibus prǽbuit vere evangélicæ perfectiónis. Contemplatióni præsértim Domínicæ Passiónis addíctus tantam inde hausit humilitátem, ut vilíssimum se peccatórem coram Deo et homínibus prófitens, cum oblátum sibi intellígeret a Pontífice Paulo quarto Archiepiscopátum Neapolitánum, précibus, et lácrimis imploráverit, ne tanta sibi dígnitas conferrétur. Hinc solum cógitans, quæ Dei sunt, vitam duxit tam castam, et omni virtútum génere exercitátam, ut a sancto Cajetáno Angelus in carne, et a sancto Andréa Avellíno viva imágo veræ sanctitátis dicerétur.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Caritáte erga próximum, Pater paúperum, et Angelus consílii ac pacis dici póterat. In reficiéndis enim egénis, et viséndis infírmis, iísque assídue in públicis nosocomíis tum Neápoli cum Venétiis adjuvándis, patérnæ osténdit víscera misericórdiæ. Spíritum vero consílii osténdit máxime in regéndis tum religiósis suis, quibus plures per annos præésse coáctus est, tum plúribus sanctimoniálibus aliísque spirituálibus fíliis, inter quos præsértim fuit Cardinális de Arrétio, cujus heróicas virtútes jam Sedes Apostólica approbávit, ac sanctus Andréas Avellínus, quem univérsa venerátur Ecclésia. Ad pacem hortári príncipes per lítteras conabátur, cum bellum ímminens viderétur. Pacem ínitam præcognóscens, prophético quodam spíritu concionándo annuntiávit, ut pópulum consolarétur. Pacem quoque afférre turbátis spirítibus, et ánxiis consciéntiis peculiáre fuit ejus donum, quod máxime effúlsit, cum moriéntibus præsto esset.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

Pro honóre Dei vir licet suávis, et mitis, zelo exársit máxime in Hæreticórum erróribus et in sǽculi vítiis expugnándis. Plúries in hebdómada ad pópulum, plúries in die ad religiósos suos de

divínis rebus sic loquebátur, ut in simplicitáte sermónis, ígneo véluti elóquio prǽditus viderétur, et quasi de parva scintílla magnum in pópulo éxcitans divíni amóris incéndium, omnes implébat horróre, ac dolóre culpárum, ut pœniténtiam perágerent. Letháli demum morbo corréptus, méritis plenus, Neápoli in ǽdibus sancti Pauli obdormívit in Dómino ætátis suæ anno septuagésimo secúndo, fama sanctitátis et miraculórum máxime clarus.

℟. **Iste homo.**

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Sint lumbi vestri.** ut in eodem Com̃. Lectio ix. et comm̃. Feriæ in Laud.

Die 5. Martii.

S. Eliæ Prophetæ.

Duplex.

Pro Clero Civit. et Diœc. Panor.

In I. Vesperis.

Ant. 1.

Zelo zelátus sum pro Dómino Deo exercítuum, quia dereliquérunt pactum tuum fílii Israël.

Psalmi de Dominica, et loco ultimi, Psalm. **Lauda Jerúsalem Dóminum.** ut in Vesp. Sabbati.

2. **Usquequo claudicátis in duas partes? Si Dóminus est Deus, sequímini eum.**

3. **Si homo Dei sum, descéndat ignis de cœlo, et dévoret te, et quinquagínta tuos.**

4. **Non ego turbávi Israël, sed tu, et domus patris tui, qui dereliquísti mandáta Dómini.**

5. **Occidísti ínsuper, et possedísti: Ecce ego indúcam super te malum, et démetam posterióra tua.**

Capitulum. Eccli. 48.

Surréxit Elías Prophéta quasi ignis, et verbum ipsíus quasi fácula ardébat. Qui indúxit in pópulos famem, et irritántes illum invídia sua pauci facti sunt.

Hymnus.

Nunc juvat celsi properáre ad alta
Mente Carméli juga, et ore pleno
Vatis Elíæ méritos reférre
Laudis honóres.

Dum fames terras prémeret, minístro
Utitur corvo: víduæ farínam
Súfficit solers, oleóque manat
Hýdria pingui.

Hic, Deo fusis précibus, redúctum
Fínibus mortis púerum parénti
Reddit, orándo valet expetítam
Réddere lucem.

Claudit et nubes, aperítque verbo:
Imperat, post tres properánter annos,
Décidant cœlo, sitiénsque tellus
Haúriat imbres.

Sit Patri summo, genitǽque Proli,
Et tibi compar utriúsque, sancte
Spíritus, laus, impérium, potéstas
Tempus in omne.
Amen.

℣. **Verbo Dñi contínuit cœlum.**
℟. **Et dejécit de cœlo ignem ter.**

Ad Magnif. Ant. **Ecce ego mittam vobis Elíam Prophétam, ántequam véniat dies Dómini magnus, et horríbilis. Et convértet cor patrum ad fílios, et cor filiórum ad patres eórum.**

Oratio ut infra ad Laudes. **26***
Et fit commem. Feriæ.

Ad Matutinum.

Invit. Regem Prophetárum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus. Nunc juvat celsi. 21*

In I. Nocturno.

Ant. Factum est autem, ut ægrotáret fílius mulíeris matrisfamílias, et erat lánguor fortíssimus.

Psalmi trium Nocturnorum de Communi Conf. non Pont.

Ant. Dixit múlier ad Elíam: Quid mihi et tibi, vir Dei? Ingréssus es ad me, ut rememoraréntur iniquitátes meæ, et interfíceres fílium meum?

Ant. Ait Elías ad víduam: Da mihi fílium tuum. Et clamávit ad Dóminum, et revíxit puer.

℣. Verbo Dñi contínuit cœlum.
℟. Et dejécit de cœlo ignem ter.

De libro tértio Regum.

Lectio i. Cap. 17.

Dixit Elías Thesbítes de habitatóribus Gálaad ad Achab: Vivit Dóminus Deus Israël, in cujus conspéctu sto, si erit añis his ros, et plúvia, nisi juxta oris mei verba. Et factum est verbum Dómini ad eum, dicens: Recéde hinc, et vade contra Oriéntem, et abscóndere in torrénte Carith, qui est contra Jordánem, et ibi de torrénte bibes: corvísque præcépi, ut pascant te ibi. Abiit ergo: et fecit juxta verbum Dómini, cumque abiísset, sedit in torrénte Carith, qui est contra Jordánem. Corvi quoque deferébant ei panem, et carnes mane; simíliter panem, et carnes véspere, et bibébat de torrénte. Post dies autem siccátus est torrens: non enim plúerat super terram. Factus est ergo sermo Dómini ad eum, dicens: Surge, et vade in Saréphta Sidoniórum, et manébis ibi: præcépi enim ibi mulíeri víduæ, ut pascat te.

℟. Recéde hinc, et vade contra Oriéntem, dixit Dóminus ad Elíam: * Qui ábiit, et fecit juxta verbum Dómini. ℣. Abscóndere in torrénte Carith, et ibi de torrénte bibes: corvísque præcépi, ut pascant te ibi. Qui ábiit.

Lectio ii.

Surréxit, et ábiit in Saréphta. Cumque venísset ad portam civitátis, appáruit ei múlier vídua cólligens ligna, ét vocávit eam, dixítque ei: Da mihi paúlulum aquæ in vase, ut bibam. Cumque illa pérgeret, ut afférret, clamávit post tergum ejus, dicens: Affer mihi, óbsecro, et buccéllam panis in manu tua. Quæ respóndit: Vivit Dóminus Deus tuus, quia non hábeo panem, nisi quantum pugíllus cápere potest farínæ in hýdria, et paúlulum ólei in lécytho; en cóligo duo ligna ut ingrédiar, et fáciam illum mihi, et fílio meo, ut comedámus, et moriámur. Ad quam Elías ait: Noli timére, sed vade, et fac sicut dixísti: verúmtamen mihi primum fac de ipsa farínula subcinerícium panem párvulum, et affer ad me: tibi autem, et fílio tuo fácies póstea. Hæc autem dicit Dóminus Deus Israël: Hýdria farínæ non defíciet, nec lécythus ólei minuétur usque ad diem, in qua Dóminus datúrus est plúviam super fáciem terræ. Quæ ábiit, et fecit juxta verbum Elíæ: et comédit ipse, et illa, et domus

ejus: et ex illa die hýdria farínæ non defécit, et lécythus ólei non est imminútus, juxta verbum Dómini, quod locútus fúerat in manu Elíæ.

℟. Abiit múlier, et fecit juxta verbum Prophétæ: * Et comédit ipse, et illa, et domus ejus. ℣. Ex illa die hýdria farínæ non defécit, et lécythus ólei non est imminútus, juxta verbum Elíæ. Et.

Lectio iii.

Factum est autem post hæc, ægrotávit fílius mulíeris matrisfamílias, et erat languor fortíssimus, ita ut non remanéret in eo hálitus. Dixit ergo ad Elíam: Quid mihi et tibi, vir Dei? Ingréssus es ad me, ut rememoraréntur iniquitátes meæ, et interfíceres fílium meum? Et ait ad eam Elías: Da mihi fílium tuum. Tulítque eum de sinu ejus, et portávit in cœnáculum: ubi ipse manébat, et pósuit super léctulum suum. Et clamávit ad Dóminum, et dixit: Dómine Deus meus, etiámne víduam, apud quam ego utcúmque susténtor, afflixísti, ut interfíceres fílium ejus? Et expándit se, atque mensus est super púerum tribus vícibus, et clamávit ad Dóminum, et ait: Dómine Deus meus, revertátur, óbsecro, ánima púeri hujus in víscera ejus. Et exaudívit Dóminus vocem Elíæ: et revérsa est ánima púeri intra eum, et revíxit.

℟. Revérsa est ánima púeri intra eum, et revíxit, et trádidit matri suæ, et ait illi: * En vivit fílius tuus. ℣. Tulit Elías púerum, et depósuit eum in inferiórem domum, dicens. En. Glória Patri. En.

In II. Nocturno.

Ant. Factum est verbum Dómini ad Elíam, dicens: Vade, et osténde te Achab, ut dem plúviam super fáciem terræ.

Ant. Ait Elías ad Achab: Ascénde, cómede, et bibe, quia sonus multæ plúviæ est.

Ant. Manus Dómini facta est super Elíam, accinctísque lumbis currébat ante Achab, donec veníret in Jézrahel.

℣. Tu ungis reges ad pœniténtiam. ℟. Et Prophétas facis successóres post te.

Ex libro S. Epiphánii Epíscopi.

De vitis Prophet.

Lectio iv.

Elías Prophéta ex Thesbis exsistébat e continénte Arabum, de Tribu Aaron Levítæ. Morabátur autem in Gálaad: quóniam Thesbis erant ædes sacerdótibus consecrátæ, ac destinátæ. Quem cum eniterétur parens ejus, ejúsmodi Sobac patri vísio appáruit. Viri, níveum quemdam præ se feréntes hábitum, pusiónem salutábant, matrísque ubéribus in ignem evellébant: quin et flammam ignis cibi loco ministrábant. Proféctus est ítaque in Jerúsalem génitor, vísaque ad sacerdótes rétulit. Respóndit autem illi Chrematísmus, hoc est, Oráculum, sive Respónsor: Cave maniféstum fácias: erit quippe lumen fílii hujus domicílium, sermóque ejus demonstrátio ac senténtia: et judicábit Israël cum igne, tum rhomphǽa. Hic est ille Elías, qui ter ignem e cœlo dedúxit, quique imbrem sua lingua gestávit, mórtuos item sus-

citávit, et in cœlum dénique nimbo, seu túrbine ignis, assúmptus est.

℟. Ait Abdías ad Elíam: Cum recéssero a te, Spíritus Dómini asportábit te in locum quem ego ignóro, et tu dicis: * Dic Dómino tuo: Adest Elías. ℣. Dixit Elías: Vivit Dóminus exercítuum, ante cujus vultum sto, quia hódie apparébo ei. Dic.

Ex libro sancti Isidóri Epíscopi.

De vita et morte Sanctorum.

Lectio v.

Elías, qui interpretátur Dóminus Deus, Thesbítes, Sacérdos magnus, atque Prophéta, habitátor solitúdinis, fide plenus, devotióne summus, in labóribus fortis, in indústria solers, excellénti ingénio prǽditus, in exercitatióne disciplínæ rectus, in sancta meditatióne assíduus, metúque mortis intrépidus. Verberávit tyránnos, sacrílegos interfécit, multísque signis virtútum effúlsit. Triénnii siccitáte clausit ímbribus cœlum. Orávit rursum, et cœlum dedit plúvias. Mórtuum mulíeris fílium suscitávit. Cujus virtúte hýdria farínæ non defécit, et vas ólei perpétuo fonte manávit. Cujus verbo super sacrifícium ignis de cœlo venit. Duos quinquagenários cum milítibus cœlésti igne combússit. Jordánem tránsiens, tactu melótis abrúpit aquas.

℟. Cum venísset Elías ad portam civitátis, appáruit ei múlier vídua cólligens ligna: et vocávit eam, dixítque ei: * Da mihi paúlulum aquæ in vase, ut bibam. ℣. Cumque illa pérgeret, ut afférret, clamávit post tergum ejus, dicens: Affer mihi, óbsecro, et buccéllam panis in manu tua. Da mihi.

Lectio vi.

Post hæc ígneo curru in cœlum raptus ascéndit, ventúrus, juxta Malachíam Prophétam, in fine mundi præcursúrus Christum, annuntiatúrus últimum ejus advéntum cum magnis virtútibus, prodigiísque signórum, ita ut bellum gerat Antichrístus advérsus eum, et Henoch, qui cum eo ventúrus est: et occídet eos. Cadávera vero eórum tribus diébus, et sex horis in platéis insepúlta jacébunt. Dehinc suscitáti a Dómino regnum Antichrísti plaga magna percútient. Post hæc véniet Dóminus, et interfíciet Antichrístum gládio oris sui, et eos, qui adoravérunt eum, et regnábit Dóminus cum ómnibus sanctis suis in ætérnum.

℟. Expándit se, atque mensus est Elías super púerum tribus vícibus, et clamávit ad Dóminum: * Et exaudívit Dóminus vocem Elíæ. ℣. Dómine Deus meus, revertátur, óbsecro, ánima púeri hujus in víscera ejus. Et. Glória Patri. Et.

In III. Nocturno.

Ant. Dixit Elías Prophétis Baal: Elígite vobis bovem unum, et invocáte nómina deórum vestrórum; qui clamábant, et non erat, qui respondéret eis.

Ant. Cum jam tempus esset, ut offerrétur holocaústum, accédens Elías orávit ad Dóminum.

Ant. Oránte Elía, cécidit ignis Dómini, et vorávit holocaústum, et ligna, et lápides, púlverem quoque, et aquam, quæ erat in aquædúctu, lambens.

℣. Beáti sunt, qui te vidérunt. ℟. Et in amicítia tua decoráti sunt.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 17.

In illo témpore: Assúmpsit Jesus Petrum, et Jacóbum, et Joánnem fratrem ejus, et duxit illos in montem excélsum seórsum, et transfigurátus est ante eos. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. 57. in Matth. paulo post princip.

Cujus autem rei grátia Móysen, et Elíam prodúxit? Multas quidem dícere quis causas posset. Primum quóniam et turbæ, álii Elíam, álii Jeremíam, álii priscórum Prophetárum unum opinabántur: idcírco Móysen et Elíam, ceterórum Prophetárum vértices, prodúcit, ut quam magnum sit inter servos, et Dóminum discrímen, óculis cérnerent, utque recte laudátum créderent Petrum, qui Fílium Dei eum conféssus est. Deínde quóniam assídue quasi transgressórem legis Judǽi accusábant, et blasphemáre putábant, quasi glóriam Patris nihil ad eum pertinéntem vindicárent. Dicébant enim: Hic non est a Deo, quia Sábbatum non servat; et rursus: De bono ópere non lapidámus te, sed cum sis homo, Deum te facis; ut ipsa re monstrarétur, quia ex invídia hæc criminabántur, quia neutri horum críminum subjicerétur, nec legis prævaricátor esset, nec aliénam glóriam sibi acquíreret, æquálem se Patri faciéndo, eos prodúxit in médium, quorum altéruter in altérutra istárum rerum præfúlsit. Móysi enim legem dedit; quare non fuísset passus Móyses conculcári legem, ut Judǽi credébant; nec prævaricatórem ejus, et legumlatóris hostem, lator ipse umquam coluísset. Elías autem pro glória Dei zelávit; quare non astitísset ei, qui æquálem se Patri dicébat, si non esset, nec paruísset illi, qui sibi, quod non habébat, vindicáret.

℟. Ait Elías núntiis regis Samaríæ: Numquid non est Deus in Israël, ut eátis ad Beélzebub? Quamóbrem hæc dicit Dóminus: * De léctulo, super quem ascendísti, non descéndes, sed morte moriéris. ℣. Revérsi núntii ad Ochozíam dixérunt: Vir occúrrit nobis dicens: Ite, et revertímini ad regem, et dicétis ei. De.

Lectio viii.

Ad hæc ómnia illud étiam póssumus dícere, ut tam mortis quam vitæ habére potestátem líquido, ac vere crederétur; utque supernórum, et infernórum Dóminus ostenderétur; idcírco Móysen jam mórtuum, et Elíam, qui nondum id passus est, in médium prodúxit. Quartam vero causam Evangelísta quoque ipse tétigit. Quænam ígitur illa est? Ut crucis glóriam osténdat, et tam Petrum, quam réliquos, qui passiónem formidábant, consolarétur, et ad sublímius erígeret. Non enim tacébant, inquit, sed loquebántur de glória, quam completúrus erat in Jerúsalem, de cruce vidélicet, ac passióne: sic enim ipsam semper appellábat.

℟. Factum est, dum tólleret Dóminus Elíam per túrbinem in cœ-

lum, * Eliséus clamábat, dicens: Pater mi, pater mi, currus Israël, et auríga ejus. ℣. Cumque pérgerent, et incedéntes sermocinaréntur: ecce currus ígneus, et equi ígnei divisérunt utrúmque, et ascéndit Elías per túrbinem in cœlum. Eliséus. Glória Patri. Eliséus.

Lectio ix. et comm. Feriæ in Laud.

Ad Laudes

et per Horas.

Ant. 1. Elías, * dum zelat zelum legis, recéptus est in cœlum.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Factum est autem, * cum leváre vellet Dóminus Elíam per túrbinem in cœlum, ibant Elías, et Eliséus de Gálgalis.

3. Tulit Elías * pállium suum, et percússit aquas, et divísæ sunt, et transiérunt ambo per siccum.

4. Cum Elías, * et Eliséus pérgerent, et incedéntes sermocinaréntur, ecce currus ígneus et equi ígnei divisérunt utrúmque.

5. Ascéndit Elías * per túrbinem in cœlum; Eliséus autem vidébat, et clamábat: Pater mi, pater mi, currus Israël, et auríga ejus.

Capitulum. Eccli. 48.

Surréxit Elías Prophéta quasi ignis, et verbum ipsíus quasi fácula ardébat: qui indúxit in pópulos famem, et irritántes illum invídia sua, pauci facti sunt.

Hymnus.

Te, magne rerum Cónditor,
Mens nostra gliscit laúdibus
In hoc Thesbíte máximo,
Quem díligis extóllere.

Hic namque sacri nóminis
Tui zelátor próvocat
Vates Baal nequíssimos,
Victósque jure intérficit.

Illo precánte, víctimas
Absúmit ignis cœlitus:
Hinc perstrepéntes ácriter,
Sunt ómnibus ludíbrio.

Tum Jezabélis ímpiæ
Vitans furórem nóxium,
Sub junipéro dórmiens,
Adésse cernit Angelum.

Panem sibi qui próferens,
Lymphámque, jussit pérgere
Cibo reféctum strénue
Ad montis Horeb vérticem.

Hoc in cibo jejúnium
Tulit quadragenárium:
Hac vi dapes sunt prǽditæ,
Quas dextra Dei pórrigit.

Omnis tibi sit glória,
Verbum, Pater, Paráclite,
Inseparáta Trínitas,
Quæ condidísti ómnia. Amen.

℣. Elías in túrbine tectus est.
℟. Et in Eliséo complétus est spíritus ejus.

Ad Bened. Ant. Elías homo erat símilis nobis passíbilis: et oratióne orávit, ut non plúeret super terram: et non pluit annos tres, et menses sex. Et rursum orávit: et cœlum dedit plúviam, et terra dedit fructum suum.

Oratio.

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut qui beátum Elíam Prophétam tuum ígneo curru mirabíliter elevátum esse crédimus, eódem interveniénte, ad cœléstia sublevémur; et sanctórum tuórum consórtio gaudeámus. Per Dñm.

Et fit commem. Feriæ.

Ad Tertiam.

Ant. Factum est autem.

Capit. Surréxit Elías. 26*

℟. br. Verbo Dómini * Contínuit cœlum. Verbo. ℣. Et dejécit de cœlo ignem ter. Contínuit. Glória Patri. Verbo.

℣. Tu ungis Reges ad pœniténtiam. ℟. Et Prophétas facis successóres post te.

Ad Sextam.

Ant. Tulit Elías.

Capitulum. Eccli. 48.

Verbo Dómini contínuit cœlum, et dejécit de cœlo ignem ter: sic amplificátus est Elías in mirabílibus suis.

℟. br. Tu ungis Reges * Ad pœniténtiam. Tu. ℣. Et Prophétas facis successóres post te. Ad. Glória Patri. Tu.

℣. Beáti sunt, qui te vidérunt. ℟. Et in amicítia tua decoráti sunt.

Ad Nonam.

Ant. Ascéndit Elías.

Capitulum. Eccli. 48.

Tu sustulísti mórtuum ab ínferis, de sorte mortis in verbo Dómini Dei. Qui scriptus es in judíciis témporum leníre iracúndiam Dómini.

℟. br. Beáti sunt, * Qui te vidérunt. Beáti. ℣. Et in amicítia tua decoráti sunt. Qui te. Glória Patri. Beáti.

℣. Elías in túrbine tectus est. ℟. Et in Eliséo complétus est spíritus ejus.

In II. Vesperis.

Omnia ut in primis, præter

℣. Beáti sunt, qui te vidérunt. ℟. Et in amicítia tua decoráti sunt.

Ad Magnif. Ant. Tulit Elías pállium suum, et percússit aquas Jordánis, quæ divísæ sunt in utrámque partem, et transiérunt ipse, et Eliséus per siccum: et ascéndit Elías per túrbinem in cœlum.

Die 6. Martii.

S. Pulcheriæ Virg. Imperatricis.

Duplex.

Omnia de Communi Virg. exceptis his, quæ sequuntur.

Oratio.

Deus, qui beátam Pulchériam, Vírginem tuam, singulári castitátis prærogatíva decorásti, quique illi ad defendéndam Ecclésiam tuam summum fídei amórem tribúere voluísti: concéde; ut ejus intercessióne, tibi puris méntibus inhæréntes, ab ómnium hóstium insídiis misericórditer liberémur. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lect. De virgínibus. de Comm. Virg. 1. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Ælia Pulchéria Augústa, patre, avo, fratre atque viro Romanórum imperatóribus máxime nóbilis, sed profligátis sua præsértim ópera hæreticórum erróribus, et cathólico dógmate circa Incarnatiónis mystérium et divínam Maternitátem constitúto multo nobílior, ab ipsa pueritia tanta sapiéntia divínitus prǽdita fuit, ut ii, quibus post Arcádii patris óbitum impérii procurátio, dum Theodósius adolésceret, commíssa fúerat, ejus arbitrátu ómnia fácerent, essétque constans opínio, uníus puéllulæ virtúte ac sapiéntia, quæ instáre atque ingrúere videbántur,

perícula discússa, et felicitátem império constitútam. Domi assídua disciplínæ exáctrix, eam vivéndi formam indúxit, ut illa jam non aula imperatórum, sed ascetérium vulgo dicerétur. Theodósium fratrem, Eudóxiam, quam illi matrimónio conjungéndam curávit, Flaccíllam, Arcádiam, Marínam soróres ita imbuébat bonis móribus, exercebátque ad virtútem, ut quibus ætáte non multum præstábat, eórum moderátrix ac propémodum mater esse viderétur. Qua institutióne soróres quantum profécerint, vel ex hoc uno intélligi potest, quod Pulchériam imitátæ, se suámque virginitátem Deo devovérunt: utque Augústa virgo ea, quæ decréverat, ámplius confirmáret, omnésque voluntátis suæ testes habéret, ex auro et pretiósis lapídibus sacram mensam in ecclésia Constantinopolitána pro virginitáte sua et fratris império dedicávit, et in fronte ipsíus mensæ hæc éadem inscrípsit.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Pótior autem ejus in Theodósio instruéndo elúxit cura; eúmque, ubi opus esset, mira quadam dexteritáte corrigébat; qui quidem talis est efféctus, ut absolutíssimum óptimi veréque christiáni príncipis exémplar fúerit, dum Pulchériæ consíliis est obsecútus. Post diutúrnam cum fratre concórdiam, turbis malevolórum fraude atque obtrectatióne in aula excitátis, tempus nacta, quo sibi jam uni, Deóque vacáre posset, secéssit in Hébdomum, locum Byzántio suburbánum, ibíque vitam agens pene monásticam aliquámdiu se contínuit; cum vero felícitas impérii una cum ea exsuláret, a fratre accersíta, ubi deésse vidit qui prǽlia Dómini pugnáret, Debbóram imitáta, fide ac religióne armáta procéssit, et missis in omnem partem epístolis hortándo, monéndo, minitándo, non pecúniæ, non labóribus parcens, digna efFécta est quam Patres concílii Chalcedonénsis una ómnium voce atque præcónio custódem fídei, pacis conciliatrícem, expultrícem hæreticórum, piam, orthodóxam, novam Hélenam (sicut Marciánum tunc imperatórem novum Constantínum) consalutárent; cuíque sanctus Leo totíus Románæ Ecclésiæ nómine plúrimum gratularétur, ejúsque causa exsultáre se díceret, ac digna Deo vota persólvere, quod de Nestoriána primum impietáte, mox de nefário Eutychétis erróre perémpto, dúplicem illi et palmam contúlerat et corónam. ℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Atque hæ tantæ curárum moles, quas præsértim in Ephesíno ac Chalcedonénsi concíliis Romanórum Pontíficum auctoritáte convocátis, necessário suscéperat, níhilo illam ad cétera christiánæ pietátis offícia obeúnda fecére segniórem. Assídue cœléstium rerum contemplatióne, sacrórum librórum lectióne, córporis afflictatiónibus sponte suscéptis se exercébat; Psalmos de nocte surgens una cum régiæ famíliæ princípibus decantábat: Dei ac Sanctórum (quorum et collóquio non semel dignáta est) cultrix exímia; quæ

étiam summópere semper conténdit, ut erga eórum relíquias cultus augerétur. Deíparam in primis cóluit, cui hanc ipsam Deíparæ appellatiónem contra Nestorianórum blasphémias asséruit. Vóluit namque summa sapiéntiæ suæ dispositióne divína providéntia, ut per vírginem summa Vírginis dígnitas inofféensa pénitus servarétur; quam étiam est imitáta servándo perpétuam in ipso conjúgio virginitátem: cujus dénique cúltui amplificándo complúra templa regáli plane magnificéntia excitávit, donáriis auxit, redítibus locupletávit. In placánda divína justítia mira pietáte enítuit. Fuit erga paúperes misericórdia plane singulári: quos et matérna quadam caritáte compléxa est, quoad vixit, et móriens eórum, quæ assídua effusissimáque liberálitas réliqua fécerat, scripsit hærédes. Quod cautum ab ipsa testaménto fuit, diligénter curávit Marciánus, quem pari religiónis stúdio, rebúsque ómnibus império digníssimum, ipsa evéxerat ad impérium, sibíque hanc ipsam ob causam, salva quam Deo vóverat virginitáte, cónjugem delégerat. Obiit año quadringentésimo quinquagésimo tértio, magno ómnium luctu, maximísque sanctórum Patrum, ceterorúmque ejus ævi scriptórum laúdibus celebráta.

℟. Afferéntur Regi.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. Cap. 17.

In illo témpore: Dixit Jesus: Hæc est autem vita ætérna, ut cognóscant te solum Deum verum, et quem misísti Jesum Christum. Et réliqua.

Homilía sancti Cyrílli Epíscopi Alexandríni.

De Fide ad Pulcheriam, et Sorores Reginas.

Sane vos sacras castissimásque Christi ómnium nostrum Salvatóris sponsas, religiosíssimæ ac Deo dilectíssimæ imperatríces, orbis terrárum ornaméntum, sanctissimarúmque ecclesiárum decus óptimo jure quisquis appelláverit, in quibus nimírum omne virtútum genus, omnísque ornátus divínæ majestátis óculis gratus acceptúsque miríﬁce splendet. Neque his ópibus conténtæ omnem quoque curam omnéque stúdium adhibétis, quo ﬁde recta, nullámque in partem vacillánte, excellátis. Neque Christi regnum capéssere, et ea quæ illi grata sunt fácere et sentíre omíttitis, partim quidem præcláris actiónibus, partim rursum cum vestras, tum príncipum quoque vestrórum aulas virginitátis glória condecorántes; partim dénique sumptuosíssima templa Christo Dómino excitántes: nam et hoc quoque pietátis stúdium inter cétera ille sanctis vestris ánimis impertítus est.

℟. Hæc est virgo.

Lectio viii.

Igitur ex sacris lítteris vobis vere sanctis Christi sponsis (quamquam ad quodvis opus bonum abúnde instrúctæ videámini) áliquid deprómam. Hinc étenim et Emmanuélem verum, ac naturálem Deum, et Vírginem Matrem, quæ

eum péperit, veram per ipsum Deíparam esse planum fiet. Ait Christus: Hæc est vita ætérna, ut cognóscant te solum Deum verum, et quem misísti Jesum Christum. Si cum solíus veríque Dei cognitióne Jesu Christi cognitiónem necessáriam consociatámque esse opórtet, et hoc ipsum ætérnam vitam concíliat, cui obscúrum esse potest, Christum verum esse Deum? Verbum sane caro factum est, sed mansit ínterim Verbum.

℟. Média nocte.

Lectio ix. et comm. Feriæ in Laud.

Die 9. Martii.

S. Catharinæ Virg. Bononiensis.

Duplex.

Omnia de Communi Virg. exceptis iis, quæ sequuntur.

Oratio.

Concéde nos fámulos tuos Deus, beátæ Catharínæ Vírginis suffrágiis adjuvári: cujus odóre unguentórum tráhimur ad tua sancta lætántes. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lect. De virgínibus. ut in Comm. Virg.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Catharína Virgo, Bonóniæ nobílibus paréntibus, Joánne Ferrariénsi, ex illústri Vigriórum família, et Benvenúta Bononiénsi orta est. Hanc beáta Dei Génitrix María patri per visum prænuntiávit in festo Nativitátis suæ véluti fulgentíssimum solem nascitúram. Quare ab incunábilis Dei benedictióne prævénta, vitæ innocéntiam cum pietáte perpétuo servávit. Vigésimum añum agens, a matre Ferráriam perdúcta, in monastério Córporis Christi religiósum sanctæ Claræ hábitum sumpsit. Quo in loco, ut lampas ardens, céteris splendéscere, et virtútum ómnium spécimen præbére cœpit. Humílitas tanta ei ínerat, ut vilióra semper, et lácera induménta cáperet, abjectióra officia exhibéret. Caritáte erga omnes afficiebátur máxima. Nil vitábat, nil prætermittébat, quin fovéret omnes, sublevarétque, præsértim infírmas, in quibus moniális caput, sánie tabefáctum, nedum contíngere, et mánibus abstérgere, sed et lingua língere sæpius non horrúerit.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Assíduo Sponsi sui amóre flagrans, summa spíritus dulcédine potiebátur. Quare arcána córdium, et secréta cœléstia sæpe ei sunt reveláta. Cui et sanctus Thomas Cantuariénsis manum deosculándam, et beátus Franciscus stígmata visénda aliquándo præbuérunt. Animam Joáñis epíscopi Ferrariénsis, in cœlum eúntem véluti stellam coruscántem, moniáli, quæ tunc áderat, osténdit. Aliquándo in Missa, dum sacérdos Præfatiónem perfíceret, Angelórum concéntum, ter Sanctus canéntium, mira suavitáte audívit: qui si diútius, ut ipsa rétulit, perdurásset, proculdúbio córpore resolúta foret. Fratrem in viam salútis redúxit. Soróris ánimam in cœlum eúntem vidit; multa prophético spíritu prædíxit.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Cum autem Bononiénses, étiam fama sanctitátis ejus permóti, monastérium Bonóniæ in honórem Córporis Christi erexíssent, ex Ferrariénsi monastério beáta Catharína una cum quíndecim moniálibus Bonóniam, ut illud monastérium régeret, míttitur; quod quidem illa et vírginum número, et regulári disciplína auxit. Cumque octo et vigínti annos, advérsa valetúdine probáta, postrémum diem sibi imminére prævidéret, convocátis soróribus mónita salútis dedit. Sumptis deínde Sacraméntis, invocáto Jesu nómine, beátam efflávit ánimam quinquagésimo ætátis suæ anno. Honoríﬁce sepúlto ejus córpore, miríficus odor e sepúlchro fragráre cœpit; et illic concurréntes plúrimi infírmi sanáti sunt. Post dies decem et octo exhumátum corpus invéntum est incorrúptum, et magno odóre fragrans. Quod in ecclésia delátum, ibi religióse asservátur íntegrum, et multis clarum miráculis. Eam vero Clemens undécimus solémni ritu sanctórum catálogo adscrípsit.

℟. Afferéntur Regi.

In III. Nocturno Homil. in Evang. **Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus.** de Communi Virg.

Lectio ix. de Homilia Feriæ occurr., et de ea fit commem. in Laud.

Die 11. Martii.

B. Petri de Hieremia Confess. Sac. Civ. Panorm.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beáti Petri Confessóris tui précibus et hortaméntis errántes in viam justítiæ misericórditer redíre fecísti: diláta, quǽsumus, illíus intercessióne, corda nostra; ut sémitam mandatórum tuórum semper currámus. Per Dóminum nostrum.

In I. Nocturno Lectiones **Justus.** de Comm. 1. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Petrus, nóbili família de Hierémia Panórmi natus, Bonóniam adoléscens missus est, ut utríque juri óperam daret. Doctorátus insígnia in utráque facultáte mox consecutúrus, cœléstium amóre ductus, terréna cuncta despíciens, ea in urbe ingréssus est órdinem fratrum Prædicatórum. Patrem id ægre feréntem, sibíque ácriter obsisténtem magna ánimi constántia, sed fusis potíssimum lácrimis, et précibus ad Deum, tandem devícit. Religiósis exínde votis solémniter nuncupátis, ac theologíæ divinarúmque litterárum stúdiis explétis, uni se devóvit proximórum ætérnæ salúti procurándæ, totúsque fuit in sacris eórum confessiónibus excipiéndis, atque ministério verbi Dei: quo sane in múnere ex eo témpore diligéntius, et fervéntius cœpit laboráre, quo a sancto Vincéntio Ferrério, quem Bonóniæ tunc degéntem convénerat, cértior effectus fuit, stúdium hoc suum Dómino vehementer esse probátum.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Illud autem véritus, ne dum áliis prædicáret, réprobus ipse efficerétur, numquam déstitit corpus suum castigáre, atque redígere in servitútem. Zona quinque círculis férreis compácta ita lumbos constrínxit, ut nec post ejus óbitum, nisi exsiccáto cadávere evélli inde potúerit. Huic severióri córporis castigatióni jejúnia áddidit, vigílias, aliásque carnis maceratiónes. Adeo in eo vigébat pro Jesu Christi amóre patiéndi ardor, ut se minus illi accéptum esse ingemísceret, si vel ægritúdine áliqua, vel ærúmnis áliis frequéntius non tentarétur. Réliquæ item, quæ hóminem perfectiónem sectántem decent, virtútes in illo singulári prorsus modo enituérunt, ac præ céteris cultus assíduus reguláris disciplínæ. Quo factum est, ut sæpius novitiórum institutióni præpósitus, illos ad omnem sanctimóniam informáverit, aliísque auctor fúerit, ut monásticæ vitæ institútum suscíperent: quos inter mérito recensétur beátus Joánnes Líccius, qui, Petro suadénte, órdini nomen dedit.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

In cœnóbiis, quorum prudéntia summa, nec minóri zelo præfectúram gessit, régulæ observántiam religiosámque vivéndi normam, sícubi collápsam invénit, restitúere, ubi vero floréntem, tuéri, et amplificáre non tam dictis, quam benefáctis sédulo curávit. Illíus sanctitátis, et doctrínæ fama Eugénius quartus permótus, Concílio œcuménico a se Floréntiæ indícto, eum, ut interésset, vocávit. In hoc vero Concílio ita se gessit, ut deínde in clerum Trinácriæ univérsum commíssum ei fúerit ab eódem Summo Pontífice árduum reformatiónis opus, quod tamen pro ánimi sui modéstia nónnisi in reguláres viros perficiéndum suscépit: et, ut erat mitíssimus, benígne cum ómnibus agens felíciter absólvit. Post hæc in cœnóbium Panormitánum sanctæ Zitæ se recépit, ubi tandem méritis, et labóribus plenus, sanctíssime excéssit. Signis, eísque præcláris, a Deo fuísse illustrátum, vétera produnt monuménta. Ejus cultum Pius sextus Póntifex máximus probávit, ejúsque Offícium et Missam ab univérso Prædicatórum órdine, et Panormitánæ ecclésiæ clero celebrári concéssit.

℟. Iste homo.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Sint lumbi vestri. de Communi.

Lectio ix. et comm. Feriæ in Laud.

Die 13. Martii.

(Pro Diœc. Calatanisiad.)

Ss. Ramiri et Socior. Martyrum.

Duplex.

Omnia de Communi plurim. Mart.. præter sequentia.

Oratio. Deus, qui nos concédis. de Communi.

In I. Nocturno Lectiones Fratres: Debitóres. de Comm. plurim. Mart.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Ramírus monastérii sancti Claúdii Legionénsis Prior fuit eo témpore, quo sanctus Abbas Vincéntius martýrio sublátus est. Ab ipso autem de instánte perse-

cutióne per visiónem præmónitus, congregátis in unum frátribus, quæ ventúra erant, gravi sermóne intimávit: ut qui constánti ánimo erant, se ad mortem pro fide subeúndam, piis exercitatiónibus præparárent. Céteri vero, sicut Christus in Evangélio permísit, fuga sibi consúlerent.

℟. Sancti tui.

Lectio v.

Illis ígitur, qui pusíllo ánimo erant, segregátis, et ad montána Gallécíæ dimíssis, ipse cum duódecim mónachis, quos ad martýrii agónem Spíritus sanctus selégerat, in ecclésiam proféctus, eos hortabátur, ut parátam sibi corónam læto ánimo excíperent; votísque ardéntibus ad promíssum beatitúdinis prǽmium anhelárent. Orántibus autem illis, et agónem suum Dómino commendántibus, cum ingénti furóre et ímpetu, advenérunt Ariáni, quibus beátus Ramírus jánuas aperíri mandávit.

℟. Vérbera carníficum.

Lectio vi.

Christi vero mílites eórum aspéctum mínime formidántes, Sýmbolum fídei alta, et intelligíbili voce cantáre cœpérunt; quo sǽpius repetíto: ímpii satéllites, distríctis gládiis, eos invasérunt, eorúmque corpóribus discérptis, intrántes in monastérium, ómnia igni tradidérunt. Nocte autem adveniénte, dilaniáta mártyrum membra, pii fidéles congregárunt, et in ecclésia sepeliérunt. Ibídem longo témpore asserváta sunt: sed locus, in quo quiescébant, labéntibus annis, oblivióni tráditus est, donec ejúsdem monastérii Abbas circa annum Dómini millésimum quingentésimum nonagésimum quartum, vetustíssimi templi corruéntes paríetes instauratúrus, sub altári sancto Ramíro dicáto, lóculum réperit ex lápide impolíto, in quo ipsíus ossa jacébant quæ in novo altári magnificéntius exstrúcto, argéntea theca inclúsa, collocáta sunt, atque ibídem magna pópuli veneratióne propter crebra mirácula colúntur.

℟. Tamquam aurum.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Cum audiéritis.** de eodem Communi 1. loco.

Die 18. Martii.

S. Gabriélis Archangeli.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 22. Martii.

S. Catharinæ Fliscæ Adurnæ Viduæ.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 24. Martii.

(Pro Diœc. Calatanisiad.)

B. Josephi Mariæ Thomasii Cardinalis Conf.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter sequ.

Oratio.

Deus, qui beátum Joséphum Maríam Confessórem tuum gloriósis méritis et doctrínis decoráre dignátus es: concéde propítius; ut cœléstis doctrínæ pábulo nutriámur, et ejus virtútum proficiámus exémplo. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones in Quadr. Justus. alias de Script. occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Joseph María Thomásius e princípibus Lampedúsæ et Palmæ, non minus pietáte, quam génere præcláris, ortus est Leocátæ in Sicília, illo nómine nuncupátus a genitóribus, qui fílium précibus Patriárchæ Joseph referébant accéptum. Virtus in eo ætátem antevértere visa est: tantæ enim innocéntiæ, religiónis, aliarúmque virtútum splendóre in ipsa infántia enítuit, ut hæc omnes admiraréntur futúræ sanctitátis indícia. Adhuc a nutrícis úbere pendens, manus exténdit ad paúperes, et puer quoque a mulíerum ósculis, et blandítiis abhorrébat. Adoléscens vero, ódio in peccátum, et caritáte in Deum commótus, in illa semper erumpébat verba: Moriátur peccátum, et vivat Deus. Majóris natu jure in fratrem transláto, domus suæ ópibus, et honóribus valére jussus, nullo sibi reténto ánnuo censu, Clericórum Regulárium institútum Panórmi ampléxus est, ac véluti gigas viam perfectiónis percúrrens, humilitáte, abstinéntia, et severitáte céteros tirocínii sócios anteíbat.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Junióri fratri suo moriénti ástitit solatúrus, imo in illíus sacris parentálibus público diáconi múnere fungi mira ánimæ fortitúdine non rénuit. Sacerdótio initiátus, cum philosophíæ, theologíæ, græcísque lítteris dedísset óperam, hebráicam quoque linguam addiscéndam curávit, Archisynagógi cujúsdam doctrína usus, quem, divína aspiránte grátia, trium annórum patiéntia, ad christiánam fidem addúxit. Psaltérium totum memória retinébat. In sanctárum Scripturárum, Ecclésiæ Patrum, ac sacrárum antiquitátum códices júgiter incúmbens, theológicam disciplínam, ac rem litúrgicam mirífice illustrávit.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

Jesum crucifíxum, et Deíparam Vírginem singulári devotiónis afféctu prosequebátur, et in eórum imáginem per écstasim defíxus non raro invéntus est. Angélicæ puritátis assíduus cultor, corpus suum jejúniis, vigíliis, et flagris quoque excruciábat. At in primis abjectíssimæ humilitátis et amátor erat et vindex, arctíssimo obstríctus voto dignitátes omnes recusándi; ideóque solo præcépto Cleméntis undécimi ad Románam púrpuram evéctus est: cum ea tamen omnes virtútes conjúngens, nihil de anteáctæ vitæ institúto immutávit. Inopes, débiles, claudos, et male córpore afféctos in fámulos suos caritátis grátia delégit. In sua tituléri ecclésia sanctórum Silvéstri et Martíni fere quotídie divínæ psalmódiæ intérerat, et domínicis diébus erudiéndis in christiána doctrína púeris incumbébat. Septum in ecclésia pósuit juxta antíquum morem, ut viri a muliéribus sejungeréntur. Mortem suam, multifárie ab ipso prænuntiátam, læto excépit aspéctu, eam appéllans cœli jánuam: cœlúmque ingréssus est

Kaléndis Januárii anni millésimi septingentésimi décimi tértii, ætátis suæ sexagésimo tértio. Quem heróicis virtútibus, et miráculis fulgéntem Pius séptimus Póntifex Máximus albo Beatórum adscrípsit.

℟. Iste homo.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Sint lumbi.** de eodem Comm. 1. loco.

Die 3. Aprilis.

S. Benedicti a S. Philadelpho
Confessoris.

Duplex.

Omnia de Comuni Conf. non Pont., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Benedíctum, Confessórem tuum, cœléstibus donis locupletásti, eúmque in Ecclésia tua signis, et virtútibus clarére fecísti: præsta, quæsumus; ut, ejus méritis et précibus, tua benefícia capiámus. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones in Quadr. **Beátus vir.** de Comm. 2. loco. Extra Quadrag. de Script. occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

[redacted]enedíctus, a córporis nigrédine sanctus Niger vulgo appellátus, in pago sancti Philadélphi Messanénsis diœcésis ex paréntibus Mauris quidem génere, religióne tamen cathólicis natus est. Ab ipsa puerítia Deum timére cœpit, et mandáta ejus custodíre; corpus suum inédia, ac labóribus castígans, et in spíritus servitútem rédigens. Ferventióri in Deum pietáte accénsus, in ipso juventútis flore, re familiári véndita, ac paupéribus distribúta, solitáriam vitam, quam id témporis pii áliquot viri sub régula sancti Francísci ex concessióne apostólica agébant, ad quadragésimum usque ætátis suæ annum in ómnium virtútum, et asperitátum exercitatióne servávit. Verum mandánte Pio quarto ut iídem solitárii, beáti Francísci institútum jam proféssi, in unam ex probátis religiónibus sese recíperent, Benedíctus, divíno instínctu, Panórmum proféctus, ad Fratres Minóres observántes sanctæ Maríæ de Jesu statim se cóntulit.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Religiónem ingréssus, virtútum ómnium exercítium, asperrimúmque vitæ genus, quod in erémo inchoáverat, ita persecútus est, ut ab ómnibus tamquam perfectiónis exémplar haberétur. In húmili namque Conversórum gradu constitútus, vilíssima quæque, ac laboriósa cœnóbii múnera alácriter obíre semper est visus. Septem ánnuas Quadragésimas, a Seráphico Patre institútas, et abstinéntiam fere perpétuam pie, inviolatéque servávit. Lectus illi nuda humus, somnus brevíssimus, vestis híspida, ac vilis, paupértas summa, illibáta cástitas: Dei vero amor tam ardens, ut in lácrimas, et suspíria frequentíssime erúmperet. Sæpe étiam in divinárum rerum contemplatióne defíxus, supernórum charísmatum dono ornári méruit: dignus proptérea, qui in eódem cœnóbio sanctæ Maríæ de Jesu, cujus reformátio tunc cœperat, fratrum regímini, licet láicus, ac plane rudis, præficerétur.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

In præsidem eléctus, reformatiónem illic institútam suis exémplis, prudentíque administratióne firmávit; pusíllum gregem ad paupertátis, pœniténtiæ, ac severióris disciplínæ stúdium modis ómnibus incéndens. Annum dénique cum ágeret sexagésimum tértium, extrémo morbo corréptus, et sacraméntis Ecclésiæ munítus, prænuntiáto dormitiónis suæ témpore, die quarta Aprílis, anno millésimo quingentésimo octogésimo nono, spíritum Deo réddidit. Ejus corpus, quod íntegrum adhuc, suavíque fragrans odóre pérmanet, singulári veneratióne in urbe Panormitána statim coli cœptum est. Quem quidem cultum non per Sicíliam solum, verum étiam ad Hispános, Lusitános, Brasiliénses, Mexicános, et Peruános inde propagátum decréto suo approbávit Sedes Apostólica, anno millésimo septingentésimo quadragésimo tértio, ejúsque festum cum Offício et Missa, die tértia Aprílis, celebrári indúlsit. Novis póstmodum fulgéntem signis Pius Papa séptimus, solémni ritu, anno millésimo octingentésimo séptimo, sanctórum catálogo adscrípsit.

℟. Iste homo.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Nolíte timére. de Communi Conf. non Pont. 2. loco. In Quadrag. ix. Lectio Feriæ et ejus commem. in Laud.

Die 6. Aprilis.

S. Philareti Conf. Civis Panormit.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter sequentia.

Oratio.

Aurem tuam, quǽsumus, Dómine, précibus nostris accómmoda, et intercessióne beáti Philaréti Confessóris tui inter mundánas varietátes ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaúdia. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadrages. **Justus si morte.** de Communi 1. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Philarétus, qui et Philíppus, Panórmi anno millésimo vigésimo ortus, a piis paréntibus cuídam sacerdóti instituéndus tráditur. Eo magístro humánis lítteris et christiánis virtútibus ita excúltus appáruit, ut, adhuc puer mortificatióni vacans, semel in die cibum súmeret, templa frequentáret, aliísque piis exercitatiónibus incúmberet. Vigésimum agens ætátis annum, declinándi causa béllicos strépitus, qui ea tempestáte Sicíliam et ipsam Panórmum divexábant, una cum piis genitóribus Panórmo discédens, Calábriam petit. Inde ad Aulínas prope Thauriánum progrédiens, agricultúram cum próprio genitóre exércet, donec Dei spíritu excitátus, obténta prius paréntum licéntia, in monastérium sancti Elíæ Ennénsis Ordinis sancti Basilíi se cóntulit, et ab Oréste abbáte suscéptus, mónachi hábitum índuit, atque ob insígnem, quo æstuábat, virtútis amórem, Philaréti nómine vóluit nuncupári.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Mónachus efféctus regulári obserántiæ ita studére cœpit, ut, sancti Elíæ Ennénsis vestígia prósequens, aspérrimum vitæ genus fúerit aggréssus. Síquidem abjéctis cálceis, nec pállio, nec cucúlla utens, jejúniis, vigíliis, aliísque austeritátibus corpus suum excruciáre non désiit. Abbátis jussu armentórum cura suscépta, in vili tugúrio hábitans, veste ex páleis instar crassióris sportæ contéxta super nudam carnem induebátur, humi cubábat, solo pane, et crudis tantum herbis conténtus erat; noctes ducébat insómnes, ut pécudum custódiæ, et cœléstium rerum contemplatióni vacáret; quandóque ne múneri suo deésset, gelu, æstúque afflígi patiebátur. Ab animálium custódia ad agrum cœnóbii excoléndum destinátus, opus sibi injúnctum summa diligéntia explévit, id tantum prístinæ vitæ adjúngens, quod síngulis hebdomádibus in monastérium descénderet, ut ibi divínis interésset offíciis, sacráque synáxi reficerétur.

℞. Amávit eum.

Lectio vi.

Quémlibet ad se accedéntem salutáribus doctrínis et ad pietátem compósitis erudiébat, ut vel a vítiis retráheret, vel ad virtútem veheménter excitáret. Paúperes hóspites singulári caritátis offício prosequebátur. Ad monastérium tandem revocátus, labóribus et pœniténtiis fractus quinquagésimum agens ætátis añum, die sexta Aprílis anno millésimo septuagésimo obdormívit in Dómino. Ejus corpus, explétis Ecclésiæ rítibus, pie sepelítur, et biénnio post, cum ejus sepúlchrum magnis inclaruísset miráculis, público cultu a pópulis cœpit venerári. Sacrum ejus bráchium, et quædam áliæ ejus relíquiæ Panórmum anno millésimo septingentésimo secúndo delátæ in basílica cathedráli cónditæ, summa religióne colúntur.

℞. Iste homo.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Et réliqua.

Homilía sancti Petri Chrysólogi.

Ex Sermone 22.

Sint lumbi vestri præcíncti. Ibi præcingénda est virtus, ubi volúntas est compriménda. Nescit víncere vítia córporis, virtútis cíngulum qui depónit. Cincti ergo castitátis bálteo, quod est insígne milítiæ christiánæ, fluxam carnis detruncémus ignáviam, et regis nostri exspectatióne pervígiles insómnes somnum sǽculi nesciámus. Non dórmiunt, inquit, nisi cum male fécerint.

℞. Iste est, qui.

Lectio viii.

Et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Beáti, in quorum mánibus bonórum óperum lucent lucérnæ. Sic enim lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, et magníficent Patrem vestrum, qui est in cœlis. Et

carne advéntum locútus est in sanctis, et hoc institútum hómines ad perfectiónem ducit. Nam quod Deus jússerit, id omníno faciéndum est. Ideóque et ipsum Verbum, propter nos homo factum, non indígnum putávit, cum quærerétur, quemádmodum et nos, abscóndere se, et cum persecutiónem paterétur, fúgere, et insídias declináre. Cum autem a se definítum tempus ipse adduxísset, in quo corporáliter pro ómnibus pati volébat, ultro seípsum trádidit insidiántibus.

℟. Desidérium ánimæ. vel In servis suis.

Lectio vi.

At vero sancti hómines cum hanc quoque formam a Salvatóre didicíssent (ab ipso enim et ántea, et semper omnes docebántur) advérsus persecutóres, ut legítime certárent, fugiébant, et ab illis quæsíti se abscondébant. Cum enim præstitúti sibi a divína providéntia témporis finem ignorárent, nolébant insidiántibus se témere trádere; sed contra, cum scirent, quod scriptum est in mánibus Dei esse hóminum sortes, et Dóminum mortificáre, et vivificáre, pótius in finem usque perseverábant, circumeúntes, ut ait Apóstolus, in melótis et péllibus caprínis, egéntes, angustiáti, in solitudínibus errántes, et in spelúncis et cavérnis terræ laténtes, quoad vel definítum mortis tempus veníret, vel qui tempus ipsum definíerat Deus, cum eis loquerétur, et insidiántes cohibéret, aut certe persecutóribus eos tráderet, utcúmque illi placuísset.

℟. Stola jucunditátis. vel Fíliæ Jerúsalem.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 10.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum persequéntur vos in civitáte ista, fúgite in áliam. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbýteri.

In Evang. Matth. cap. 10.

Cum autem persequéntur vos in civitáte ista, fúgite in áliam. Hoc ad illud tempus referéndum est, cum ad prædicatiónem Apóstoli mittebántur, quibus et próprie dícitur: In viam géntium ne abiéritis, et in civitátes Samaritanórum ne intravéritis; quod persecutiónem timére non débeant, et débeant declináre. Quod quidem vidémus in princípio fecísse credéntes, quando, orta Jerosólymis persecutióne, dispérsi sunt in univérsam Judǽam, ut tribulatiónis occásio fíeret Evangélii seminárium.

℟. Coróna aúrea. vel Ego sum vitis.

Lectio viii.

Spirituáliter autem póssumus dícere: Cum persecúti nos fúerint in una civitáte, hoc est, in uno Scripturárum libro vel testimónio, nos fugiámus ad álias civitátes, id est, ad ália volúmina. Quamvis contentiósus fúerit persecútor, ante advéniet Salvatóris præsídium, quam adversáriis victória concedátur. Si patrem famílias Beélzebub vocavérunt, quanto magis doméesticos ejus? Beélzebub idólum

est Accaron, quod vocátur in Regum volúmine idólum muscæ. Beel ipse est Bel, sive Baal; Zebub autem musca dícitur. Príncipem ergo dæmoniórum ex spurcíssimi idóli appellábant vocábulo, qui musca dícitur propter immundítiam, quæ extérminat suavitátem ólei.

℟. Hic est vere. vel Cándidi facti sunt.

Lectio ix.

Nihil est opértum, quod non revelábitur. Et quómodo in præsénti sǽculo multórum vítia nesciúntur? Sed de futúro sǽculo scríbitur: quando judicábit Deus abscóndita hóminum, et illuminábit látebras tenebrárum, et manifestábit consília córdium. Et est sensus: Nolíte timére persecutórum sævítiam et blasphemántium rábiem, quia véniet dies judícii, in quo et vestra virtus, et eórum nequítia demonstrábitur. Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine; quod audístis in mystério, apértius prædicáte; quod didicístis abscóndite, públice loquímini; quod vos erudívi in párvulo Judǽæ loco, in univérsis úrbibus et in toto mundo audácter dícite.

Te Deum laudámus.

Die 16. Aprilis.

(Pro Diœc. Calatanisiad.)

S. Thuribii de Liebana Asturicensis Episc. et Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Confess. Pont., præter sequentia.

Oratio. **Exaúdi, quǽsumus.** de Communi 2. loco.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Thuríbius vir sanctíssimus, peregrinatiónis causa in Palæstínam proféctus, a Hierosolymórum Antístite sacrórum custos designátur. Suscépto in Hispániam itínere, Leónem primum Summum Pontíficem Romæ venerátus, a Suevórum Rege Gallǽciæ imperánte honorífice suscéptus, postquam régiam puéllam, aliósque infírmos mirabíliter sanávit, et templum Christo Salvatóri dicávit, invítus ad Episcopátum Asturicénsem promovétur. Ab Archidiácono sedem illam ambiénte adultérii accusátus, in sacro línteo pénitus illǽso prunas ardéntes ad altáre portávit: eóque miráculo, ac repentína morte calumniatóris, áliam étiam inferéntis injúriam, suam innocéntiam comprobávit.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Cathólicæ veritátis ardóre Hispánias Priscillianistárum erróribus inféctas cœpit lustráre, Epíscopos serpéntis monére contágii, et Sedis Apostólicæ imploráre subsídium. Misso ítaque ad Leónem Pontíficem Diácono, commonitiónum ad Epíscopos sériem, et errórum libéllum adjúnxit, a quo per gravíssimam epístolam defénsæ fídei laudem, et grassántis hǽresis antídotum reportávit. Ejus auctoritáte duo cogi curávit Concília, unum Toléti, álterum in Gallǽcia, apud Ullenénse municípium, in quibus perniciosíssima hǽresis condemnáta est, errantésque Epíscopi cathólicæ fídei subscripsérunt. ℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Cujus doctrínam magno Deus confirmávit miráculo; urbem quippe Palentínam his erróribus pertináciter adhæréntem, et sancti viri prædicatiónibus adversántem, ad labéntis flúvii insperátam excursiónem, pene totam submérsit, quo supplício melióres cives effécti, Thuríbii doctrínam suscepérunt. Multos pro fide Christi labóres passus: virtútibus et miráculis clarus quiévit in pace. Ejus corpus translátum est ad Ecclésiam sancti Martíni montis Liebánæ a se constrúctam, et pretiósis, quas Hierosólymis asportávit, relíquiis decorátam, ubi eum finítimi pópuli summa colunt veneratióne.

℟. Iste est, qui.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Homo péregre. ut in eod. Com. 1. loco.

Die 17. Aprilis.

B. Mariæ Annæ a Jesu Virginis.

Duplex.

Omnia de Comm. Virg., præter sequ.

Oratio.

Deus, qui beátam Maríam Annam Vírginem tuam innúmeris grátiæ tuæ munéribus cumulásti: ejus nobis précibus concéde; ut quam solémni veneratióne cólimus, étiam actiónibus imitémur. Per Dóminum.

Et fit commem. S. Aniceti Pp. Mart.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

María Anna a Jesu Matríti, Hispanórum regum aula, et exímio cathólicæ religiónis cultu, celebérrima urbe, a piis, honestísque paréntibus in lucem est édita. A primis usque ætátis suæ annis satis certa futúræ sanctitátis dedit indícia. In ipsa enim pueritia divínis, quibus abundábat, charismátibus cœlo pótius, quam mundo se natam osténdit; rejectísque non sine mirábili ánimi constántia núptiis, atque acerbíssima pugna hanc ipsam ob rem intus exteriúsque commóta, divínitus superáta, uni cœlésti Sponso se totam lubens devóvit; utque promíssis stare facílius posset, mundi illécebris, carnísque oblectaméntis ómnibus núntium remíttens, sacrum Institútum Moniálium Discalceatárum beátæ Maríæ Vírginis Redemptiónis Captivórum, cujus propagatiónem miríﬁce adjúvit consíliis orationibúsque suis, solémni ritu proféssa, nihil ómnium omísit, quæ vel sui spíritus perfectióni, vel aliórum salúti inservírent. Ad quam rem ne sibi umquam vires defícerent, Deíparam ipsam, cujus aspéctu sæpenúmero recreabátur, peculiárem patrónam, suorúmque óperum, ac consiliórum ómnium adjutrícem adhíbuit.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Voluntáriam paupertátem ad extrémum usque constantíssime cóluit, castitátis vero, atque innocéntiæ laudem tantam adépta est, ut cœléstem vitam in terris ágere ab omni córporis contagióne sejúncta viderétur. In loquéndo ádeo parca, ut nullum plane verbum nisi consúlto, et meditáto, proférret, ac tale obediéntiæ stúdium contínuo osténdit, ut prǽsidum non modo vócibus, sed ipsis nútibus obtem-

peráret. In his autem ánimi dótibus maceratióne carnis, vigíliis, jejuniísque, tamquam vallo, muniéndis, curam omnem adhíbuit suam, ac inaudíta, eáque perénni, non minus quam áspera, tormentórum vi corpus in absolútam spíritus servitútem redégit. De se enim ádeo humíliter, demisséque sentiébat, ut quo majóri cœléstium donórum cópia perfundebátur, eo viliórem sese, ac omni pœna, contemptúque digníssimam existimáret.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Credi vix potest, qua in Deum caritáte María Anna flagráret: ómniaque præ illo máximo habens in spretu, divíni amóris voluptáte ádeo plúrima afficiebátur, ut quantíslibet pressa curis, ac moléstiis fatigáta, in uníus Dei ampléxu, quem vivíssimæ fídei ope præséntem sibi assídue intuebátur, per summam delectatiónem acquiésceret; nec áliud jucúndius habúerit, quam assíduæ oratióni, majestatísque divínæ contemplatióni vacáre: cujus cœlésti dulcédine perfundebátur ita, ut a corpóreis abstrácta sénsibus in frequéntes écstases raperétur. Ex hoc autem tam incénso in Deum amóre egrégia non solum illa oriebátur volúntas, unumquémque consíliis, ópere, monitísque juvándi ad bene piéque vivéndum, sed firmíssima étiam spes, sumúmque desidérium, quo corpóreis vínculis solvi, et esse cum Christo veheménter optábat: optáta autem diu, felicíssima tandem advénit dies: año enim millésimo sexcentésimo vigésimo quarto, ætátis suæ quinquagésimo nono, extrémi morbi dolóribus patientíssime tolerátis, sacraméntis ómnibus summa cum pietáte suscéptis, grave suárum virtútum Matriténsi pópulo univérso desidérium relínquens, meritórum pleníssima migrávit ad Sponsum. Quam Pius sextus Póntifex Máximus multis insígnem miráculis, ac prophetíæ dono illústrem ritu solémni beatárum Vírginum número adscrípsit.

℟. Afferéntur Regi.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus.** de Comm. Virg. 1. loco.

Die 20. Aprilis.

Ss. Septem Angelorum.

Duplex majus.

Omnia ut in Breviario Romano die 8. Maji, præter Lect. II. et III. Noct.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Gregórii Papæ.

Ex Homil. 34. in Evang. ante medium.

Lectio iv.

Novem Angelórum órdines dícimus, quia vidélicet esse, testánte sacro elóquio scimus: Angelos, Archángelos, Virtútes, Potestátes, Principátus, Dominatiónes, Thronos, Chérubim atque Séraphim. Esse namque Angelos et Archángelos pene omnes sacri elóquii páginæ testántur: Chérubim vero atque Séraphim sæpe, ut notum est, libri prophetárum loquúntur. Quátuor quoque órdinum nómina Paulus Apóstolus ad Ephésios enúmerat, dicens: Supra omnem Principátum, et Potestátem, et Virtútem, et Dominatiónem. Qui rursus ad Colosséenses scribens, ait: Sive Throni, sive Po-

testátes, sive Principátus, sive Dominatiónes. Dum ergo illis quátuor, quæ ad Ephésios dixit, conjungúntur Throni, quinque sunt órdines: quibus dum Angeli et Archángeli, Chérubim atque Séraphim adjúncta sunt, procul dúbio novem esse Angelórum órdines inveniúntur.

℟. Hic est Míchaël.

Lectio v.

Sciéndum vero quod Angelórum vocábulum nomen est offícii, non natúræ. Nam sancti illi cœléstis pátriæ spíritus semper quidem sunt spíritus, sed semper vocári Angeli nequáquam possunt: quia tunc solum sunt Angeli, cum per eos áliqua nuntiántur. Unde et per Psalmístam dícitur: Qui facit Angelos suos spíritus. Ac si paténter dicat: Qui eos, quos semper habet spíritus, étiam cum volúerit, Angelos facit. Hi autem qui mínima núntiant, Angeli: qui vero summa annúntiant, Archángeli vocántur. Hinc est enim quod ad Maríam Vírginem non quílibet Angelus, sed Gábriel Archángelus míttitur. Ad hoc quippe ministérium, summum Angelum veníre dignum fúerat, qui summum ómnium nuntiábat. Qui idcírco étiam privátis nomínibus censéntur, ut signétur per vocábula, étiam in operatióne quid váleant. Míchaël namque, Quis ut Deus? Gábriel autem, Fortitúdo Dei: Ráphaël vero dícitur Medicína Dei.

℟. Venit Míchaël.

Lectio vi.

Et quóties miræ virtútis áliquid ágitur, Míchaël mitti perhibétur: ut ex ipso actu et nómine detur intélligi, quia nullus potest fácere, quod fácere prævalet Deus. Unde et ille antíquus hostis, qui Deo esse per supérbiam símilis concupívit, dicens: In cœlum conscéndam, super astra cœli exaltábo sólium meum, símilis ero Altíssimo: dum in fine mundi in sua virtúte relinquétur extrémo supplício periméndus, cum Michaéle Archángelo præliatúrus esse perhibétur, sicut per Joánnem dícitur: Factum est prælium cum Michaéle Archángelo. Ad Maríam quoque Gábriel míttitur, qui Dei Fortitúdo nominátur. Illum quippe nuntiáre veniébat, qui ad debellándas aëreas potestátes húmilis apparére dignátus est. Ráphaël quoque interpretátur, ut díximus, Medicína Dei: quia vidélicet dum Tobíæ óculos quasi per offícium curatiónis tétigit, cæcitátis ejus ténebras tersit.

℟. In témpore illo.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 18.

In illo témpore: Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes: Quis, putas, major est in regno cœlórum? Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbýteri.

Lib. 3. Comm. in cap. 18. Matth.

Post invéntum statérem, post tribúta rédditа, quid sibi vult Apostolórum repentína interrogátio, Quis, putas, major est in regno cœlórum? Quia víderant pro Petro et Dómino idem tribútum rédditum, ex æqualitáte prétii arbitráti sunt Petrum ómnibus Apó-

stolis esse prælátum, qui in redditióne tribúti Dómino fúerat comparátus: ídeo intérrogant quis major sit in regno cœlórum. Vidénsque Jesus cogitatiónes eórum, et causas erróris intélligens, vult desidérium glóriæ humilitátis contentióne sanáre.

℟. In conspéctu.

Bened. Quorum festum.

Lectio viii.

Si autem manus tua, vel pes tuus scandalízat te, abscínde eum, et prójice abs te. Necésse est quidem veníre scándala: væ tamen ei est hómini, qui, quod necésse est ut fiat in mundo, vítio suo facit ut per se fiat. Igitur omnis truncátur afféctus, et univérsa propínquitas amputátur, ne per occasiónem pietátis unusquísque credéntium scándalis páteat. Si, inquit, ita est quis tibi conjúnctus, ut manus, pes, óculus, et est útilis atque sollícitus, et acútus ad perspiciéndum: scándalum autem tibi facit, et propter dissonántiam morum te pértrahit in gehénnam: mélius est ut et propinquitáte ejus, et emoluméntis carnálibus cáreas: ne dum vis lucrifácere cognátos et necessários, causam hábeas ruinárum.

℟. Míchaël Archángelus.

Lectio ix.

Dico vobis, quia Angeli eórum in cœlis semper vident fáciem Patris mei. Supra díxerat, per manum, et pedem, et óculum omnes propinquitátes et necessitúdines, quæ scándalum fácere póterant, amputándas: austeritátem ítaque senténtiæ subjécto præcépto témperat, dicens: Vidéte ne contemnátis unum ex pusíllis istis. Sic, inquit, præcípio severitátem, ut commiscéri cleméntiam dóceam: quia Angeli eórum in cœlis vident semper fáciem Patris. Magna dígnitas animárum, ut unaquǽque hábeat ab ortu nativitátis in custódiam sui Angelum delegátum. Unde légimus in Apocalýpsi Joánnis: Angelo Ephesi, et reliquárum ecclesiárum, scribe hæc. Apóstolus quoque præcipit velári cápita in ecclésiis feminárum propter Angelos.

Te Deum laudámus.

Die 28. Aprilis.

(Pro Diœc. Calatanisiad.)

S. Thuribii Archiepiscopi Limani et Confessoris.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pontif., præter sequentia. (m. t. v.)

Oratio.

Ecclésiam tuam, Dómine, sancti Thuríbii Conféssóris tui, atque Pontíficis contínua protectióne custódi: ut sicut illum pastorális sollicitúdo gloriósum réddidit, ita nos ejus intercéssio in tuo semper fáciat amóre fervéntes. Per Dñm.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Thuríbius Alphónsus ex nóbili Mogrovéja gente Majórgæ in regno Legiónis natus, liberálibus disciplínis, et juri Canónico Vallisoléti primum, deínde Salmánticæ in majóri collégio Oveténsi, sancti Salvatóris, ita óperam dedit, ut tamen potiórem témporis

partem oratióni, aliísque piis, et christiánis exercítiis impénderet. Id comprobátum est, cum immíssam in ejus cubículum impudícam mulíerem, præcípuus virginitátis sectátor constánti ánimo extémplo éxpulit: inde jejúniis, vigíliis et próprii córporis castigatióne contínuo vitam exércuit, et nudis quoque pédibus Compostéllam ad sancti Jacóbi sepúlchrum peregrinátus est.

℟. Invéni David.

Lectio v.

A Gregório decimotértio Limánæ ecclésiæ ex quæstóre fídei invítus præfícitur, quo in múnere Apostólicam sollicitúdinem in nova christianitáte vel solidánda, vel ampliánda ádhibens, perfécti præsulis partes explévit: quare síngulis Domínicis diébus, vel in ecclésia, vel in hospitáli domo, in parvis étiam oppídulis, et sub die concionabátur, plebémque catechísmo instruébat. Sýnodus étiam diœcesánas, et concília provinciália juxta Tridentíni statúta hábuit, et in eis complúra decréta, póstea a Sede Apostólica confirmáta, cóndita sunt, quibus modo ecclésia Americána régitur. Hinc morum emendátio, cleri disciplína, júvenum seminária, vírginum, ac male nuptárum cœnóbia, ægrotórum xenodochía, aliǽque ædes, et templa, ejus étiam sumptu constrúcta, manárunt.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Diœcésim suam, amplíssimam quidem, incredíbili labóre totam sæpe visitávit, omnésque pene ecclésiæ suæ provéntus in paúperum usus, quos creditóres suos vocábat, erogávit; octingéntis, ut ferunt, hóminum míllibus sacro chrísmate unctis: innúmeras contradictiónes, sive ab iis, qui foris sunt, propter fidem, sive ab iis qui intra, propter ecclésiæ libertátem, summa patiéntia sústinens, ácriter eas defféndit, martýrii cupidíssimus. Tandem sacerdótio, et mirá culis clarus, quæ étiam post mortem ipsíus sanctitátem comprobárunt, dum própriæ diœcésis visitatióni incúmberet, anno millésimo sexcentésimo sexto, ætátis suæ sexagésimo octávo, sumpto in ecclésia sacro viático, ad mortis núntium exclámans: Lætátus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Dómini íbimus; die vigésima tértia Mártii obdormívit in Dómino, quem Innocéntius undécimus in beatórum númerum rétulit, assignáta ejus festivitáti die vigésima séptima Aprílis. Deínde novis quamplúribus fulgéntem signis, Benedíctus décimus tértius Póntifex Máximus, quarto Idus Decémbris anno salútis millésimo septingentésimo vigésimo sexto sanctórum fastis adscrípsit.

℟. Iste est, qui.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 25.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis.

Accípiunt in promissióne, qui bene præsunt, constitúti super ómnia bona Dómini sui: at pauci profécto, qui utíliter, paucióres, qui et humíliter præsint. Fácile tamen utrúmque adímplet, qui matrem virtútum discretiónem perfécte adéptus, vino nihilóminus caritátis, usque ad contémptum próopriæ glóriæ, usque ad sui ipsíus obliviónem, et non ad quæréndo, quæ sua sunt, inebriátur, quod solo ac miro Spíritus sancti magistério obtinétur.

℟. Amávit eum.

Lectio viii.

Virtus autem discretiónis absque caritátis fervóre jacet, et fervor véhemens absque discretiónis temperaménto præcípitat. Ideóque laudábilis cui neutrum deest, quátenus et fervor discretiónem érigat, et discrétio fervórem regat. Ergo táliter opórtet esse morátum eum, qui præest. Optimum autem in móribus díxerim, et summam disciplínæ hujus perfécte apprehendísse, qui in nullo prorsus aut resístat prióribus aut invídeat páribus, aut subjéctis vel desit in cura, vel in supérbia præsit, prælátis obédiens, sóciis cóngruens, súbditis utíliter condescéndens.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Tímeant clérici, tímeant minístri ecclésiæ, qui in terris sanctórum, quas póssident, tam iníqua gerunt, et stipéndiis, quæ sufficere debent, mínime conténti, supérflua, quibus egéni sustentándi forent, ímpie sacrilegéque sibi rétinent, et in usus suæ supérbiæ atque luxúriæ victum paúperum consúmere non veréntur: dúplici profécto iniquitáte peccántes, quod et aliéna dirípiunt, et sacris in suis vanitátibus, et turpitudínibus abutúntur.

Te Deum laudámus.

Dominica II. post Pascha.

S. Francisci de Paula Conf.

Duplex 1. class. cum Oct.

Pro Clero regulari et sæculari, ex Decr. S. R. C. die 21. Nov. 1780.

In I. Vesperis.

Ant. 1. Cáritas facta est in corde ejus quasi ignis exæstuans: et verbum ipsíus quasi fácula ardébat, allelúja.

Psalmi de Dominica et loco ultimi, Psalmus. Laudáte Dñm omnes gentes.

2. Ingréssus est fornácem succénsam nimis, et non tétigit eum omníno ignis, allelúja.

3. Dedit ei Dóminus in mari viam, et inter fluctus sémitam firmíssimam, allelúja.

4. Sústulit mórtuos ab ínferis de sorte mortis, in verbo Dómini, allelúja.

5. In vita sua fecit monstra, et in morte mirabília operátus est, allelúja.

Capitulum. 1. Cor. 13.

Si linguis hóminum loquar, et Angelórum, caritátem autem non hábeam, factus sum velut æs sonans, aut cýmbalum tínniens.

Hymnus.

O fides toti domináta mundo!
O Dei puras imitáta flammas
Cáritas! O magnánimo vir ambas
Péctore claudens.

Ecce natúræ rata jura cedunt
Sponte Francísco: mánibus retráctat,
Ceu rosas, ignes: pede calcat undas
Mármoris instar.

Siste, ait, fornax ruitúra: siste
Currus o præceps: lapis at recéde,
Ac novo templo loca linque: parent
Omnia dictis.

Dum jubet, nullus licet ignis adsit,
Lampas ardéscit: gélida unda fervet:
Dum jubet, morbi genus omne denso
Agmine cedit.

Lingua, mens, proles, óculus, caré nti
Auris et gressus rédeunt: coáctus
Prófugit dæmon cruciáta longum
Membra relínquens.

Ipsa mors nutum timet imperántis:
Nam quibus lucem rápuit, repénte
(Ille sic mandat) remeáre vitæ
Cernit in auras.

Trínitas unus Deus, omnis auctor
Et dator doni, tibi, dum corónas
Usque Francísco tríbuis, perénnes
Sólvimus hymnos. Amen.

℣. Pósuit húmilem Dóminus in sublíme, allelúja. ℟. Et exaltávit caput ejus, allelúja.

Ad Magnif. Ant. **Mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc, sectári supereminéntem sciéntiæ caritátem Christi, et impléri in omnem plenitúdinem Dei, allelúja.**

Oratio ut infra ad Laudes. **52***

Et fit comemoratio Domin. II. post Pascha.

Ad Matutinum.

Invitat. **Christum Dóminum exaltántem húmiles, * Veníte, adorémus, allelúja.**

Ps. **Veníte, exsultémus.**

Hymnus.

Germen o mirum stérilis paréntis,
Luce monstrátum súpera; tenéllum
Ne diu corpus laceráre perge
Rupe sub arcta.

En viri, quamvis júvenem, præóptant
Te sibi patrem: duce te, nec horrent
Asperos calles: præeúntis addit
Glória vires.

Innocens, simplex, húmilis, poténtes
Te licet reges venerén tur: ornet
Te licet signis polus ipse, nulla
Tólleris aura.

Una te tollit veheménte flamma
Cáritas; cœlo spatiáris, ima
Déserens terræ; recipísque toto
Péctore Numen.

Númine absórptus bibis inde fontes
Lucis: hinc Vates pénetras futúri
Témporis noctem; pénetras profúndi
Abdita cordis.

Omne laudétur Déitas per ævum
In Patre, et Nato, parilíque fulgens
Spíritu; et terras erebúmque, et astra
Una gubérnans. Amen.

In I. Nocturno.

Ant. Natus ex útero stérili, fructus honóris et grátiæ tulit superabundánter in témpore suo, allel.

Psalmi trium Nocturnorum de Communi Conf. non Pont.

℣. Meditábar in mandátis tuis, quæ diléxi, allelúja. ℟. Et exercébar in justificatiónibus tuis, allel.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio i. Cap. 12. c.

Fratres: Non sit schisma in córpore, sed idípsum pro ínvicem sollícita sint membra. Et si quid pátitur unum membrum, compatiúntur ómnia membra: sive gloriátur unum membrum, congaúdent ómnia membra. Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro. Et quosdam quidem pósuit Deus in Ecclésia primum Apóstolos, secúndo Prophétas, tértio Doctóres, deínde Virtútes, exínde grátias curatiónum, opitulatiónes, gubernatiónes, génera linguárum, interpretatiónes sermónum. Numquid omnes Apóstoli? Numquid omnes Prophétæ? Numquid omnes Doctóres? Numquid omnes Virtútes? Numquid omnes grátiam habent curatiónum? Numquid omnes linguis loquúntur? Numquid omnes interpretántur? Æmulámini autem charísmata melióra. Et adhuc excellentiórem viam vobis demónstro.

℟. Orábant paréntes ejus ad Dóminum flentes lárgiter: * Et exaudítæ sunt preces ambórum in conspéctu glóriæ summi Dei, allelúja. ℣. Votum vovérunt dicéntes: Si déderis fámulis tuis sexum virílem, dábimus eum Dómino. Et.

Lectio ii. Cap. 13.

Si linguis hóminum loquar et Angelórum, caritátem autem non hábeam, factus sum velut æs sonans, aut cýmbalum tínniens. Et si habúero prophetíam, et nóverim mystéria ómnia, et omnem sciéntiam: et si habúero omnem fidem, ita ut montes tránsferam, caritátem autem non habúero, nihil sum. Et si distribúero in cibos paúperum omnes facultátes meas, et si tradídero corpus meum ita ut árdeam, caritátem autem non habúero, nihil mihi prodest.

℟. Adduxérunt eum ad domum Dómini, et dixérunt: Pro púero isto orávimus: * Idcírco et commodávimus eum Dómino, allelúja. ℣. Dedit nobis Dóminus petitiónem quam postulávimus eum. Idcírco et commodávimus.

Lectio iii.

Cáritas pátiens est, benígna est: cáritas non æmulátur, non agit pérperam, non inflátur, non est ambitiósa, non quærit quæ sua sunt, non irritátur, non cógitat malum, non gaudet super iniquitáte, congaúdet autem veritáti: ómnia suffert, ómnia credit, ómnia sperat, ómnia sústinet. Cáritas numquam éxcidit: sive prophetíæ evacuabúntur, sive linguæ cessábunt, sive sciéntia destruétur. Ex parte enim cognóscimus, et ex parte prophe-

támus. Cum autem vénerit quod perféctum est, evacuábitur quod ex parte est. Nunc autem manent fides, spes, cáritas, tria hæc: major autem horum est cáritas.

℟. Proficiébat Puer, atque crescébat, * Et placébat tam Dómino, quam homínibus, allelúja. ℣. Serviébat ante fáciem Dómini accínctus túnica parva. Et placébat. Glória Patri. Et placébat.

In II. Nocturno.

Ant. Egréssus ábiit in desértum: corpus suum humiliávit jejúniis, et carnem suam cilício opéruit, allelúja.

℣. Ecce elongávi fúgiens, allelúja. ℟. Et mansi in solitúdine, allelúja.

Lectio iv.

Francíscus Paulæ in Calábria sexto Kaléndas Aprílis, anno salútis millésimo quadringentésimo sextodécimo, natus est. Eum paréntes virtútibus exornáti, cum diu prole caruíssent, sancti Francísci de Assísio précibus a Deo impetrárunt; cujus étiam patrocínio, mater accéptum rétulit, quod creátum púero perículum ex malígno ad óculum túbere, facto voto, contínuo evanúerit. A téneris annis spécimen sanctitátis futúræ præ se ferens, solitúdinis, vitǽque asperitátis cúpidus, in oratiónem, et jejúnium assídue incumbébat. Añum círciter duodécimum ætátis agens, Deo in cœnóbio órdinis Minórum civitátis sancti Marci offértur, inde cum genitóribus Assísium peregrinatióne suscépta, vehementióri stímulo ad pietátem incitátus in pátriam rédiit. Sancti Spíritus ardóre succénsus, in erémum secéssit, ubi annis sex victu quidem ásperam, sed meditatiónibus cœléstibus suávem vitam duxit.

℟. Duxit eum Dóminus in solitúdinem, * Ut loquerétur ad cor ejus, et docéret sciéntiam Sanctórum, allelúja. ℣. In perpétua caritáte diléxit illum, ídeo in vínculis caritátis attráxit eum. Ut.

Lectio v.

Cum autem ejus virtútum fama longe latéque manáret, multíque ad ipsum perfectióris vitæ stúdio concúrrerent, caritáte impúlsus relíquit solitúdinem, et áliquot sibi sóciis adjúnctis, in patérno fundo agri Pauláni ecclésiam cum cœnóbio construére, atque órdinis sui, quem humilitátis ergo Minimórum nuncupári vóluit, prima fundaménta pónere cœpit. Nascens ædifícium crebra Francísci mirácula illustrárunt. Dum enim calx in fornáce coquerétur aggestíque intus lápides ruínam minaréntur, Francíscus, signo crucis munítus, intrépidus illam súbiit, et nullam inde ustiónem passus, illǽsis quoque véstibus exívit: éjécti prætérea sǽpius e corpóribus obséssis dǽmones: parta non uno in loco moribúndis salus: cæcórum sæpe calígo discússa: mutórum lingua vínculis exsolúta: surdórum aures apértæ: nonnúllis claudis gressus, leprósis mundíties, furiósis et insánis mentis sánitas, mórtuis vita restitúta.

℟. Circa illum coróna fratrum quasi plantátio cedri in Líbano, * Et est quasi olíva glória ejus, alle-

lúja. ℣. Luce spléndida fulsit, et lætátus est, quóniam quasi rami palmæ congregáti sunt ad Dóminum. Et.

Lectio vi.

Illud étiam memorábile áccidit, quod dum prima exstruéndi sacélli fundaménta, pro modo facultátis, Dei fámulus satis angústa designásset, jamque mole parva muri créscerent, adfuísse quemdam ferunt humána spécie, sancti Francísci hábitu indútum, et pro ipso sancto Francísco a plerísque non immérito reputátum, qui cœpta dírui, et amplióra delineári suásit, non defutúrum tam sancto óperi subsídium pollícitus, si modo Deo confíderet: cui cœlésti mónito Franciscus obtémperans, fidélem sponsórem expértus est. Quippe dum soli providéntiæ innixus, majus ædifícium aggréditur, præsto ádfuit vir nóbilis, qui largam in impénsas pecúniæ summam eídem óbtulit; deínde vero cum incœ́ptum opus prosequerétur, uberiórem suppeditávit. Verum huic piæ viri liberalitáti débita merces mínime défuit: síquidem a fœdíssimo apostémate, quod crus fere totum infécerat, mortémque intentábat, cujúsdam herbæ, nullam hujúsmodi vim medéndi habéntis, fóliis applícitis, Francísci ope mirabíliter liberátus est.

℟. Diláta locum tentórii tui: * Ad déxteram enim, et ad lævam penetrábis, et semen tuum gentes hæreditábit, allelúja. ℣. Fáciam te in gentem magnam, et magnificábo nomen tuum. Ad déxteram. Glória Patri. Ad déxteram.

In III. Nocturno.

Ant. Prodígium factus est multis, et Dóminus adjútor fortis, allelúja.

℣. Glorificávit illum Dóminus in conspéctu regum, allel. ℟. Et in verbis suis monstra placávit, allelúja.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 11.

In illo témpore: Respóndens Jesus, dixit: Confíteor tibi Pater, Dómine cœli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis.

Cap. 5. de virt. humilitatis.

Auctor, et dator virtútum Christus, in quo omnes thesaúri sapiéntiæ et sciéntiæ sunt abscónditi, in quo omnis plenitúdo divinitátis hábitat corporáliter, de humilitáte, tamquam summa suæ doctrínæ suarúmque virtútum, gloriátus est: Díscite, ait, a me, non quod sóbrius, aut castus, aut prudens, aut áliquid ejúsmodi: sed, quia mitis sum et húmilis corde. A me, inquit, díscite. Non ad doctrínam Patriarchárum, non ad Prophetárum libros ego vos mitto: sed me vobis exémplum, me formam humilitátis exhíbeo. Invidérunt mihi altitúdinem, quam hábeo apud Patrem, ángelus et fœ́mina: ille poténtiæ, illa sciéntiæ: vos autem æmulámini charísmata melióra, discéntes a me, quia mitis sum et húmilis corde.

℟. Per manus ejus fecit Dóminus signa multa in plebe: * Dedit prodígia in cœlo sursum, et in terra deórsum, allelúja. ℣. Mementóte mirabílium ejus, quæ fecit prodígia ejus, et judícia oris ejus. Dedit.

Lectio viii.

An non tibi de alto vidétur clamáre, ac dícere requiréntibus se: Veníte ad me omnes qui laborátis, et oneráti estis, et ego vos refíciam? Veníte, inquit. Quo? Ad me Veritátem. Qua? Per humilitátem. Quo fructu? Ego vos refíciam. Sed quæ est reféctio, quam Véritas ascendéntibus promíttit, perveniéntibus reddit? An forte ipsa est cáritas. Ad hanc quippe ascéndit humílitas, mox pervéniet. Vere dulcis et suávis cibus cáritas, quæ fessos állevat, débiles róborat, mœstos lætíficat, jugum dénique veritátis facit suáve, et onus leve.

℟. Humiliávit se sicut párvulus; et ídeo amplificátus est in mirabílibus suis, * Factúsque est magnus in regno cœlórum, allel. ℣. Omnium servum se fecit, ut plures lucrifáceret. Factúsque. Glória Patri. Factúsque.

Lectio ix. de Dominica.

Ad Laudes
et per Horas.

Ant. 1. Sermo Dómini * quasi ignis abscónditus in corde meo, ordinávit in me caritátem, allelúja.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Sermo meus * non in persuasibílibus humánæ sapiéntiæ verbis, sed in ostensióne spíritus, et virtútis, allelúja.

3. Scio esuríre, * et penúriam pati: ómnia possum in eo, qui me confórtat, allelúja.

4. Ecce família mea * ínfima est: et ego mínimus in domo Patris mei, allelúja, allelúja.

5. Vigiláte, * state in fide, viríliter ágite, et confortámini: ómnia vestra in caritáte fiant, allelúja.

Capitulum. 1. Cor. 13.

Si linguis hóminum loquar et Angelórum, caritátem autem non hábeam, factus sum velut æs sonans, aut cýmbalum tínniens.

Hymnus.

Francísce, ferre paúperem
Avára te negat ratis;
I solus, et nudo pede
Fluctus volántes prótere.

Carína, funes, cárbasa
Paupérculum sit pállium;
Anténna, malus, ánchora
Bacíllo in uno súppetunt.

Mirátur hærens návita
Pastórque de jugo stupet,
Mirántur undæ et líttora
Incógnitum navis genus!

O mira navis! áltera
Qua nulla visa clárior;
Nec ulla visa dítior
Tantóque thesaúro gravis.

Accúrrat imo e gúrgite
Festíva píscium cohors,
Plaudátque victóri maris;
Figátque plantis óscula.

Tu Trínitas, et Unitas,
Quæ præcípis mari, et tacet:
Illo rogánte, naúfragos
Ad littus educ pátriæ. Amen.

℣. Potens in terra erit nomen ejus, allelúja. ℟. Generátio rectórum benedicétur, allelúja.

Ad Bened. Ant. Fons parvus crevit in flúvium máximum, et in aquas plúrimas redundávit: húmiles exaltáti sunt, allelúja.

Oratio.

Deus, humílium celsitúdo, qui beátum Francíscum Confessórem Sanctórum tuórum glória sublimásti: tríbue quǽsumus; ut, ejus méritis et imitatióne, promíssa humílibus prǽmia felíciter consequámur. Per Dóminum.

Et fit comm. Domin. II. post Pascha.

Ad Tertiam.

Ant. Sermo meus.

Capit. Si linguis. 51*

℟. br. Loquébar de testimóniis tuis in conspéctu regum. * Allelúja, allelúja. ℣. Et non confundébar. Allelúja, allel. Glória Patri. Loquébar.

℣. Lucérna pédibus meis verbum tuum, allelúja. ℟. Et lumen sémitis meis, allelúja.

Ad Sextam.

Ant. Scio esuríre.

Capitulum. 1. Cor. 13.

Cáritas pátiens est, benígna est: ómnia suffert, ómnia credit, ómnia sperat, ómnia sústinet.

℟. br. Lucérna pédibus meis verbum tuum. * Allelúja, allelúja. ℣. Et lumen sémitis meis. Allelúja, allel. Glória Patri. Lucérna.

℣. Declarátio sermónum tuórum illúminat, allelúja. ℟. Et intelléctum dat párvulis, allelúja.

Ad Nonam.

Ant. Vigiláte.

Capitulum. 1. Cor. 13.

Nunc manent fides, spes, cáritas, tria hæc: major autem horum est cáritas.

℟. br. Declarátio sermónum tuórum illúminat. * Allelúja, allelúja. ℣. Et intelléctum dat párvulis. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Declarátio.

℣. Os meum apérui, et attráxi spíritum, allelúja. ℟. Quia mandáta tua desiderábam, allelúja.

In II. Vesperis.

Omnia ut in I. Vesperis.

Ad Magnif. Ant. Dedit ei Dóminus fortitúdinem: et usque in senectútem permánsit illi virtus, ut sit memória illíus in benedictióne, et nomen ejus in ætérnum permáneat, allelúja.

Infra Oct. S. Francisci de Paula omnia dic. ut in die Festo, præter ea quæ hic propria assignantur.

Secunda die infra Octavam S. Francisci de Paula Conf.

Semiduplex.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Augebátur intérea Francísci nomen, et sparsus per eum ac sodáles bonus virtútum odor multos ex váriis locis illéxit, ut sǽculo núntium remítterent, et insólitum pœniténtiæ genus amplecteréntur. In régula enim, quam frátribus præscrípsit, tribus commúnibus votis quartum adjécit, strictam atque perpétuam quadragesimális victus observántiam profiténdi, quæ cum nonnúllis justo aspérior et supra vires humánas viderétur, eam ipse éditis miráculis comprobávit. Et ne quod genus hóminum ab institúti sui bono ex-

cluderétur, post datam viris disciplínæ normam, secúndam exarávit pro sanctimoniálibus quas iísdem obstrínxit votis; tértiam dénique pro utriúsque sexus fidélibus, qui perfectióris vitæ desidério teneréntur: quas post álios Románòs Pontífices, Július secúndus, et Leo décimus apostólicis diplomátibus approbárunt.

℟. Duxit eum. 49*

Lectio v.

Sub idem fere tempus, quo Paulánus convéntus ædificabátur, álios étiam Patérni, Spetiáni, et Corioláni Francíscus exstruébat; quos item prodígiis usque ádeo illustrásse memóriæ próditum est, ut, deficiénte igne, parátos cibos manu tangens cóxerit, intérdum étiam multiplicáverit: venéna exstínxerit: fontes ex árida edúxerit: infórmi natúræ pártui, oris atque oculórum formam sputo delineátam imprésserit: ficus et fraga summo híemis rigóre ex plantis íllico enásci jússerit: lápides ingéntis magnitúdinis, nunc loco cédere coégerit, nunc contra magno ímpetu ex alto in præceps ruéntes, verbo péndulos sustinúerit: operários duos terra óbrutos, et pro mórtuis hábitos, vivos et illǽsos; álios, falléntε vestígio, e summo cúlmine delápsos, et confráctis membris exánimes reputátos, incólumes restitúerit. Hóminem prætérea in móntibus invéntum hiemáli glácie, et frígore oppréssum, nullúmque vivéntis signum præ se feréntem, ad sepeliéndum delátum, respíciens beátus vir: Per caritátem ait, vivit homo iste: et ad eum convérsus: Surge, inquit, et ámbula; ad cujus verba homo, jam sepúlchro inferéndus, extémplo surréxit. ℟. Circa illum. 49*

Lectio vi.

Audítis miráculis, quæ per Francíscum Deus operabátur, nihil sibi fore utílius, nihil pátriæ felícius accídere posse Sículi credidére, quam si beátum virum coram intueréntur, apud se habérent, et præsénte frueréntur. Itaque iterátis précibus effecére, ut ipse ad majórem Dei glóriam eo transíre decréverit. Sed cum ex improvíso in Silíliam transfretáre vellet, et a nautis, quibus erat incógnitus, ob paupertátem rejicerétur, fretum, quod inter Neapolitánum regnum, et ínsulam ǽstuat, mirábili divinitátis instínctu, strato super flúctibus pállio, cum sócio trajécit. In eádem ínsula órdinis cœnóbium apud Mylas instítuit, et áliis subínde miráculis cláruit; quorum fama, et celebritáte nóminis in dies crebrescénte, offénsa tandem beáti viri modéstia est; et laténdi desidério actus, clam inde se subdúxit, et in Calábriam rédiit; ubi tamen aucto virtútum splendóre, et assídua rerum mirabílium operatióne evásit illústrior.

℟. Diláta locum. 50*

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 11.

In illo témpore: Respóndens Jesus dixit: Confíteor tibi Pater, Dómine cœli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Et réliqua.

De Homilía S. Augustíni Epíscopi.

Ex Serm. 9. de verbis Domini.

udi Dóminum confiténtem, Confíteor tibi Pater, Dómine cœli et terræ. Quid confíteor? In quo te laudo? Hæc enim conféssio laudem habet. Quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Quid est hoc, fratres? A contrário sensu intellígite. Abscondísti hæc, inquit, a sapiéntibus et prudéntibus: et non dixit, Revelásti ea stultis et imprudéntibus; sed ait: Et revelásti ea párvulis. Sapiéntibus, et prudéntibus irridéndis, arrogántibus falso grándibus, vere autem tuméntibus oppósuit non insipiéntes, non imprudéntes, sed párvulos.

℟. Per manus. 51*

Lectio viii.

Qui sunt párvuli? Húmiles. Ergo abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus. Nómine sapiéntium et prudéntium, supérbos intélligi posse ipse expósuit, cum ait: Revelásti ea párvulis. Ergo abscondísti non párvulis. Quid est, non párvulis? non humílibus? Quid est: Non humílibus, nisi supérbis? O via Dómini, aut non erat, aut latébat, ut revelarétur nobis! Unde Dóminus exsultávit? Quia revelátum est párvulis. Debémus esse párvuli, nam si voluérimus esse magni, quasi sapiéntes et prudéntes, non nobis illud revelátur.

℟. Humiliávit. 51*

Lectio ix.

Qui sunt magni? Sapiéntes et prudéntes. Dicéntes se esse sapiéntes, stulti facti sunt. Habes remédium a contrário. Si dicéndo te esse sapiéntem, stultus factus es: dic te stultum, et sápiens eris. Sed dic, dic, et intus dic; quia sic est, ut dicis. Si dicis, noli coram homínibus dícere, et coram Deo non dícere. Prorsus quod ad teípsum pértinet, quod ad tua, tenebrósus es. Quid enim est áliud esse stultum, nisi esse tenebrósum in corde? Dénique de illis sic ait: Dicéntes se esse sapiéntes, stulti facti sunt.

Te Deum laudámus.

Tertia die infra Octavam

S. Francisci de Paula Conf.

Semiduplex.

In I. Noct. Lect. de Script. occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

ntérea Paulus secúndus Póntifex máximus sancti viri méritum, et patratórum miraculórum veritátem compertúrus, cubiculárium suum in Calábriam misit, qui Francísci vitam exploráret. Ille beátum virum ádiens íllico agnóscitur, occúlta audit, et mox cum de nimis árdua ab ipso stabilíta vivéndi ratióne sermo fuísset, eámque vix hómini forti et robústo tolerábilem esse cubiculárius conténderet, vir sanctus, divíno suggerénte Spíritu, candéntes prunas illæsis mánibus arrípiens: Perfécto corde, inquit, serviéntibus Deo ómnia creáta obtémperant. Cubiculárius autem tanto obstupefáctus miráculo, ad omnem veneratiónem effúsus, véniam pétiit, Romámque revérsus, non sine magna audiéntium admiratióne quæ víderat enarrávit. ℟. Duxit eum. 49*

Lectio v.

Celébritas sanctimóniæ, qua in Itália Francíscus florébat, ad Gállias usque pervásit. Ludovícus rex undécimus tanto illíus vidéndi desidério exársit, ut Ferdinándi regis Neapolitáni auctoritátem interposúerit, quo Beátum ad se mítteret, eósdem oratóres, qui lítteras rédderent, itíneris sócios habitúrum. Atque ubi Ludovícus nihil se profecísse cómperit, Summum Pontíficem exórat, ut lítteris apostólicis Francíscum in Gállias migráre júbeat. Qua demum ratióne Ludovícus voti compos factus est, impletúmque quod jam diu ántea sodálibus suis Dei fámulus prædíxerat fore, ut in longínquam diversǽque linguæ regiónem accerserétur.

℟. Circa illum. 49*

Lectio vi.

Pontíficis autem jussa vix regis Legáti Francísco signíficant, cum se illis cómitem, nihil cunctans, adjúngit; et ne Paulam quidam per itíneris occasiónem digréssus, Patérno Salérnum, atque Neápolim progréditur; vária per viam attíngens loca, quæ insígnium miraculórum splendóre illustrávit. Cumque ad unum móntium pervenísset Sanctus (unde in Calábriam pene totam despéctus est) convérsus eídem benedixísse tráditur, et lápidi, cui insistébat, pedum suórum vestígia impréssa reliquísse. Quocúmque divérteret, præeúnte virtútis fama, turmátim confluébant pópuli, et véstium frusta, resque álias ab eo tactas religióse arripiébant, certum advérsus mala futúra remédium. Multa quoque in itínere Francíscus prædíxit, quæ in dies síngulos comprobávit evéntus.

℟. Diláta locum. 50*

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 11.

In illo témpore: Respóndens Jesus dixit: Confíteor tibi Pater, Dómine cœli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus, et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 4. de Tempore.

Aperit cœléste mystérium, quod sic placúerit Deo, ut párvulis magis quam prudéntibus istíus mundi grátiam suam reveláret; quod Apóstolus Paulus stylo pleniόre digéssit dicens: Nonne stultam fecit Deus sapiéntiam hujus mundi? Nam quóniam Dei sapiéntiam non cognóvit hic mundus per sapiéntiam, plácuit Deo per stultítiam prædicatiónis salvos fácere credéntes.

℟. Per manus. 51*

Lectio viii.

Ait ergo: Ita Pater; quóniam sic fuit plácitum ante te. Cœléstium enim verbórum arcána atque virtútes sapiéntibus absconduntur, et párvulis reveléntur: párvulis malítia, non sensu: sapiéntibus vero stultítiæ præsumptióne, non prudéntiæ causis. Factíque hujus æquitátem Dóminus patérnæ voluntátis judício confírmat, ut qui dedignántur párvuli in

Deum fieri, stulti deínceps in sapiéntia sua fiant.

℟. **Humiliávit. 51***

Lectio ix.

Vides quam terríbilis in consíliis Dóminus. Disce veræ humilitátis exémpla, nec témere discútias supérnæ dispensatiónis consília. Cum enim intulísset utrúmque scílicet, quod áliis advéntus sui Sacraménta reveláverit, ab áliis vero abscónderit, non mox ratiónem réddidit, sed sic Deo plácitum dixit; hoc osténdens maniféste, quod injústum esse non potest quod plácuit justo.

Te Deum laudámus.

Quarta die infra Octavam

S. Francisci de Paula Conf.

Semiduplex.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Princípibus grata accéptaque fuit Francísci præséntia. Tarentínus princeps regis Neapolitáni fílius, atque nóbiles, qui se legátis sócios præbúerant, ipsum Neápolim usque comitári honóri duxérunt. Tam ardéntibus ómnium votis Neápoli exspectabátur beátus vir, ut, ipso adveniénte, facto omnis géneris hóminum concúrsu, ex agris et óppidis in vias passim omnes effunderéntur; imo et ipsi appropinquánti óbviam procésserit rex ipse Ferdinándus, a quo Francíscus spléndido apparátu et singulári ómnium órdinum plausu excéptus est, ut jam Sanctus habéri viderétur. Aliquot diébus Neápoli commorátus, mira dixit et fecit; quibus ómnium admiratiónem auxit, regísque sibi amórem árctius devínxit, a quo cum deligéndi locum ad construéndum famíliæ suæ cœnóbium óptio data esset, ipse ignóbilem ac pene desértum designávit, mirantíque ob id regi futúrum prædíxit, ut nullus olim in urbe celébrior, aut frequéntior haberétur; quod non multo post evéntu est comprobátum.

℟. **Duxit eum. 49***

Lectio v.

Nec minórem Francíscus Romam advéniens accépit veneratiónis significatiónem: innúmera síquidem in occúrsum illíus effúsa est pópuli multitúdo; et Sixto quarto Pontífici máximo in primis carus fuit, in familiáre collóquium ab ipso ter admíssus, et in ejus conspéctu sedére jussus, solus cum solo agens trium quatuórve horárum spátio. Multa ei prætérea liberáliter offerénte Summo Pontífice, solam Francíscus facultátem acceptávit céreas imágines Sanctórum, sácraque numísmata religióso ritu benedicéndi, quibus vidélicet sua deínceps mirácula posset obtégere. Roma in provínciam appúlsus Bórmium, ac Forum Júlii, aliásque urbes a contagiósa lue, quæ univérsam fere regiónem depopulabátur, sola præséntia liberávit, áliaque multa in itíneris decúrsu édidit mirácula.

℟. **Circa illum. 49***

Lectio vi.

Quod réliquum erat itíneris pédibus, quantúmvis jejúnio débilis, confíciens, summis ubíque honóribus cumulátur. Ubi Turonénsis agri fines áttigit, rex, accé-

pto núntio, magnópere lætátus, Cárolum fílium Gálliæ Delphínum sanctíssimo viro usque ad Lígeris ripam óbviam misit, qui in génua provolútus, summa cum veneratióne illum excépit. Sed et rex illíus vidéndi impátiens, frequénti nobílium comitátu ad médium iter accúrrit, et in collum Francísci procúmbens, præclára gaúdii arguménta édidit. Cumque delátio quædam ínvida regi occásio fuísset de sanctitáte boni viri subdubitándi, tentávit eum munéribus rex sacrárum étiam imáginum opulentíssimis; sed repúlsam passus rédiit in præconcéptam Sancti opiniónem; cui tandem genufléxo et prolixiórem sibi a Deo vitam ipsíus précibus imploránti, Francíscus vitam non diuturniórem, sed melióre sédulo procurándam significávit; ac diem étiam prædíxit, qua mors imminéret. Quibus commótus rex, compósitis suis regníque rebus, paulo post mortem occúbuit.

℟. Diláta locum. 50*

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 11.

In illo témpore: Respóndens Jesus dixit: Confíteor tibi Pater, Dómine cœli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus, et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Et réliqua.

Homilía S. Augustíni Epíscopi.

Serm. 10. de verbis Domini.

Veníte ad me omnes qui laborátis. Quare enim omnes laborámus, nisi quia sumus hómines mortáles, frágiles, infírmi, lútea vasa portántes, quæ fáciunt ínvicem angústias? Sed si angustiántur vasa carnis, dilaténtur spátia caritátis. Quid ergo dicit, Veníte ad me omnes qui laborátis nisi ut non laborétis? Dénique promíssio ejus in promptu est, quóniam laborántes vocávit. Quærent forte, qua mercéde vocáti sunt. Et ego vos, inquit, refíciam. Tóllite jugum meum super vos, et díscite a me non mundum fabricáre, non cuncta visibília et invisibília creáre, non in ipso mundo mirabília fácere, et mórtuos suscitáre, sed, quóniam mitis sum, et húmilis corde.

℟. Per manus. 51*

Lectio viii.

Magnus esse vis? A mínimo íncipe. Cógitas magnam fábricam constrúere celsitúdinis? De fundaménto prius cógita humilitátis. Et quantam quisque vult et dispónit superimpónere molem ædifícii, quanto erit majus ædifícium, tanto áltius fodit fundaméntum. Et fábrica quidem cum constrúitur, in supérna consúrgit: qui autem fodit fundaméntum, ad ima deprímitur. Ergo et fábrica ante celsitúdinem humiliátur, et fastígium post humiliatiónem erígitur.

℟. Humiliávit. 51*

Lectio ix.

Quod est fastígium construéndæ fábricæ, quam molímur? Quo perventúrum est cacúmen ædifícii? Cito dico, usque ad conspéctum Dei. Vidétis quam excélsum est, quanta res est conspícere Deum. Qui desíderat, et quod dico, et

quod audit, intélligit. Promíttitur nobis conspéctus Dei, veri Dei, summi Dei. Hoc enim bonum est, vidéntem vidére. Sed quia magnum fastígium est, de fundaménto cógita. Quo, inquis, fundaménto? Disce ab illo: Quóniam mitis sum, et húmilis corde. Hoc in te fode fundaméntum humilitátis, et pervénies ad fastígium caritátis.

Te Deum laudámus.

Quinta die infra Octavam
S. Francisci de Paula Conf.
Semiduplex.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Brevi témporis intervállo, quo Francíscus in Gálliis commorátus est, coáluit semen sanctíssimæ vitæ, quod in agro Dómini spárserat, et úberes fructus longe latéque diffúdit. Non solum enim in ómnibus fere Gálliæ pártibus, sed in Hispánia Germaniáque permúlta constrúxit monastéria, novúmque órdinem suum céteris duriórem et strictiórem in éxteras natiónes paucis annis mirabíliter propagávit. Cárolo étiam octávo Ludovíci fílio Galliárum regi Francíscus non una in re áffuit: certámen advérsus Brítones commissúro, bono ánimo esse jussit, victóriam prænúntians, quam deínde rex Francísci précibus accéptam rétulit. Ludovíci a Sabaúdia Cároli Aurelianénsis uxóri fílium a Deo impetrávit, ac futúrum regem dixit, in cujus benefícii memóriam nato púero Francísci nomen est índitum, qui primus inter Gálliæ reges idem nomen invéxit.

℟. Duxit eum. 49*

Lectio v.

Córporis autem maceratióni beátus vir semper inténtus, sub vili, quo vestiebátur, panno durum ad mortem usque contéxit cilícium. Nudis pédibus étiam per glácies, nives, acúta saxa, spinásque incedébat, nullámque ex eo, étiam gravíssimo sæpe póndere onústus, læsiónem patiebátur. Admirábili fuit abstinéntia; semel tantum in die sub solis occásum solo pane, et aqua, raro ádditis insípidi condiménti oléribus, reficiebátur. Parce ádmodum utebátur somno, et dirióra propter Christum patiéndi cúpido vel humus, vel rudis tábula pro lecto erat; raro tamen cubans; frequénter inníxus, sǽpius stans dormiébat. Quod austérum vitæ genus per omnes pene ætátis gradus duros inter labóres multiplicésque córporis maceratiónes perpétuo retínuit.

℟. Circa illum. 49*

Lectio vi.

Eo labóris amóre æstuábat, ut nónnisi cum piis exercitatiónibus rebúsque divínis intendébat, cessáre viderétur. In monasteriórum fábrica primas egit inter operários partes, et quamvis vigíliis, continuísque jejúniis esset attrítus, lápides, calcem, ligna, áliaque ad fábricam necessária própriis étiam húmeris deférre non recusábat. Una tantum veste, eáque vili et obsoléta, conténtus fuit; cumque in ardentíssimis calóribus sese váriis labóribus exercéret, nihil in ea

tamen male ólidi, nihil immúndi fuit umquam animadvérsum; imo nitórem illa et odórem suavitátis præseferébat. Virginitátis florem semper illibátum ita custodívit, ut non carne, sed solo spíritu constáre viderétur.

℟. Diláta locum. 50*

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 11.

In illo témpore: Respóndens Jesus dixit: Confíteor tibi Pater, Dómine cœli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus, et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Et réliqua.

De Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 12. de verbis Apost.

Audiámus dicéntem: Veníte ad me omnes, qui laborátis: audiámus et veniámus. Quid est, Veniámus? Credéndo proficiámus, grátias agéndo accedámus, perseverándo perveniámus. Veniámus ad eum, qui dicit: Veníte ad me omnes, qui laborátis. Et tu labóras, et ego labóro. Ambo audiámus, quia ambo laborámus, quare inter nos litigámus? An ut médicum vocántem non audiámus? O infélix infírmitas! ad se vocat médicus, et lítibus occupátur ægrótus. Vide quid dicat vocándo: Veníte ad me omnes, qui laborátis. Ubi laborátis nisi sub sárcinis peccatórum, nisi sub jugo iniquitátis? Veníte ergo ad me omnes, qui laborátis, et oneráti estis, et ego vos refíciam: ego qui feci, refíciam: ego, inquit, vos refíciam, quia sine me nihil potéstis fácere.

℟. Per manus. 51*

Lectio viii.

Quómodo vos refíciam? Tóllite jugum meum super vos, et díscite a me. Quid díscimus a te? Díscite a me, inquit; cum essem, in princípio apud Deum, creávi vos. Hoc nolo discátis a me; sed factus sum quod feci, ne períret quem feci. Quid tamen fecit propter te? Semetípsum exinanívit formam servi accípiens, in similitúdinem hóminum factus, et hábitu invéntus ut homo. Ecce propter te Deus factus est homo; et non te vis agnóscere, cum sis homo? Ecce propter te Deus factus est homo sine peccáto, et non vis agnóscere te cum peccáto, ut vénias ad illum, qui ait: Veníte ad me omnes, qui laborátis, et oneráti estis, et ego vos refíciam?

℟. Humiliávit. 51*

Lectio ix.

Tóllite jugum meum super vos. Tulísti hoc jugum? Dicis, Tuli. Sentis te habére sessórem? Séntio, inquis. Illi ergo dic: Gressus meos dírige secúndum verbum tuum. Regit te sub jugo suo, et sub sárcina sua. Ut enim sárcina ejus sit tibi levis, et jugum ejus suáve, ille tibi amórem inspirávit. Amánti suáve est, non amánti durum est. Amánti suáve est; Dóminus dedit suavitátem.

Te Deum laudámus.

Sexta die infra Octavam S. Francisci de Paula Conf.

Semiduplex.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Eminébant inter céteras Francísci virtútes humílitas, et patiéntia. Ad Generális dignitátem evéctus, ómnium se ínfimum quoad póterat exhibébat; et ad servília quæque múnia obeúnda, ut et céteris humilitátis præbéret exémplum, alácriter accurrébat. Discípulis discumbéntibus ministráre, paviménta vérrere, novitiórum induménta própriis mánibus ablúere, áliaque vilióra exercére ministéria in delíciis hábuit. Patiéntia fuit invícta, quam nec injúriæ, nec detractiónes, de gradu dejícere potuérunt. Non defuérunt obtrectatóres, qui conversatiónem ejus, ac novum institútum cárperent, et præsértim apud regem Neapolitánum criminaréntur. Omnia vir Dei patientíssimus æquíssimo ferébat ánimo; quin ex æmulis quosdam prodígiis ita convértit, ut qui ántea in illum impropéria congésserant, próprium conféssi errórem, beáti viri sanctitátem dignis póstea laúdibus efférrent.

℟. Duxit eum. 49*

Lectio v.

Fídei suæ, constantísque in Deo fidúciæ præstántiam vir sanctus óperum magnitúdine, et illústrium miraculórum frequéntia declarávit. Caritáte erga Deum flagrábat exímia; ejúsque solo pronuntiáto nómine prodígia edébat. Hinc facílitas orándi summa, et véluti fames, quam divínus amor acuébat. Ténero cordis afféctu próximum diligébat: ubicúmque dégeret, ómnia ómnibus factus, aliénis cómmodis sese libénter impendébat. Enítuit in eo inexplicábilis propagándæ Dei glóriæ, et proximórum promovéndæ salútis ardor. Hinc illa morum facílitas, qua omnes alliciébat; hinc illa mirífica loquéndi grátia, qua ad commovéndos ánimos ita váluit, ut nemo ad eum accésserit umquam, quin mellífluis ejus verbis delectátus, et incredíbili quadam sermónis dulcédine captus, et quasi divíno Spíritu replétus ab eo recésserit.

℟. Circa illum. 49*

Lectio vi.

Sanctíssimum Eucharístiæ Sacraméntum cultu præcípuo prosecútus est. In sacris ministériis nitórem amávit curavítque, nusquam libéntius morári visus, quam in ecclésia ubi erat Corpus Christi. Cujus causa sacerdótes máxime reverebátur, idéntidem illórum manus exosculári sólitus. Altera fere post médiam noctem hora templum adíbat, ducebátque oratiónem in horas plúrimas immótus, et sæpe cœlésti circumfúsus luce; inibíque plúribus quotídie Missæ sacrifíciis extérius ad insígnem pietátem compósitus, et mente intérius in Deum erécta interésse consuévit. Tantus autem contemplatiónis eum incendébat ardor, ut mente sæpe ad cœléstia rapta, totus in divínis meditándis mystériis absórptus, biduánam triduanámque inédiam solis cœli delíciis pastus non semel sustinúerit. La-

boriósis mánuum exercítiis ab oratiónis spíritu avélli vix póterat; dumque étiam in hórtulum, quem colébat, secéderet, vel orábat, vel oránti símilis videbátur.

℟. **Diláta locum. 50***

In **III.** Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 11.

In illo témpore: Respóndens Jesus dixit: Confíteor tibi Pater, Dómine cœli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Et réliqua.

Homilía sancti **Augustíni Epíscopi.**

Serm. 9. de verbis Domini.

Mirum quibúsdam vidétur, cum aúdiunt Dóminum dicéntem: Jugum meum lene est, et sárcina mea levis: et consíderant eos, qui jugum ipsum intrépida cervíce subiérunt, et illam sárcinam mansuetíssimis húmeris accepérunt, tantis agitári, et exercéri difficultátibus hujus sǽculi, ut non a labóribus ad quiétem, sed a quiéte ad labórem vocáti videántur: cum et Apóstolus dicat: Omnes qui volunt in Christo pie vívere, persecutiónem patiéntur. Ait ergo áliquis: Quómodo jugum lene est, et sárcina levis: quandóquidem illud jugum et sárcinam ferre nihil est áliud, quam pie vívere in Christo? Et quómodo dícitur: Veníte ad me omnes, qui laborátis, et oneráti estis, et ego refíciam vos, ac non pótius dícitur, Veníte, qui vacátis, ut laborétis? Sub illo jugo leni, et sárcina levi audiámus Apóstolum dícere: In ómnibus commendántes nosmetípsos, tamquam Dei minístros, in multa patiéntia, in tribulatiónibus, in necessitátibus, in angústiis, in plagis, et céteris perículis, quæ numerári quidem possunt, sed tolerári, nisi Spíritu sancto juvánte, non possunt.

℟. **Per manus. 51***

Lectio viii.

Omnia ergo illa, quæ commemorávit, áspera et grávia, frequéntius et abundántius sustinébat; sed profécto áderat ei Spíritus sanctus, qui in exterióris hóminis corruptióne interiórem renováret de die in diem; et gustáta réquie spiritáli in affluéntia deliciárum Dei, in spe beatitúdinis futúræ, ómnia præséntia deliníret áspera, et ómnia grávia relevàret. Ecce quam suáve jugum Christi portábat, et quam levem sárcinam, ut ómnia illa, quæ supérius enumeráta dura, et immánia omnis audítor horréscit, levem tribulatiónem díceret! Intuens interióribus et fidélibus óculis, quanto prétio temporálium eménda sit futúra vita, non pati ætérnos labóres impiórum, sed sine ulla sollicitúdine pérfrui ætérna felicitáte justórum.

℟. **Humiliávit. 51***

Lectio ix.

Omnia sæva et immánia, prorsus facília, et prope nulla éfficit amor. Quanto ergo cértius, ac facílius ad veram beatitúdinem cáritas facit, quod ad misériam, quantum pótuit, cupíditas facit? Quam fácile tolerátur quælibet advérsitas temporális, ut ætérna pœna vitétur, ætérna réquies comparétur!

Non immérito ille vas electiónis cum ingénti lætítia dixit: Non sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad superventúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. Ecce unde illud jugum suáve est, et sárcina lévis. Et si angústa est paucis eligéntibus, fácilis tamen ómnibus diligéntibus. Dicit Psalmísta: Propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras. Sed quæ dura sunt laborántibus, eísdem ipsis mitéscunt amántibus.

Te Deum laudámus.

Septima die infra Octavam

S. Francisci de Paula Conf.

Semiduplex.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Admirábiles sæpe in oratiónis suæ fervóre Francíscus écstases patiebátur. Multi illum sex cúbitis quandóque in sublíme elátum vidísse testáti sunt. Quin étiam Angelórum choros ad eum aliquándo descendísse, dulcissimísque spiríttuum cœléstium cánticis fuísse recreátum, arguménto sunt psalléntium in céllula concéntus audíti. Nec áliud in causa fuísse créditum est, quod semel Cárolum octávum, Gallórum regem, non admíserit, etsi ad óstium instárent minístri regem adésse nuntiántes, nisi quod Regis regum, et Dómini dominántium majestátem áltius contemplarétur. Multa divínitus in oratióne cœléstia dídicit arcána; spirituúmque discretiónis dono insígnis inexplorábiles consciéntiæ látebras noñúllis apéruit, occúltaque ac unis nota audiéntibus non semel patefécit.

℟. Duxit eum. 49*

Lectio v.

Inter cétera divíni Spíritus charísmata, quibus Francíscus abundávit, prophetíæ quoque dono illústris fuit. Multis honóres et dignitátes, nonnúllis extrémum diem, áliis próspera, áliis infaústa rerum evénta multo ante præsignávit. Constantinopolitáni impérii casum, imminéntes cathólicæ Ecclésiæ calamitátes, tum ália divérsi géneris mala atque succéssus prænuntiávit. Anno a Vírginis partu quadringentésimo octogésimo supra millésimum, Turcárum imperátor Hydrúntum in Tarentínis expúgnat, édita cæde cruentíssima oppressórum cívium. Victor bárbarus óbvia quæque depopulabátur, ac Itáliam univérsam terróre concússit. Id multo ante Francíscus víderat: et Ferdinándo primo Neapolitáno regi matúre denuntiáverat.

℟. Circa illum. 49*

Lectio vi.

At Ferdinándo rege impéndens malum mínime præcavénte, Francíscus, christiáno pópulo scélerum causa Deum irátum intélligens, ipsum placáre, et ímminens Itáliæ excídium avértere sollícitus, populáribus prius perículi admónitis, ad oratiónem et jejúnium se convértit. Itaque in cubículo clausus, et inédia macerátus, non prius déstitit, quam divínæ in pópulum misericórdiæ pignus accepísset. Tunc digréssus e céllula, omnes ad patiéntiam, animíque robur adhortátus, étiam ubi nulla futúræ

liberatiónis spes affulgébat, Barbarórum ab Itália depulsiónem prædíxit; nec sanctíssimi viri verbum defraudávit evéntus.

℟. Diláta locum. 50*

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 11.

In illo témpore: Respóndens Jesus dixit: Confíteor tibi Pater, Dómine cœli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus, et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Et réliqua.

De Homilía sancti Gregórii Papæ.

Lib. 24. Moral. cap. 22.

Hoc próprium esse spécimen electórum solet, quod de se semper séntiunt infra quam sunt. Hinc in Evangélio Dóminus dicit: Confíteor tibi, Pater, Dómine cœli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus, et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Nam quia íniquus quisque inferiórem se omnem quem cognóvit putat: e divérso justus studet, ut superiórem quémlibet próximum atténdat. Ac ne, dum se álii alter humíliat, humiliátio iret álteri in elatiónem, bene utrámque partem admónuit, dicens: Superióres sibi ínvicem arbitrántes: ut in cogitatiónibus cordis et ego mihi illum præferam, et vicíssim ille me sibi; ut cum ab utráque parte cor intérius prémitur, nullus ex impénso honóre sublevétur. ℟. Per manus. 51*

Lectio viii.

Sciéndum vero est, quod elátio álios ex rebus sæculáribus, álios vero ex spirituálibus póssidet. Alter namque intuméscit auro, alter elóquio, alter ínfimis et terrénis rebus, alter summis cœlestibúsque virtútibus. Aúdiant illi: Omnis caro fœnum, et glória ejus sicut flos fœni. Aúdiant et isti, quod quibúsdam post mirácula dícitur: Néscio vos unde sitis; discédite a me omnes operárii iniquitátis. Aúdiant illi: Divítiæ si áffluant, nolíte cor appónere. Aúdiant isti, quia fátuæ vírgines, quæ cum vácuis vásculis véniunt, ab intérnis núptiis excludúntur.

℟. Humiliávit. 51*

Lectio ix.

Rursum, quia áliter hæc elátio prælátos, atque áliter súbditos tentat; aúdiant illi quod per quemdam sapiéntem dícitur: Ducem te constituérunt? noli extólli, sed esto in illis quasi unus ex eis. Aúdiant isti: Obedíte præpósitis vestris, et subjacéte eis; ipsi enim pervígilant quasi ratiónem redditúri pro animábus vestris. Aúdiant illi, cum de accépta potestáte gloriántur, hoc quod de Abrahæ voce ardénti díviti dícitur: Meménto, fili, quia recepísti bona in vita tua. Aúdiant isti, cum contra rectóres suos in querélas prosíliunt, hoc quod murmuránti pópulo Móysi et Aaron vócibus respondétur: Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dóminum; nos enim quid sumus? Aúdiant illi: Turbabúntur in conspéctu ejus patris orphanórum, et júdicis viduárum. Aúdiant isti quid contra contumáciam subditórum dícitur: Qui resístit potestáti, Dei ordinatióni resístit. Te Deum laudámus.

Dominica III. post Pascha.

Octava

S. Francisci de Paula Conf.

Duplex.

Omnia ut in die festo, præter sequ.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Annum ætátis primum et nonagésimum Franciscus impléverat, cum diutúrna asperrimáque córporis maceratióne, ac sollícita órdinis institúti per annos septuagínta duos directióne debilitátus, in lentam febrem íncidit. Die sancto in Cœna Dómini suos, qui ex váriis provínciis et regnis tunc ad eum vénerant, convocávit; ad quos cum verba fáceret de voto quadragesimális abstinéntiæ, ignis ex æ̃neo fóculo subjéctas paviménti tábulas cœpit incéndere; quem ille mánibus prehénsum sústinens, ad circumstántes convérsus: Vere, inquit, vobis dico: Non est difficílius amánti, quod Deo vóverit, implére, quam mihi est hunc ignem mánibus tenére. Ad hæc verba omnes pédibus beáti Patris advolúti, se votum illud ad mortem usque observatúros, proféssi sunt: atque ille síngulos magna caritáte compléxus, quasi ab eis mox abitúrus, patérne benedíxit.

℟. Duxit eum. 49*

Lectio v.

Progréssi deínde ad ecclésiam ad Christi Corpus suméndum, post álios Franciscus accéssit; quod, cíngulo in collum ducto, atque in inferióri altáris gradu provolútus in génua, totus in lácrimas diffluens, et pectus fórtiter tundens, ita demísse suscépit, ut omnes ad insólitum devotiónis sensum excitáverit. Vespertínis horis, dum frátribus pedes ex more lavaréntur, intérfuit; cumque ad eum ventum esset: Dimítte, inquit, per caritátem, filíole, in crástinum; tunc ábluas non pedes modo, sed totum corpus, et caput. Póstera autem die in Parascéve, léctulo, quem duo ásseres decussáti præbébant, compósitus, inter astántium pias preces, Crucifíxi imáginem devóte compléxus ac deósculans, Dómine, inquit, Jesu Christe, Pastor bone, justos consérva, peccatóres justífica, ómnibus defúnctis miserére, et propítius esto mihi misérrimo peccatóri: sublatísque in cœlum óculis, eádem ferme hora, qua Christus pro nostra salúte spíritum emíserat, sanctus vir, nullo notábili dolóris aut mortis signo, obdormívit in Dómino Turónis in Gálliis, die secúnda Aprílis, anno millésimo quingentésimo séptimo.

℟. Circa illum. 49*

Lectio vi.

Vulgáta mortis Francísci fama, tantam utriúsque sexus, et omnis ætátis multitúdinem e própriis sédibus excívit, ut compósitum ad fúneris pompam corpus in ecclésiam exportári vix potúerit. Undécimo post die, quasi adhuc vivens, et suávem spirans odórem, sepultúræ tráditur; multísque ad ejus suffrágia confugiéntibus grátias elargíri omnípotens Deus, et magna mirácula palam operári dignátus est. Quibus, et virtútum splendóre motus Leo décimus Póntifex máximus, anno ab ejus óbitu tertiodécimo, illum in sanctórum

númerum rétulit. Ejus autem corpus, licet póstmodum perduélles hærétici flammis absúmere conáti fúerint, non ita tamen totum in cíneres abíre permísit Deus, quin áliqua superfúerint sacra ossa, quæ cum cinéribus collécta, et in eódem, quo prius, lóculo compósita, magno populórum concúrsu, ac singulári fidélium veneratióne celebrántur.

℟. Diláta locum. 50*

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 11.

In illo témpore: Respóndens Jesus dixit: Confíteor tibi Pater, Dómine cœli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus, et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Ex Lib. 34. Moralium.

Aúdiant omnes: Deus supérbis resístit, humílibus autem dat grátiam. Aúdiant omnes: Immúndus est apud Deum omnis qui exáltat cor suum. Aúdiant omnes: Quid supérbis, terra et cinis? Contra hujus languóris pestem audiámus cuncti, quod magístra Véritas docet, dicens: Díscite a me, quia mitis sum et húmilis corde. Ad hoc namque unigénitus Dei Fílius formam infirmitátis nostræ suscépit; ad hoc invisíbilis, non solum visíbilis, sed étiam despéctus appáruit; ad hoc contumeliárum ludíbria, irrisiónum oppróbria, passionúmque torménta tolerávit, ut supérbum non esse hóminem docéret húmilis Deus.

℟. Per manus. 51*

Lectio viii.

Quanta ergo humilitátis virtus est, propter quam solam veráciter edocéndam is, qui sine æstimatióne magnus est, usque ad passiónem factus est parvus! Quia enim oríginem perditiónis nostræ supérbia præbuit diáboli, instruméntum redemptiónis nostræ invénta est humílitas Dei. Hostis quippe noster magnus inter ómnia cónditus, vidéri super ómnia vóluit elátus. Redémptor autem noster magnus manens super ómnia, fíeri inter ómnia dignátus est parvus. Quia ígitur Redémptor noster corda regit humílium, et Levíathan rex dícitur superbórum, apérte cognóscimus, quod evidentíssimum reprobórum signum supérbia est, at contra humílitas electórum.

℟. Humiliávit. 51*

Lectio ix. de Homil. Dom. III. post Pascha et ejus commem. in Laudib. et II. Vesperis.

Die 4. Maji.

Translationis Brachii

S. Joannis Theristi Civ. Panorm.

Duplex.

Omnia ut in ejus die festo, die 26. Februarii. pag. 8*

Dominica II. Maji.

Translationis Corporis

S. Christinæ Virginis et Martyris Patr. princip. Urbis Panormi.

Duplex 2. classis.

Omnia de Communi Virg. et Mart., præter sequentia.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui infírma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas, concéde propítius, ut qui beátæ Christínæ Vírginis et Mártyris tuæ solémnia cólimus, ejus apud te patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

In I. Vesperis. Ad Magnif. Ant. **Ego diléсto meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília.**

In I. Nocturno Lectiones **Confitébor tibi Dómine.** de Comm. Virg. et Mart. 2. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Dum Regni Sicíliæ habénas tenéret Guillélmus Rogérii illústris regis fílius, et in cáthedra panormitána Ugo dignæ recordatiónis antístes sedéret, inter civitátis rectóres, non sine Dei consílio, disceptátum est de Sanctórum relíquiis. Qui conferebántur sermónes, movérunt ánimum nóbilis viri cómitis Hugónis, qui Molisánus appellabátur, et de pretióso múnere quod possidébat lætus, indicávit in terra ditiónis suæ, nempe in castro Sepíno, servári corpus sanctæ mártyris et vírginis Christínæ. Aúdiens hæc Póntifex Ugo cœpit ab eo diligénter inquírere, unde et ex quo témpore illud venerábile corpus, cum is locus passiónis suæ haud esset, delátum et cónditum crederétur.

℟. **Propter veritátem.**

Lectio v.

Quibus a Molisáno ex órdine audítis, panormitánus antístes obníxe rogat nóbilem virum, quátenus pro sua, suorúmque salúte, præfátas relíquias, quæ minus idóneo servabántur in loco, ad matrem ecclésiam panormitánam deferéndas concéderet. Ille se libénter factúrum dixit, sed impossíbile autumábat éxsequi posse ob rústicum pópuli ardórem, qui se prius perículo daret, quam sacris privári relíquiis paterétur. Sed Dómino auxiliánte, qui ómnia quæ vóluit fecit, id paucórum hóminum favóre et consílio perféctum est; nam secréto beatíssimum corpus a locéllo abdúctum Panórmum usque transmítti pótuit. Hinc clerus et pópulus univérsus óbviam processére hymnórum concéntu, cereórum, lampadarúmque splendóre. Tantum in húmili pago repértum thesaúrum in metropolitánam ædem reverénter advéctum in nóbili arca argéntea depósitum est ad glóriam Dei et Panormitánæ Civitátis perpétuum ornaméntum.

℟. **Dilexísti justítiam.**

Lectio vi.

In antíquis Castri Sepinénsis memóriis narrátur sacrum ejúsdem vírginis corpus Sepínum translátum fuísse a duóbus peregrínis fórsitan ex Gállia proféctis, declinánte sæculo undécimo; qui cum in Itáliam descendíssent, et ad civitátem apud lacum Volsínium perveníssent, audácter e sepúlchro in crypta basílicæ sito sacrum Christínæ corpus abstulérunt. Novíssimis hisce vero tempóribus, anno, scílicet, millésimo octingentésimo octuagésimo, prístinum beátæ Christínæ sepúlchrum in cryptis Volsiniénsibus repértum est, in quo recóndita erat minor urna marmórea cum

epígraphe sæculi undécimi, cóntinens ossa quæ post córporis furtum ibi remánserant. Evéntum magna solemnitáte celebrátum luculéntius osténdit majórem córporis partem illinc fuísse ablátam, eáque Urbem Panormitánam exstitísse ditátam.

℟. **Afferéntur Regi.**

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus.** de Comm. Virg. 1. loco.

Ad Bened. Ant. **Liberásti me a rugiéntibus præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, et a pressúra flammæ, quæ circúmdedit me.**

In II. Vesperis. Ad Magnif. Ant. **Deo autem grátias, qui dedit mihi victóriam per Dóminum nostrum Jesum Christum.**

Die 5. Maji.

S. Angeli Presbyteri et Martyris Ordinis Carmelitarum.

Duplex majus pro Diœc. Panormitana: sed Duplex pro Diœcesi Agrigentina.

Omnia de Communi unius Mart. temp. Pasch., præter sequ.

Oratio.

Plebs tua, Dómine, beáti Sacerdótis et Mártyris tui Angeli, te glorificatióne sanctíficet: et eódem semper precánte, te mereátur habére rectórem. Per Dñm.

In I. Nocturno.

De Epístola secúnda beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio i. Cap. 5.

Scimus enim, quóniam si terréstris domus nostra hujus habitatiónis dissolvátur, quod ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufáctam, ætérnam in cœlis. Nam et in hoc ingemíscimus, habitatiónem nostram, quæ de cœlo est, superíndui cupiéntes: si tamen vestíti, non nudi inveniámur. Nam et qui sumus in hoc tabernáculo, ingemíscimus graváti: eo quod nólumus exspoliári, sed supervestíri, ut absorbeátur quod mortále est a vita. Qui autem éfficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus spíritus. Audiéntes ígitur semper, sciéntes quóniam, dum sumus in córpore, peregrinámur a Dómino (per fidem enim ambulámus, et non per spéciem). Audémus autem, et bonam voluntátem habémus magis peregrinári a córpore, et præséntes esse ad Dóminum. Et ídeo conténdimus, sive abséntes, sive præséntes, placére illi.

℟. **Beátus vir.**

Lectio ii.

Omnes enim nos manifestári opórtet ante tribúnal Christi, ut réferat unusquísque própria córporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. Sciéntes ergo timórem Dómini, homínibus suadémus, Deo autem manifésti sumus. Spero autem et in consciéntiis vestris maniféstos nos esse. Non íterum commendámus nos vobis, sed occasiónem damus vobis gloriándi pro nobis: ut habeátis ad eos, qui in fácie gloriántur, et non in corde. Sive enim mente excédimus, Deo: sive sóbrii sumus, vobis. Cáritas enim Christi urget nos: æstimántes hoc, quóniam si unus pro ómnibus mórtuus est, ergo omnes mórtui sunt: et pro ómnibus mórtuus est Christus: ut, et qui vivunt, jam

non sibi vivant; sed ei qui pro ipsis mórtuus est, et resurréxit.

℟. Tristítia vestra.

Lectio iii.

Itaque nos ex hoc néminem nóvimus secúndum carnem. Etsi cognóvimus secúndum carnem Christum: sed nunc jam non nóvimus. Si qua ergo in Christo nova creatúra, vétera transiérunt: ecce facta sunt ómnia nova. Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliávit sibi per Christum: et dedit nobis ministérium reconciliatiónis. Quóniam quidem Deus erat in Christo, mundum reconcílians sibi, non réputans illis delícta ipsórum, et pósuit in nobis verbum reconciliatiónis. Pro Christo ergo legatióne fúngimur, tamquam Deo exhortánte per nos. Obsecrámus pro Christo, reconciliámini Deo.

℟. Pretiósa in conspéctu.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Angelus nobílibus, sed infidélibus paréntibus Jerosólymis natus, quanta futúrus esset sanctitáte conspícuus, Deíparæ Vírginis vísio præmonstrávit: quæ, patri simul, et matri ante ejus ortum appárens, nascitúram prolem, ac nomen, quo vocarétur, prænúntians, illos ad Christi fidem amplecténdam addúxit. Adoléscens philosophía, et sacris lítteris egrégie excúltus, cum décimum octávum ágeret annum, sacro ejúsdem beatíssimæ Vírginis de Monte Carmélo institúto seípsum dicávit: ubi mira orándi assiduitáte, ac jugi córporis afflictatióne vitam pene duxit angélicam. Nam férreo indútus cilício, castigábat corpus suum, et in servitútem redígere satagébat: quin, interdícto sibi cárnium ac lactis usu, ad panem et aquæ potum vix áliquid herbárum, aut legúminum intérdum adjungébat: noctes pene totas sæpe ducébat insómnes; ac, si quando requiéscere eum necéssitas compellébat, humi tantum cubáre assolébat. Intérdiu præter quotidiánum divíni Offícii pensum, crebrásque precatiónes, Psaltérium íntegrum flexis génibus recitábat.

℟. Lux perpétua.

Lectio v.

Obediéntia, humilitáte, castitáte, ceterísque religiósi hóminis virtútibus excéllens, prædicatiónis suscépit offícium, atque ad animárum salútem procurándam se totum impéndens, ingéntem Judæórum cópiam ad christiánam fidem (Dómino cooperánte, et servi sui sermónes sequéntibus signis confirmánte) perdúxit: plures leprósos, e peccatórum cœno sua prius ópera emergéntes, mirabíliter mundávit: dæmones ab obséssis corpóribus frequénter dejécit: loquéla mutum, surdos áliquot audítu, aliósque váriis affectos languóribus, ac morti próximos, sanitáte donávit. Sed cum virtútum ejus fama longe latéque manáret, multíque ad eum pietátis stúdio conflúerent, véritus, ne quis sensim glóriæ in se germináret afféctus, in sacram secéssit solitúdinem: ubi quinquénnio, meditatiónibus sanctis, ac delíciis pastus ætérnis, latitávit.

℟. In servis suis.

Lectio vi.

Ex illis látebris, divíno mónitu, egrédiens, cum Itáliam versus navigáret, et óbviam repénte Sarracenórum irruéntium manum prospíceret, ad oratiónem íllico confúgit, ac cœ́litus ignem, quo appropinquántes ímpios perterréret, impetrávit; quorum nonnúllis oculórum usum adémptum, ubi christiánam fidem sunt ampléxi, orándo restítuit. Plures exínde urbes, atque óppida percúrrens, innúmeros e diáboli servitúte érutos, in filiórum Dei libertátem asséruit. Leocátam dénique in Sicília pervéniens, cum nefários hóminum mores, gliscentésque hǽreses verbis suis, atque exémplis increpáre non desísteret, ab hæréticis, dum ad sacram incúmberet conciónem, ob cathólicæ fídei defensiónem trucidátus est. Invícti Mártyris corpus divína repénte lux circumfúlsit, statímque angélici cantus fuérunt audíti, ac suavíssimus e beáto illo córpore odor efflávit.

℟. Fíliæ Jerúsalem.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 19.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Ex Homilia 37. in Evang.

Quid est, quod dícimus: Relinquámus et nos? Si enim nosmetípsos relínquimus, quo íbimus extra nos? Vel quis est, qui vadit, si se déserit? Sed áliud sumus per peccátum lapsi, áliud per natúram cónditi: áliud quod fécimus, áliud quod facti sumus. Relinquámus nosmetípsos, quales peccándo nos fécimus, et maneámus nosmetípsi, quales per grátiam facti sumus.

℟. Ego sum vitis.

Lectio viii.

Ecce enim, qui supérbus fuit, si convérsus ad Christum húmilis factus est, semetípsum relíquit. Si luxuriósus quisque ad continéntiam vitam mutávit, abnegávit útique quod fuit. Si avárus quisque ambíre jam désiit, et largíri dídicit própria, qui prius aliéna rapiébat, proculdúbio semetípsum relíquit. Ipse quidem per natúram, sed non est ipse per malítiam. Hinc enim scriptum est: Verte ímpios, et non erunt. Convérsi namque ímpii non erunt: non quia non erunt omníno in esséntia, sed scílicet non erunt in impietátis culpa.

℟. Cándidi facti.

Lectio ix.

Pensémus, quómodo se Paulus abnegáverat, qui dicébat: Vivo autem jam non ego. Exstínctus namque fúerat sævus ille persecútor, et vívere cœ́perat pius prædicátor. Si enim ipse esset qui prius, pius profécto non esset: sed qui se vívere dénegat, dicat: Vivo autem jam non ego. Unde et post sancta verba, quæ per doctrínam Veritátis clamat, prótinus subdit: Vivit vero in me Christus. Ac si apérte dicat: Ego quidem a meípso exstínctus sum, quia carnáliter non vivo; sed tamen essentiá-

liter mórtuus non sum, quia in Christo spirituáliter vivo.

Te Deum laudámus.

Die 10. Maji.

Ss. Alphii, Philadelphi et Cyrini Martyrum.

Duplex.

Omnia de Communi plurim. Mart. temp. Pasch., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Alphii, Philadélphi, et Cyríni natalítia cólere: da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Et fit commemor. Ss. Gordiani et Epimachi Mart.

Ant. Fíliæ Jerúsalem. ℣. Pretiósa.

Oratio.

Da, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, qui beatórum Mártyrum tuórum Gordiáni et Epímachi solémnia cólimus, eórum apud te intercessiónibus adjuvémur. Per Dóminum nostrum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Ex Metaphraste, Codice Cryptæ Ferratæ, et Menologio.

Lectio iv.

[redacted]lphius, Philadélphus, et Cyrínus, nóbiles Váscones, sanctæ Benedíctæ Mártyris, et beáti Vitális fílii, in persecutióne Décii imperatóris propter Jesu Christi religiónem comprehénsi sunt cum Onésimo magístro, Erásimo nepóte, et soróre, ac trédecim condiscípulis. Quumque coram júdice constantíssime Christum confiteréntur, ejus mandáto totum diem capíllis appénsi, a sancto propósito dimovéri nullo modo potuérunt. Inde vincti Romam perducúntur ad Décium; qui profectúrus contra Persas, Licínio Valeriáno eos commíttit. In cárcere a sanctis Apóstolis Petro et Paulo ad sufferénda supplícia per visum confirmántur, et a vínculis, quibus astrícti erant, liberántur. Dénique cum neque minis terréri, neque pollicitatiónibus flecti potuíssent, boum nervis jussi sunt acérrime verberári: quod torméntum æquo et forti ánimo tolerárunt.

℟. Lux perpétua.

Lectio v.

Póstea ducti Putéolos, Diomédi præfécto sistúntur, sub quo Onésimus quidem, et álii trédecim martýrio coronántur, sanctis vero frátribus lapídibus ora tundúntur. Tum Valeriáni mandáto ad Tertíllum, Sicíliæ prǽsidem, delegántur. Hic primum Tauroménii eórum fidem exáminat: sed cum suasiónibus mínime locum dari intellígeret, cápite abrásos, pice, ac plumbo íllitos, et ingénti jugo gravátos, Leontínos præmíttit: sed in via a moléstis ómnibus divínitus liberáti sunt. Post advéntum prǽsidis fústibus non semel cædúntur; férreis uncínis excarnificántur; clavis ignítis calceáti, multam viam ambuláre cogúntur; pédibus suspénsi, subjécto fumo discruciántur; liquátis plumbo et pice tértio perfundúntur; nudi, et fúnibus tracti, per urbem raptántur, et diútina fame, fœdo cárcere, grávibus compédibus sæpíssime vexántur. Quibus, et áliis círciter duos annos superátis cruciátibus, tamquam

igne aurum, eórum virtus magis elúxit. ℟. In servis suis.

Lectio vi.

At sanctórum adolescéntium exémplo et verbo, Epiphánia et Euthália, nóbiles féminæ, vigínti mílites, qui eos custodiébant, Hebræi multi, Cleónicus, et Stratónicus, martýrii palmam adépti sunt. Sanctus Neóphytus étiam, quondam Tertílli consiliárius, eórum ópera ad christiánam fidem convérsus, deínde fuit epíscopus Leontínus miráculo consecrátus. Nec eis défuit prophetíæ donum, aut miraculórum virtus: nam futúra ómnia ecclésiæ Leontínæ prædixérunt; energúmenum liberárunt, sanctam Theclam, Isidóræ mártyris fíliam, sex annis parálysi laborántem, incolumitáti restituérunt; sanctam Justínam áltero captam óculo sanárunt: et dæmones ab urbe visibíliter expulérunt. Ac postrémum tyránnus, perspécta illórum constántia, sexto Idus Maji, mandat Alphio linguam uncínis extráctam proscíndi; unde máxima prorumpénte sánguinis cópia, spíritum efflávit; Philadélphus in cratícula reclinátus, subjéctis torrétur prunis; Cyrínus vero in fervéntem plumbi, resínæ, picísque lebétem ultro prolábitur. Sicque invictíssimi fratres, solúto spíritu, ad laúreas in cœlum evolárunt.

℟. Fíliæ Jerúsalem.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 10.

In illo témpore: Convocátis Jesus duódecim Apóstolis, dedit illis virtútem et potestátem super ómnia dæmónia, et ut languóres curárent. Et réliqua.

Homilía S. Ambrósii Epíscopi.

Lib. 6. in cap. 9. Lucæ, initio.

Qualis débeat esse qui evangelízet regnum Dei, præcéptis evangélicis designátur: ut sine virga, sine pera, sine calceaménto, sine pane, sine pecúnia, hoc est, subsídii sæculáris adminícula non requírens, fidéque tutus putat sibi, quo minus ea requírat, magis posse suppétere. Quæ possunt, qui volunt ad eum deriváre tractátum, ut spiritálem tantúmmodo locus iste formáre videátur afféctum: qui velut induméntum quoddam videátur córporis exuísse, non solum potestáte rejécta, contemptísque divítiis, sed étiam carnis ipsíus illécebris abdicátis.

℟. Ego sum vitis.

Lectio viii.

Quibus primo ómnium datur pacis, atque constántiæ generále mandátum, ut pacem ferant, constántiam servent, hospitális necessitúdinis jura custódiant, aliénum a prædicatóre regni cœléstis ástruens, cursitáre per domos, et inviolábilis hospítii jura mutáre. Sed ut hospítii grátia deferénda censétur, ita étiam, si non recipiántur, excutiéndum púlverem, et egrediéndum de civitáte, mandátur.

℟. Cándidi facti.

Lectio ix. de Ss. Gordiano et Epimacho Mart. ut in Breviario. Si vero transferatur, dic. sequ.

Lectio ix.

Quo non medíocris boni remunerátio docétur hospítii: ut non solum pacem tribuámus ho-

spítibus, verum étiam, si qua eos terrénæ obúmbrant delícta levitátis, recéptis Apostólicæ prædicatiónis vestígiis, auferántur. Nec otióse, secúndum Matthǽum, domus, quam ingrediántur Apóstoli, eligénda decérnitur, ut mutándi hospítii, necessitudinísque violándæ causa non súppetat. Non tamen éadem caútio receptóri mandátur hospítii: ne, dum hospes elígitur, hospitálitas ipsa minuátur.

Te Deum laudámus.

Pro cómmem. Ss. Gordiani et Epimachi Mart.

Ant. **Lux perpétua.** ℣. **Sancti et justi.** Oratio ut supra. 70*

Die 11. Maji.

S. Francisci de Hieronymo

Conf. Soc. Jesu.

Ex Decr. S. R. C. die 4. Junii 1806.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 12. Maji.

S. Philippi Diaconi Civis Panorm.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter sequ.

Oratio.

Excita, Dómine, in Ecclésia tua spíritum, cui beátus Philíppus servívit, ut eódem nos repléti, studeámus terréna cuncta despícere, et sola cœléstia semper inquírere. Per Dóminum.

In I. Noct. Lect. de Script. occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Philíppum Panórmi ortum paréntes, jámdiu stériles, précibus sancti Philíppi Agyrénsis a Deo impetrátum, octávo ætátis ejus año Agyram Sicíliæ urbem detulérunt, ut ejúsdem sancti viri mánibus sacrátius cúltui divíno manciparétur. Sancti viri benedictióne accépta, puer una cum paréntibus Panórmum revértitur, ac póstea ab Epíscopo Panormitáno inter Diáconos ascítus, toti clero morum sanctitáte præfúlsit. Paréntibus mórtuis, ipse bonis in paúperes distribútis, Agyram réddiit, ubi sub disciplína sancti Philíppi appríme institútus, ita in virtútibus profécit, ut brevi ad christiánæ perfectiónis fastígium pervénerit; ac tandem consummáto vitæ currículo, die duodécima Maji spíritum Deo réddidit. Ejus corpus prope suum præceptórem religióse tumulátum, parem cum illo cultum obtínuit. Hinc Leo décimus tértius Póntifex Máximus anno millésimo octingentésimo octogésimo octávo Offícium cum Missa in Philíppi honórem jámdiu recitári sólitum ratum hábuit, ac die décima secúnda Maji ritu dúplici celebrári permísit.

℟. **Honéstum fecit.**

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Lectio v.

Beáti Philíppi dies, cujus festivitátem celebrámus, ad ipsíus recte factórum enarratiónem linguam nostram evocávit, síquidem hódie Beátus iste ad tranquíllam omnísque perturbatiónis expértem vitam tránsiit, eóque navígium áppulit, ubi deínceps non póterit metúere naufrágium, nec ullam ánimi perturbatiónem aut dolórem. Et quid mirum est, si locus ille purus

est ab omni moléstia ánimi, cum Paulus homínibus adhuc in hac vita degéntibus loquens, dicat: Semper gaudéte, sine intermissióne oráte?

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

Quod si hic, ubi morbi, ubi insectatiónes, ubi præmatúræ mortes, ubi calúmniæ, ubi invídiæ, ubi perturbatiónes, ubi iræ, ubi cupiditátes, ubi innumerábiles insídiæ, ubi quotidiánæ sollicitúdines, ubi perpétua sibíque succedéntia mala sunt, innúmeros ex omni parte dolóres afferéntia, Paulus dicit fieri posse, ut semper gaudeámus, si quis paúlulum ex rerum mundanárum flúctibus eréxerit caput, vitámque suam recte composúerit: multo magis, postquam hinc demigravérimus, fácile cómpotes érimus ejus boni, cum hæc ómnia subláta fúerint advérsa, valetúdo, morbi, peccándi matéria, ubi non est meum ac tuum, frígidum illud verbum, et quidquid est malórum in vitam nostram ínvehens, innumeráque gignens bella.

℟. Iste homo.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Et réliqua.

Homilía sancti Petri Chrysólogi.

Prǽmia statuúntur iis semper, quibus certámina dura proponúntur, ac pro magnitúdine certáminis prǽmii propónitur magnitúdo. Hinc est, quod discípulis suis Christus regnum ponit in prǽmio, ut in certámine non cedant perículis, non timóri. Perícula déspicit, qui tendit ad regnum; victóriæ cúpidus nescit timére. Nolíte, inquit, timére pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Grex pusíllus mundo, magnus Deo: pusíllus, quia glorióso vocat eos, quos instítuit ad óvium innocéntiam, et mansuetúdinem christiánam: pusíllus grex est, qui non de magno minúitur, sed crescit de pusíllo: pusíllus grex nascéntis Ecclésiæ sic desígnat infántiam, quam veníre ad regni sui ínsulas increméntis cœléstibus mox promíttit.

℟. Iste est, qui.

Lectio viii.

Adjécit quid faciéndum sit regnatúris: Véndite quæ possidétis. Non potest dominári ómnibus, nisi is, qui própriis non tenétur. Dejéctæ mentis est, qui familiáris rei méminit, cum vocátur ad regnum; jacens ánimus plebéjus númmulum thesaúris regálibus antepónit; pauper sensus parvis íncubans perdit magna, et ínhians temporálibus, déserit sempitérna. Homo, tali mónitu Christus te ditáre vóluit, non nudáre; manére tibi tua vóluit, non períre; perpetuári, non vacuári sácculos imperávit; jussit te transférre, non pérdere. Plus consílio patris agit, quam jure dominántis. Inter insídias latrónum et tineárum morsus, quare tua recóndas, objúrgat; pervígiles noctes, dies ánxios, sollícita témpora ne tibi

ipse fácias, commonéris. Auri custos, servátor argénti securitátem non habet, nescit quiétem; et cui deest secúritas, quies perit; pœna dives est ille, non censu.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Thesaúrum non deficiéntem in cœlo; hoc est dícere: Ubi ego sum, ibi pónite: date mihi, ego servo. Homo, da patri, crede Deo; quia et hærédi pater, et Deus hómini créditum non negábit; tenére tua non potest, qui sua dedit. An humánis índiget, qui divína largítur? An est nostrórum cúpidus, qui nos suórum fecit hærédes? Certe quibus regnum cóntulit, quid negábit? O homo, si hic permansúrus es, quæ tua sunt, hic repóne; si illuc itúrus es, hic, quæ tua sunt, cur derelínquis? Qui relinquénda servat, alienórum custos est, non suórum? Heu quam lamentándæ vices, quando desperáti penes hómines possidébunt spem divínam: et humánis bonis prǽditi, bonis cœléstibus fraudabúntur! Et hoc facit thesaúrus, qui cor hóminis aut per eleëmósynam levat ad cœlum, aut per avarítiam demérgit in terram.

Te Deum laudámus.

Die 14. Maji.

(Pro Diœc. Calatanisiadensi.)

S. Cataldi Episcopi et Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pontif., præter sequentia.

Oratio.

Propitiáre nobis, quǽsumus, Dómine, fámulis tuis per beáti Catáldi Confessóris tui, atque Pontíficis mérita gloriósa: ut ejus pia intercessióne, ab ómnibus semper muniámur advérsis. Per Dñm.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Catáldus Hibérnus óppido Monóniæ Catáldo honéstis paréntibus natus, ab infántia Dei prævéntus benedictióne, sanctitátis indícia præbuit. Adoléscens liberálibus disciplínis erudítus, ad eam brevi doctrínæ excelléntiam pervénit; ut ad ipsum audiéndum Galli, Angli, Scoti, Teutónes aliíque finitimárum illárum regiónum quamplúrimi Lesmótiam convenírent. Sed cum sciéntiárum ómnium notítiam, nisi sincéro cordis afféctu puróque mentis intúitu ac pietáte in Deum fulcirétur, inánem esse dúceret, totum se ad Christi cultum, et imitatiónem convértit. Qua in exercitatióne tantum profécit, ut brevi, et christiánis virtútibus clarére, et miráculis coruscáre cœpísset. Is enim cum in honórem beátæ Maríæ, summa erga Dei matrem devotióne afféctus, Ecclésiam fabricári fáceret; púerum, qui in ea ædificatióne confráctus exspiráverat, manu sublevávit, et patri vivum integrúmque restítuit. Cujus miráculi fama permótus miles, cui et fílius mórtuus fúerat, eum quoque ad virum sanctum (qui tunc forte in imo erat fundaménti Ecclésiæ, quod fodiebátur) détulit. Cui Catáldus: Numquid Deus ego sum, inquit, qui possim mórtuos vivificáre? Cumque ille persevé-

rans féretrum prope fossam fundaménti posuísset, dum sanctus terram e fundaménto prójicit, púlvere cadáver aspérsum statim revíxit. Quamóbrem miles íllico regem adit, eíque tantum miráculum núntiat. Qui cum mágicis ártibus illud tribúeret, Catáldum comprehéndi, et caténis cinctum in cárcerem trudi jubet.

℟. Invéni David.

Lectio v.

At noctu duo Angeli per visum regi astitérunt; unus ei mortem propter Catáldum vinctum mínitans: alter véniam promíttens, si ducátum Meltrídis ducis tunc mórtui Catáldo donet. Expergefáctus rex; dum uxóri visum narrat, núntius mortis Meltrídis advénit. Rei evéntu térritus rex Catáldum íllico solvi, et ad se perdúci ímperat. Cumque véniam ab eo petiísset, eum rogat, ut episcopátum Rachau accípiat, cui et ducátum Meltrídis donat. Itaque ducátum sanctus Catáldus in duódecim episcopátus distríbuens, de suo episcopátu archiepiscopátum fecit. Cumque univérsam Rachau provínciam sua prædicatióne ad Christi fidem perduxísset, Hierosólymam, ut gloriósum Dómini sepúlchrum invíseret, proféctus est. Ibi viso Dómini sepúlchro, et incunábulis, ac sanctis locis perlustrátis, cum reversiónem parat, in somnis admónitus est, ut Taréntum, ubi Petrus Apóstolus, et ejus discípulus Marcus primum Christi fidem prædicáverant, proficiscerétur. Divíno ígitur jússui asséntiens, navim conscéndit. In qua navigatióne nautæ exstíncto, qui alte cecíderat, vitam restítuit; et máximam tempestátem, quam ántea prædíxerat, oratióne sedávit: Taréntum cum pervenísset, puéllæ mutæ in villa Fellína loquélam, auditúmque réddidit. Cumque Tarénti in porta cæcus ei a nativitáte occurrísset, beátus Catáldus illum, cujúsnam religiónis essent illíus urbis íncolæ, intérrogat. Cui respóndit cæcus, patres nostri olim christiáni erant: nam pauci sunt, qui Christi fidem téneant. Et sanctus Catáldus, Tu fili, inquit, christianúsne es, an pagánus? At ille: Numquam me áliquis hanc Christi fidem dócuit. Cui sanctus Catáldus: Si toto corde credíderis in Deum Patrem, et Fílium, et Spíritum sanctum, et eo nómine baptizátus fúeris, accípies íllico córporis, et ánimæ claritátem. Respóndit cæcus: Credo, Dómine, festína me baptizáre. Et beátus Catáldus, accépta aqua, eum baptizávit. Qui statim visum recépit. Is cum hómines vidísset, compelláre eos cœpit: Veníte, ínquiens, et vidéte hóminem, qui sacro baptísmate lumen mihi præstitit oculórum. Quo cum plúrimi convenı́ssent, beátus Catáldus órdine cœpit illis Christi fidem explicáre, quam olim Petrus Apostolórum princeps, et Marcus ejus discípulus in eádem urbe prædicáverant. Et cum hóminum multitúdo in dies ex finítimis civitátibus Taréntum ad sanctum Catáldum veníret, ejus doctrína et miráculis permóti quamplúrimi baptísmi Sacraméntum suscepérunt.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Itaque brevi sanctus Epíscopus eam urbem ad Christi cultum perdúxit. Clerum ibi instítuit. Presbýteros, diáconos et aliórum órdinum cléricos per óppida et villas ordinávit. In ecclésia assíduus erat. Víduis, pupíllis, et míseris ómnibus, ope, consílio non déerat: cum tamen proptérea a prædicatióne verbi Dei, et oratióne numquam cessáret, seque totum omni sollicitúdine, et caritáte curæ pastorâli impénderet. Igitur cum diu illi ecclésiæ præfuísset, et aliquándo infirmitáte corréptus, sui córporis dissolutiónem imminére cognósceret, convocátis cléricis, alíisque probátis viris, sic eos allocútus est: Scitis, fratres caríssimi, me non fortúito ad hanc urbem applicuísse, sed cum essem Hierosólymis, dignátus me est Dóminus meus Jesus Christus álloqui, et in mandátis mihi dare, ut ad hanc urbem, ubi Apóstolus ejus Petrus una cum Marco ejus discípulo fídei fundaménta jécerat, me conférrem. Párui mandátis. Veni in hanc urbem, prístinam Apóstoli fidem jam abólitam, Dómino cooperánte, restítui. Non cessávi christiánis præcéptis vos imbúere; et in sancta conversatióne, forma gregis factus, detinére. Nec quidquam subterfúgi, quóminus viam Dómini demonstrárem vobis. Et nunc scio, quod post mortem meam invádent vos hærétici lupi rapáces, devastántes gregem. Advérsus hujúsmodi accíngite vos, suméntes arma justítiæ, et scutum fídei, quod est verbum Dei. Post discéssum meum plebem in fide, quam illos Petrus Apóstolus dócuit, confirmáte, mémores labórum, et vigiliárum meárum. Dilígite altérutrum, et in caritáte perfécti estóte. Corpúsculum meum, cum mortáli hac vita functus fúero, in loco sancti Joánnis in Galiléa majóris ecclésiæ, Oriéntem versus, sub terra christiáno more sepelíte, futúræ illud resurrectióni reservántes. Hæc dixit, et sumptis ómnibus, quæ decedéntibus conférri solent, sacraméntis, beáta illa ánima carne solúta est, octávo Idus Mártii. Deductóque ad ecclésiam córpore, magnus eo concúrsus factus est pópuli, et omnis géneris languidórum, qui omnes tactu sancti córporis curabántur. Celebrátis deínde divínis offíciis, in loco per ipsum sub terra designáto honorífice cónditum est, constrúcto désuper miri óperis marmóreo sepúlchro. ℟. Iste est.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Vigiláte. de Comm. Conf. Pont. 2. loco.

Die 16. Maji.

S. Joannis Nepomuceni Mart.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis eadem die 2. loco.

Die 19. Maji.

B. Augustini Novelli Conf.

Duplex.

In I. Vesperis.

Antiph. et Capit. de Laud. 81*; Ps. ut in I. Vesp. de Comm. Apost.

Hymnus.

Quod micans sidus, ténebris
fugátis,
Lucis effúndit rádios benígnæ?
Quod novum præbet spécimen
nitóris
Inclyta Himéra?

Quippe Matthǽus, generóso avórum
Sánguine edúctus, míseris levámen
Náscitur, lucem et réferens, avérni
Díssipat umbras.

Sǽculi mores mínime secútus,
Vix puer cœli spátium cucúrrit,
Cáritas illum movet, et supérbis
Nóxia virtus.

Lítteris cultus, pátria recédens,
Italas oras petit, atque legum
Non rudis, recte pópulos gubérnat,
Jura minístrans.

Scílicet Numen dedit esse doctum,
Mundo uti spreto, melióra nactus
Víveret, castum rétinens pudórem,
Paúpere tecto.

Sédibus tandem súperis, Deíque
Lætus obtútu, fáciles suórum
Cívium semper, patriǽque votis,
Applicat aures.

Sit salus summum Moderánti Olýmpum,
Glória et Nato, qui hómines redémit,
Et Paracléto, qui ab utróque prodit,
Omne per ævum.
Amen.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Qui humiliátus fúerit, erit in glória, et qui inclináverit óculos, ipse salvábitur, allel.

Oratio ut infra ad Laud. 82*

Et fit commem. S. Pudentianæ Virg.

Ad Matutinum.

Invit. Regem Confessórum Dóminum, * Veníte, adorémus, allel.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus.

Laudes fert ánimus pángere cánticis,
Augustíne, tuas, nomen et ínclytum,
Solámen míseris, justítiæ decus,
Gentis præsídium tuæ.

Artus vix ánimat Spíritus íntegros,
En virtus spécimen nóbile prǽbuit:
Fervens fulsit amor, ráraque cástitas,
Et morum alma suávitas.

O quam tunc mícuit lux sapiéntiæ
Admiránda tuæ! Sol velut ǽtheris
Inter densa licet, concédere cóncupit
Vili mens húmilis loco.

Novit ingénium Parthénope tuum,
Novit Trinácriæ littus, et íncolæ
Rósiæ célebrant, alma tui parens
Himéra, et Capitólium.

Norunt Pontíficum sacra, vel ássides
Minístrans pópulis jura, vel árbiter
Astas princípibus, prótegis ímpigro
Vel pressum cálamo órdinem.

Fulgens conspícuis úndique honóribus,
Non inflas túmida corda supérbia:
Fis cunctis fácilis, fis pátiens reis,
Fis spes, nórmaque débili.

Sanctæ sit Tríadi laus, honor, et salus,
Quam laudat vénerans cœlícolum chorus,
Horrent tartárei límina príncipis,
Et mortále genus colit. Amen.

Ant. et Psalmi ut in Comm. Conf. non Pont.

In I. Nocturno.

De libro Sapiéntiæ.

Lectio i. Cap. 7. et 8.

Néminem díligit Deus, nisi eum, qui cum sapiéntia inhábitat. Est enim hæc speciósior sole, et super omnem dispositiónem stellárum, luci comparáta invenítur prior. Illi enim succédit nox, sapiéntiam autem non vincit malítia. Attíngit ergo a fine usque ad finem fórtiter, et dispónit ómnia suáviter. Hanc amávi et exquisívi a juventúte mea, et quæsívi sponsam mihi eam assúmere, et amátor factus sum formæ illíus. Generositátem illíus gloríficat, contubérnium habens Dei: sed et ómnium Dóminus diléxit illam: doctrix enim est disciplínæ Dei, et eléctrix óperum illíus.

℟. Euge, serve.

Lectio ii.

Et si divítiæ appetúntur in vita, quid sapiéntia locuplétius, quæ operátur ómnia? Si autem sensus operátur: quis horum, quæ sunt, magis quam illa est ártifex? Et si justítiam quis díligit, labóres hujus magnas habent virtútes. Sobrietátem enim et prudéntiam docet, et justítiam, et virtútem, quibus utílius nihil est in vita homínibus. Et si multitúdinem sciéntiæ desíderat quis, scit prætérita, et de futúris ǽstimat: scit versútias sermónum, et dissolutiónes argumentórum: signa, et monstra scit, ántequam fiant, et evéntus témporum, et sæculórum. ℟. Justus germinábit.

Lectio iii.

Propósui ergo hanc addúcere mihi ad convivéndum: sciens quóniam mecum communicábit de bonis, et erit allocútio cogitatiónis, et tǽdii mei. Habébo propter hanc claritátem ad turbas, et honórem apud senióres júvenis, et acútus invéniar in judício; et in conspéctu poténtium admirábilis ero, et fácies príncipum mirabúntur me. Tacéntem me sustinébunt, et loquéntem me respícient, et sermocinánte me plura, manus ori suo impónent. Prætérea habébo per hanc immortalitátem, et memóriam ætérnam his, qui post me futúri sunt, relínquam. Dispónam pópulos, et natiónes mihi erunt súbditæ. Timébunt me audiéntes reges horréndi, in multitúdine vidébor bonus, et in bello fortis. Intrans in domum meam, conquiéscam cum illa. Non enim habet amaritúdinem conversátio illíus, nec tǽdium convíctus illíus, sed lætítiam, et gaúdium.

℟. Iste cognóvit.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Augustínus Novéllus, sub Matthǽi nómine in sǽculo satis clarus, Thermis Hiemeréntibus in Sicília, a paréntibus, qui sua ætáte ibídem, et nonnúllis castris áliis dominabántur, ortum non húmilem duxit. Humanióribus

líttteris in pátria pleníssime excúltus, altióribus disciplínis instituéndus Bonóniam, scientiárum amplíssimum Itáliæ seminárium, missus, perbrévi ea, qua pollébat ingénii fœcunditáte ac vitæ integritáte, ádeo excélluit, ut juventúti præbúerit fulgentíssima doctrínæ ac pietátis exémpla. Cæsárei intérea ac pontifícii juris in ipso Lycǽo laúream, et docéndi munus adéptum: índeque ad própria revérsum, Manfrédus Sicíliæ rex in præcípuum aulæ consiliárium ascítum univérsæ regni cúriæ præfécit, unum sibi régium nomen rétinens, ac sólium. Ad suprémum glóriæ, et honóris fastígium evéctus, cæcos inter erróres, et aúlicos mores parum pudícos cœléstis vir casto pede impollútus incéssit, ac ab avarítiæ sórdibus et lucri cupiditáte veheménter aliénus, suum cuíque tribúere, neminémque lædere in delíciis solémne hábuit, pater pótius constitútus, quam árbiter. Céterum Cároli Andagavénsis armis rege fuso cæsóque in bello, Matthǽus fuga elápsus, atque a gravi morbo inde contrácto convaléscens, bonis ómnibus in paúperes erogátis, divi Augustíni institútum, admirábili Dei consílio et voluntáte, láicus frater, alto humilitátis stúdio, ampléxus, mutatóque vetústo nómine, Augustínus inde nuncupátus est.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Uni ígitur Deo, ac sibi notus, mundóque véluti consepúltus, mirum, quam hílari ánimo vilíssima quæque cœnóbii múnia pari humilitáte et patiéntia non absímili exércuit. Quum autem acta ejus in ábdito quodam Sicíliæ loco (quamquam ea occultíssima volúerat) susceptǽque vitæ cruéntam asperitátem, ac sanctimóniam vicínis locis famam vulgáre fácile esset, ignótus pénitus, et procul a suis, ex Sículis ad solitária Senénsis ditiónis cœnóbia secéssit. Neque vero ibi diútius sub módio delitéscere lícuit. Ex quadam enim lucubratióne, quam ipse clam ad tuénda cœnóbii jura confécerat, a Jacóbo Palearésio, quem studiórum olim Bonóniæ habúerat sócium, recógnitus fuit, qui non sine fratrum admiratióne inter óscula et ampléxus, multa de Matthǽo deprǽdicans, litem quamdam, quam monastério intentáverat, ultro adjudicávit. Detéctum ítaque Augustínum gravi ánimi sui dolóre, moxque ad sacros órdines ex obediéntia promótum beátus Clemens Auximánus, qui univérso órdini prǽerat, Romam itíneris et curárum cómitem perdúxit; quocum sédulam navávit óperam, ut constitutiónes eremíticas recognósceret, instauráret, atque in mélius reférret. In Urbe Nicoláo quarto, Cœlestíno quinto et Bonifácio octávo a confessiónibus fuit, majóris Pœnitentiárii múnere, Sacrárii quoque præfectúra insignítus, templum inter et altáre circumfúlsit.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

Comítiis Mediolánі hábitis, totíus órdinis Generális Prior, quamquam absens, ómnium votis fuit conclamátus. Quem autem honóris gradum non áliter, quam jubénte Bonifácio suscéptum, bién-

nio post Neápoli dimíttens, Senas prístinæ vitæ desidério rédiit, atque in erémum sancti Leonárdi, ea haud procul ab urbe confúgit, non sine tamen Senénsium emoluménto, qui felicióres præ céteris Hetrúriæ pópulis celebérrimum xenodochíum et invéntis præter opiniónem cénsibus auctum, et hóminum, qui in Dei famulátu sunt, salúti opportúnæ satis cónsulens, vidére, et vidísse semel gavísi sunt. Plenus tandem méritis, et sénio conféctus, ac si nullo córporis vítio vexarétur, licet et extrémo morbo labórans, fratres ad se vocávit rogavítque, ut suo obítui interéssent: quibus una simul nonnúllis Senénsibus patríciis orántibus, nútibus declárans se ad ætérnas ac cœléstes épulas invitátum, obdormívit lætus in Dómino, die décima nona Maji, anno millésimo trecentésimo nono. Quamplúrimis post óbitum éditis miráculis, Senárum epíscopus permótus, venerábilis fámuli Dei ossa in æde sancti Augustíni público cúltui expósita collocári jussit. Quo quidem ab immemorábili témpore compérto, ac probáto, Clemens décimus tértius Augustíni nomen beatórum fastis adscrípsit; cujus bráchium jam inde ab anno millésimo sexcentésimo vigésimo Thermas, in pátriam magni Hetrúriæ ducis dono fuit solémni pompa translátum. ℟. Iste homo.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 14.

In illo témpore: Dicébat Jesus et ad invitátos parábolam, inténdens quómodo primos accúbitus elígerent, dicens ad illos: Cum invitátus fúeris ad núptias, non discúmbas in primo loco. Et réliqua.

Homilía Venerábilis Bedæ Presbýteri.

Lib. 4. in Luc. cap. 14.

Apérta quidem ad lítteram est hæc admonítio Salvatóris, docens humilitátem non solum apud Deum, sed étiam apud hómines esse laudábilem. Sed quóniam hanc Evangelísta non frustra parábolam vocat, bréviter intuéndum quid étiam mýstice signet. Núptias appellári Christi et Ecclésiæ conjunctiónem, multis locis appáret. E quibus unum est: Símile factum est regnum cœlórum hómini regi, qui fecit núptias fílio suo, et misit servos suos vocáre invitátos ad núptias. Has ergo núptias quisquis invitátus adíerit, id est, Ecclésiæ se membris fídei grátia conjúnxerit, non discúmbat in primo loco; hoc est, non se de méritis gloriándo, quasi céteris sublímior extóllat. Et quidem stúdeat, juxta altérius loci parábolam, veste nuptiáli vestítus, hoc est virtútum fulgóre corúscans apparére, sed ipsárum hábitum virtútum loco devótæ humilitátis adórnet.

℟. Iste est qui.

Lectio viii.

Honoratióri post invitáto locum dat ille, qui ad longe suæ conversatiónis conficiéntia secúrior factus, ita illórum, qui se in Christo secúti sunt, agilitáte præítur. Et cum rubóre novíssimum locum tenet, quando de áliis melióra cognóscens, quidquid de sua

operatióne celsum sentiébat humíliat, dicens cum Prophéta: Egens sum ego, et in labóribus a juventúte mea, exaltátus autem humiliátus sum, et confúsus. Sed cum vocátus fúeris, vade, recúmbe in novíssimo loco, quando magnus es, humília te in ómnibus. Et Psalmísta gloriátur: Humiliátus sum usquequáque, Dómine, vivífica me secúndum verbum tuum; maniféste signíficans, ita se a Dómino posse vivificári, si de suis ipse virtútibus humília sentíret. Ut cum vénerit, qui te invitávit, dicat tibi: Amíce, ascénde supérius. Véniens Dóminus, quem húmilem invénerit, amíci nómine beatíficans, supérius ascéndere præcípiet. Quicúmque enim humiliáverit se sicut párvulus, hic est major in regno cœlórum.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix. de S. Pudentiana, alias

Lectio ix.

Tunc erit tibi glória coram simul discumbéntibus. Pulchre dícitur: tunc erit tibi glória, ne nunc quærere incípias, quod tibi servátur in fine. Quia sicut Sálomon ait: Hæréditas, ad quam festinátur in princípio, in novíssima benedictióne, potest autem et in hac vita intélligi, qui in novíssimo loco recúmbens, invenítur, Dómino veniénte, sublimátus. Quia quotídie Dóminus suas núptias intrat, quotídie mores, sedes, hábitus convivántium dijúdicat, et supérbos despíciens, humílibus sæpe tanta sui spíritus múnera præstat, ut eos mérito simul discumbéntium, hoc est, in fide quiescéntium cœtus unánimi admiratióne gloríficet, stupénsque in auctóris sui laudatiónem prosíliat dicens: Mihi autem nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus, nimis confortátus est principátus eórum.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

et per Horas.

Ant. 1. Fuit cum princípibus * pópuli, et fecit justítias Dómini, allelúja.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Sedébit solitárius, * et tacébit, quia levávit se super se, allel.

3. Ero húmilis * in óculis meis, et gloriósior apparébo, allelúja.

4. Infírmos curáte, * mórtuos suscitáte, leprósos mundáte, dǽmones ejícite, gratis accepístis, gratis date, allelúja.

5. In fortitúdine bráchii * tui possidébas terram tuam, et obtinébas eam, allelúja.

Capitulum. Eccli. 39.

Collaudábunt multi sapiéntiam ejus, et usque in sǽculum non delébitur: non recédet memória ejus, et nomen ejus requirétur a generatióne in generatiónem. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, et laudem ejus enuntiábit Ecclésia.

Hymnus.

Oh qua coróna glóriæ
Vincítur alma témpora
Novéllus! oh quot gaúdiis
Abúndat inter cǽlites!

Illinc te, Himéra, réspicit,
Vocésque sentit súpplices,
Et grátias benígnius
Expóscit usque cívibus.

Illinc tuétur nóbile;
Senes juvánsque pérpetim
Ædes regit languéntium,
Quas auxit ære, et légibus.
Prænuntiáta ab Angelo
Tam fausta lux advénerat,
Qua dissolútus córpore
Supérna regna scánderet.
Parvo jacens in léctulo
Solámen affert frátribus,
Et morte lætus áppetit
Partum labóre præmium.
Et ecce nubes ádvolans
Totum cubíle círcuit,
Vix efflat ille spíritum,
Repénte lux evánuit.
Tunc signa prodit plúrima,
Mortis sopóre córpora
Oppréssa ad auras évocat,
Tunc fama nomen prædicat.
Patri perénnis glória
Natóque Patris único,
Sanctóque sit Paráclito,
Per omne semper sæculum.
Amen.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Ad Bened. Ant. **Sicut ádipe et pinguédine repleátur ánima mea, et lábiis exsultatiónis laudábit os meum, allelúja.**

Oratio.

Deus, qui supérbis resístis, humílibus autem das grátiam: concéde, quǽsumus, nobis, intercedénte beáto Augustíno, Confessóre tuo; supérbe non sápere, sed ad te verum Deum humíliter gradiéndo perveníre. Per Dóminum.

Et fit commem. S. Pudentianæ Virg.

Ad Horas Antiph. de Laud. Capit. et ℟℟. br. de Comm. Conf. non Pont.

In II. Vesperis.

Omnia ut in primis, præter **℣. Justum dedúxit.**

Die 24. Maji.

B. Mariæ Virginis
sub titulo
Auxilium Christianorum.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 26. Maji.

S. Philippi Nerii Confessoris
Fundat. Congr. Oratorii.

Duplex majus.

In I. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud. **86*** Ps. ut in I. Vesp. de Comm. Apost.

Hymnus.

Pangámus Nério débita cántica,
Quem supra nítidi sídera vérticis
Virtus, et méritum sústulit ínclytum
Captúrum pia gaúdia.
Hic uri súbitis dum videt ígnibus
Ædes, quas hábitat, flétibus ábstinet,
Flammas cum pénitus quíverit hórridas
Paucis víncere lácrimis.
Oblátum pátrui munus, et aúreos
Nummos magnánimus calcat, et ímpiger
Romam digréditur, quam magis ómnibus
Illústrem facit úrbibus.
Noctes sub spécubus, córpora Mártyrum
Quas implent, vígilat sédulus íntegras;
Ex ipsis sátagens díscere mórtuis
Normam, qua bene víveret.

Almæ sit Tríadi glória pérpetim,
Quam cœlum, bárathrum térraque súscipit:
Quæ nobis Nérii det prece júgia
Dulcis gaúdia pátriæ.
Amen.

℣. Deus virtútum réspice de cœlo, et vísita víneam istam, allel. ℟. Et pérfice eam, quam plantávit déxtera tua, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Domus mea, domus oratiónis vocábitur: dicit Dóminus, allelúja.

Oratio ut infra ad Laud. 86*

Et fit commem. S. Eleutherii Papæ et Mart.

Ad Matutinum.

Invit. Veníte, adorémus Regem regum, * Qui in domum oratiónis nos congregávit, allelúja.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus.

Noctu dum Nérius fércula paúperi
Gestans præcípitat, péñiger Angelus
Tecto signíficat, quáliter éxcidat
Numquam férvida cáritas.

Orántis pénetrans cordis in íntimum
Laxávit spátium Spíritus ímpete
De cœlo véniens, esset ut hóspiti
Imménso locus ámplior.

Ponti de médio gúrgite naúfragum
Tractúrus vétulum, sub pede vórtices
Durávit flúidos, et prope túrbidum
Convértit mare in áridum.

Tractans exánimis membra puélluli
In lucem révocat, mox jubet émori,
Donátus Dómini múnere clávibus
Vitæ, mortis et ínferi.

Almæ sit Tríadi glória pérpetim,
Quam cœlum, bárathrum térraque súscipit;
Quæ nobis Nérii det prece júgia
Dulcis gaúdia pátriæ.
Amen.

In I. Nocturno.

Ant. Quid mihi est in cœlo, et a te quid vólui super terram Deus meus, allelúja.

Psalmi trium Nocturnorum ut in Comm. Conf. non Pont.

℣. Tibi dixit cor meum, exquisívit te fácies mea, allel. ℟. Fáciem tuam, Dómine, requíram, allelúja.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. Cap. 51.

Laudábo nomen tuum assídue et collaudábo illud in confessióne, et exaudíta est orátio mea. Et liberásti me de perditióne, et eripuísti me de témpore iníquo. Proptérea confitébor, et laudem dicam tibi, et benedícam nómini Dómini. Cum adhuc júnior essem, priúsquam oberrárem, quæsívi sapiéntiam palam in oratióne mea. Ante templum postulábam pro illa, et usque in novíssimis inquíram eam. Et efflóruit tamquam præcox uva, lætátum est cor meum in ea. Ambulávit pes meus iter rectum, a juventúte mea investigábam eam. Inclinávi módice aurem meam et excépi illam. Multam

invéni in meípso sapiéntiam, et multum proféci in ea.

℟. Replétus Spíritu sancto beátus Philíppus ascensiónes suas dispósuit in corde suo: * Et totis viscéribus diligébat Deum, allelúja. ℣. Dedit ei Spíritus Dómini sapiéntiam, et prudéntiam multam nimis, et latitúdinem cordis. Et.

Lectio ii.

Danti mihi sapiéntiam dabo glóriam. Consiliátus sum enim, ut fácerem illam: zelátus sum bonum, et non confúndar. Colluctáta est ánima mea in illa, et in faciéndo eam confirmátus sum. Manus meas exténdi in altum, et insipiéntiam ejus luxi. Animam meam diréxi ad illam, et in agnitióne invéni eam. Possédi cum ipsa cor ab inítio: propter hoc non derelínquar. Venter meus conturbátus est quæréndo illam: proptérea bonam possidébo possessiónem. Dedit mihi Dóminus linguam mercédem meam et in ipsa laudábo eum.

℟. Spíritus sanctus a throno procédens, illíus cor penetrávit, * Novo sanctificatiónis signo, allelúja. ℣. Advénit ignis divínus, confríngens, urens, et illúminans; et tríbuit ei charísmatum dona. Novo.

Lectio iii.

Appropiáte ad me indócti, et congregáte vos in domum disciplínæ. Quid adhuc retardátis? et quid dícitis in his? Animæ vestræ sítiunt veheménter. Apérui os meum, et locútus sum: Comparáte vobis sine argénto, et collum vestrum subjícite jugo, et suscípiat ánima vestra disciplínam: in próximo est enim inveníre eam. Vidéte óculis vestris, quia módicum labirávi, et invéni mihi multam réquiem. Assúmite disciplínam in multo número argénti, et copiósum aurum possidéte in ea. Lætétur ánima vestra in misericórdia ejus, et non confundémini in laude ipsíus. Operámini opus vestrum ante tempus, et dabit vobis mercédem vestram in témpore suo.

℟. Amóre vulnerátus languébat júgiter, dicens: * Quis me separábit a caritáte? allel. ℣. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita póterit me separáre a caritáte Dei, quóniam ipse in me manet et ego in eo. Quis. Glória Patri. Quis.

In II. Nocturno.

Ant. Quam dilécta tabernácula tua, Dómine! concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini, allelúja.

℣. Unam pétii a Dómino, hanc requíram, allelúja. ℟. Ut inhábitem in domo Dómini, allelúja.

Lectiones ut in Brev. in eod. Festo.

℟. iv. Oculis et mánibus in cœlum semper inténtus * Invíctum ab oratióne spíritum non relaxábat, allelúja. ℣. Clamans clamábat ad Dóminum: quando véniam, et apparébo ante fáciem Dei? Invíctum.

℟. v. Obitum suum longe ante præscívit dixítque frátribus: * Cúpio dissólvi, et esse cum Christo, allelúja. ℣. Interióra mea intra me efferbuérunt absque ulla réquie. Cúpio.

℟. vi. Hódie Philíppus migrávit a sǽculo, gemma sacerdótum, * Per quem in cœlo vivéntem tanta mirácula corúscant, allelúja. ℣. O

virum ineffábilem, nec labóre victum nec morte vincéndum! Per quem. Glória Patri. Per quem.

In III. Nocturno.

Ant. **Congregáte illi sanctos ejus, qui órdinant testaméntum ejus super sacrifícia, allelúja.**

℣. **Meménto congregatiónis tuæ, allelúja.** ℟. **Quam possedísti ab inítio, allelúja.**

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 8. in Luc.

[redacted]eáti servi illi, quos, cum vénerit Dóminus, invénerit vigilántes. In superióribus vigiláre nos vóluit, per ómnia exspectántes moménta Dómini Salvatóris advéntum; ne, dum áliquis remíttit, et négligit, et de die in diem ópera sua differt, judícii futúri die, vel própria morte præventus méritum suæ commendatiónis amíttat. Et illa quidem in omnes præcépti forma generális: (quod si díxerit servus ille in corde suo, moram facit Dóminus meus veníre); verum séries sequéntis exémpli dispensatóribus, hoc est, sacerdótibus vidétur esse propósita, quo sciant sibi gravem in futúrum pœnam esse subeúndam, si sæculáribus inténti delíciis, famíliam Dómini plebémque commíssam sibi gubernáre negléxerint. Ille autem servus, qui cognóvit voluntátem Dómini sui, et non præparávit, et non fecit secúndum voluntátem ejus, vapulábit multis.

℟. **Domus mea domus oratiónis vocábitur: * In ea omnis, qui petit, áccipit: et qui quærit, ínvenit; et pulsánti aperiétur, allel.** ℣. **Lætificábo eos in domo oratiónis. In ea.**

Lectio viii.

Sed quia exíguus est proféctus, et parva meritórum grátia, supplícii metu ab erróre revocári, majórque prærogatíva caritátis et amóris est; Dóminus ad promeréndam sui grátiam stúdia nostra ácuit, et acquiréndæ cupiditáte divinitátis inflámmat, dicens: Ignem veni míttere in terram; non útique illum ignem consumptórem bonórum, sed bonæ voluntátis auctórem, qui aúrea Domínicæ domus vasa meliórat, fœnum vero consúmit, et stípulam, ac sæculária ómnia mundi voluptáte concréta, peritúræque opus carnis exúrit; ille ignis divínus, qui flammigerábat in óssibus Prophetárum, sicut sanctus Jeremías dixit, qui factus est sicut ignis ardens flammígerans in óssibus meis. Est enim ignis Dómini, de quo dictum est: Ignis ante eum ardébit.

℟. **Obsecro ítaque, fílii, oratiónes fíeri, postulatiónes, et gratiárum actiónes pro ómnibus: * Et dilígite decórem domus Dei, allelúja.** ℣. **Manéte in vocatióne, atténdite lectióni, exhortatióni, et doctrínæ; conversatiónem inter gentes habéte bonam. Et. Glória Patri. Et.**

Lectio ix. de S. Eleutherio Papa et Mart. Si hoc festum transferri contingat, dicitur sequ.

Lectio ix.

Sint autem lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes, et ídeo quia nox est dies hujus vitæ, lucérna est necessária. Hunc ignem in se étiam et Amaon, et Cléophas a Dómino missum esse testántur, dicéntes: Nonne cor nostrum ardens erat in via, cum aperíret nobis Scriptúras? Evidénter ítaque docuérunt, qualis istíus ignis sit operátio, qui secréta cordis illúminat. Et ídeo fortásse Dóminus in igne ventúrus est, ut resurrectiónis témpore vítia univérsa consúmat, suíque conspéctu desidéria cómpleat singulórum, meritorúmque, et mysteriórum lumen accéndat.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

et per Horas.

Ant. 1. De excélso * misit ignem in óssibus meis, et erudívit me, allelúja.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Concáluit cor meum * intra me, et in meditatióne mea exardéscet ignis, allelúja.

3. Cor meum, * et caro mea exsultavérunt in Deum vivum, allelúja.

4. Factus est * in corde meo quasi ignis exǽstuans, et deféci ferre non sústinens, allelúja.

5. Defécit caro mea, * et cor meum, Deus cordis mei, et pars mea Deus in ætérnum, allelúja.

Capitulum. Rom. 5. c.

Cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris per inhabitántem Spíritum ejus in nobis.

Hymnus.

Cœlórum Dómino dum sacra múnera
Libábat Nérius, sǽpius ádvolans
Tellúrem rápido córpore déserit
Christo fiat ut óbvius.

Illi non rútilans púrpura príncipum
Sacrórum tégumen, non rubra pílei
Majéstas plácuit, cui placet única
Vestis cándida vírginum.

Ægrótus Maríæ dans pia bráchia
Collo virgíneo, fertur in áëra
Intro ceu cúperet posse cubículum
Duci matris in árduum.

Corpus deséruit, cum Deus hóstiæ
Fertur sub níveæ tégmine cónditus,
Prudens in pátriam pérgere spléndido
Nolens absque viático.

Almæ sit Tríadi glória pérpetim,
Quam cœlum, bárathrum, térraque súscipit:
Quæ nobis Nérii det prece júgia
Dulcis gaúdia pátriæ. Amen.

℣. Cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris, allelúja. ℟. Per Spíritum sanctum, qui datus est nobis, allelúja.

Ad Bened. Ant. Hæc est cáritas Dei, ut mandáta ejus custodiámus, et mandáta ejus grávia non sunt, allelúja.

Oratio.

Deus, qui beátum Philíppum Confessórem tuum, sanctórum tuórum glória sublimásti: concéde propítius; ut cujus solemnitáte læ-

támur, ejus virtútum proficiámus exémplo. Per Dóminum.

Et fit commem. S. Eleutherii Papæ et Mart.

Ad Tertiam.

Ant. **Concáluit cor meum.**

Capit. **Cáritas Dei. 86***

℟. br. **Nunc manent fides, spes, cáritas; tria hæc. * Allelúja, allel. ℣. Major autem horum est cáritas. Allelúja. Glória Patri. Nunc.**

℣. **Sectámini caritátem, allelúja.** ℟. **Æmulámini spirituália, allelúja.**

Ad Sextam.

Ant. **Cor meum.**

Capitulum. 1. Joann. 3.

Qui víderit fratrem suum necessitátem habére, et claúserit víscera sua ab eo, quómodo cáritas Dei manet in eo?

℟. br. **Filíoli mei, non diligámus verbo, neque lingua. * Allelúja, allelúja. ℣. Sed ópere, et veritáte. Allelúja. Glória Patri. Filíoli.**

℣. **In hoc cognóscimus, allelúja.** ℟. **Quóniam ex veritáte sumus, allelúja.**

Ad Nonam.

Ant. **Defécit caro mea.**

Capitulum. 1. Cor. 13.

Cáritas pátiens est, benígna est, non æmulátur, non agit pérperam, non inflátur, non est ambitiósa, non quærit quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi.

℟. br. **In hoc scimus, quóniam cognóvimus eum, si mandáta ejus observémus. * Allelúja, allelúja. ℣. Qui dicit se nosse eum et mandáta ejus non custódit, mendax est. Allelúja. Glória Patri. In.**

℣. **Qui autem servat verbum ejus, allelúja.** ℟. **Vere in hoc cáritas Dei perfécta est, allelúja.**

In II. Vesperis.

Omnia ut in I. Vesperis.

℣. **Meménto congregatiónis tuæ, allelúja.** ℟. **Quam possedísti ab inítio, allelúja.**

Ad Magnif. Ant. **Veníte Fílii, audíte me, timórem Dómini docébo vos, allelúja.**

Oratio ut supra. **86***

Die 29. Maji.

(Pro Diœc. Calatanisiad.)

B. Ritæ de Cassia Viduæ.

Duplex.

Omnia de Communi nec Virg. nec Mart., præter sequ.

Oratio.

Deus, qui beátæ Ritæ tantam grátiam conférre dignátus es, ut, quæ te in dilectióne inimicórum suórum imitáta est, in corde, et fronte caritátis, et passiónis tuæ signa portáret, da nobis, quæsumus, ejus intercessióne et méritis, inimícos nostros dilígere, et tuæ passiónis dolóres spina compunctiónis júgiter contemplári: Qui vivis et regnas.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Rita Rocchæ Porrénæ Cássiæ, oppídulo in Umbria, honéstis ac piis paréntibus nata, ab ineúnte ætáte illústria dedit virtútum exémpla. Etenim pueríles lusus, et inánes curas réspuens, solitúdine et oratiónibus miríﬁce delectabátur. Duódecim años nata virginitátem Deo sacráre constí-

tuit: sed ne paréntum voluntáti adversarétur viro ingénio præferóci ac móribus tétrico nupsit: cujus asperitátem ea mansuetúdine tulit, ut per annos duodevigínti concórditer víxerint. Maríto ab inimícis interémpto, non solum pro interfectóribus Deum orábat; sed étiam duóbus adolescéntulis, quos ex eo genúerat, ut patérnæ cædis memóriam abolérent, suadébat. Cum autem eósdem vindíctæ cúpidos cognovísset, Deum precáta est, ut eos cítius e vita eríperet, ne concéptam patérnæ cædis ultiónem explérent. His autem defúnctis, a sacris Virgínibus Ordinis sancti Augustíni, multis cum lácrimis hábitum religiósum postulávit.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Ab illis autem, quod solas vírgines recípere mos esset, ter repúlsam passa, non multo post voti compos divínitus effécta est. Nam quadam nocte, dum oratióni vacáret, a sancto Joánne Baptísta, quem sibi patrónum in primis elégerat, vocáta, ac eum per abrúpta móntium sequi jussa, beáto Patre Augustíno, et Nicoláo Tolentináte comitántibus, in cœnóbium mirabíliter introdúcta, a virgínibus miráculo permótis, benígne suscépta est. Re ígitur familiári divéndita, ac prétio in paúperes erogáto, monastérium ipsum ingréditur: ubi corpus vigíliis, cilício, spinis, quas túnicæ attexúerat, crebrísque flagéllis in servitútem rédigens, cibum semel in die sumébat, solo pane et aqua conténta. Obediéntiæ insígne præbuit exémplum, cum antístitæ jussu áridum lignum irrigáre non dubitávit. Oratióni júgiter vacábat, Christíque Dómini cruciátus a média nocte usque ad solis ortum tanto mentis ardóre, tantáque lacrimárum vi meditabátur, ut præ dolóris magnitúdine pene cónfici viderétur.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Quadam die, cum ad Christi e cruce pendéntis imáginem inténsius oráret, spina e Crucifíxi coróna in fronte ita transfíxa est, ut insanábile vulnus usque ad mortem pertúlerit: ex quo præter acerbíssimum dolóris sensum, fœda sánies exhalábat. Unde ne soróribus naúseam movéret, solitária cum Deo versabátur. Sed anno sæculári Romam cum céteris soróribus ab antístita, propter úlceris deformitátem ire vétita, repénte abstérso vúlnere convâluit: quod tamen revérsa domum, íterum erúpit. Post áliquot annos gravi morbo corrépta, ipsum quadriénnio patientíssime tolerávit: quo témpore vernans rosa ex hórtulo, aspérrima híeme, atque duæ recentíssimæ ficus ei allátæ sunt. Morti jam próxima, Christum Dóminum una cum beáta Vírgine ad cœléstia regna se vocántem audívit; atque ita suscéptis ómnibus Ecclésiæ sacraméntis, anno post Christum natum millésimo quadringentésimo quadragésimo tértio, undécimo Kaléndas Júnii, obdormívit in Dómino. Corpus usque ad hanc diem incorrúptum, suavíssimo odóre fragrans, pie cólitur. Eam miráculis ante et post

óbitum conspícuam Urbánus octávus in beatórum númerum rétulit.

℟. Fallax grátia.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Símile est regnum cœlórum thesaúro. ut in Comm. non Virg.

Die 30. Maji.

S. Ferdinandi Regis et Conf.

Dupléx.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 31. Maji.

B. Felicis a Nicosia

Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum.

Duplex majus.

Omnia de Comuni Conf. non Pont., præter sequentia.

Oratio.

Dómine Deus, qui beátum Felícem Confessórem tuum in simplicitáte et humilitáte tibi servíre, ac mirábiles in corde suo ascensiónes dispónere docuísti: concéde propítius; ut ipsíus exémpla sectántes in terris, ejúsdem glóriæ partícipes efficiámur in cœlis. Per Dóminum nostrum.

In I. Nocturno Lectiones Beátus vir. de Comm. 2. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Felix paréntibus religióne magis quam ópibus præstántibus Nicósiæ in Sicília natus, a genitríce sua cathólicæ religiónis rudiménta edóctus, pueritiam atque adolescéntiam in cordis simplicitáte transégit; et sutóriæ officínæ addíctus, verbis atque præcláris virtútum exémplis sodáles ad christiánæ pietátis ópera allícere stúduit. Vigésimum octávum annum agens, sancti Francísci hábitum in Fratrum Capulatórum Ordine índuit, et sancti Felícis a Cantalício, cujus nomen assúmpsit, vestígia sequens, iter perfectiónis ad óbitum usque calcávit. Síquidem monásticam disciplínam semper ad exémplum servávit, árduas institúti régulas et austeritátes diligentíssime exsequútus est. Spíritu et re paupérrimus, ne céllulam quidem própriam hábuit; castitátis cultor exímius, eam duríssimis cruciátibus véluti sepe circúmdedit. Præsidum mandátis prompto hilaríque ánimo semper páruit. In Dei timóre defíxus, peccátum vel levíssimum exhórruit. Diébus vero síngulis sanctíssimo Christi córpore se refíciens, tanto dilectiónis æstu in Deum ferebátur, ut pro ejus glória étiam mori veheménter exoptáverit, atque cœléstis ille ignis quo inflammabátur, ex ore quoque et óculis emicáret.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Sibi uni aspérrimus, cunctis affábilis et mitis proximórum salúti totum se dedit. Cum inter cives et oppidános stipem mendicáret, ádeo ejus candor ánimi et omnígenæ virtútis exémpla valuére, ut álios a vitæ pravitáte avocáret, álios alacrióres ad virtútem sectándam felíciter effíceret. A labóre atque ærúmnis infráctus, ætérnæ proximórum salúti consúluit, paupéribus solátium, mœréntibus levámen, ægrotántibus tenérrimam cordis miseratiónem exhíbuit. Cum autem tot floréret virtútum ópibus ipse se unus ignorábat

et contémni ac pro níhilo habéri peroptábat. Sed qui exáltat húmiles Deus supérnis illum cumulatíssime charismátibus locupletávit. Etenim prophetíæ dono excélluit, et córdium perscrutatiónis, ac tanta étiam mirácula, cum víveret, operátus est, ut véluti Thaumatúrgus suspicerétur et prædicarétur. Cœlésti vero sapiéntia ita ornátus appáruit, ut ad eum cujúsque conditiónis hómines conflúerent egrégia consília et documénta salútis relatúri. Porro tot tantísque virtútibus insígnem et supérnis munéribus tam abúnde ditátum virum non modo vulgáres hómines, sed étiam viri pietáte, prudéntia ac dignitáte præstántes unánimi senténtia sanctum asserébant et proclamábant.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

Ætátis suæ annum septuagésimum prætergréssum, labóres, asperitátes et diutúrna jejúnia in extrémam infirmitátem impulére: ejúsque mors innocentíssimæ vitæ consentánea fuit. Nam morbi dolóribus jucúndo ánimo tolerátis, et augustíssimo Sacraménto pro summa reveréntia flexis génibus recépto, prídie Kaléndas Júnias anno millésimo septingentésimo octogésimo séptimo, cúpiens dissólvi et esse cum Christo, ter cœnóbii præpósitum ab hoc mundo discedéndi véniam flagitávit, eáque tandem impetráta, ánimam efflávit tanta vultus hilaritáte, ut non e vita migráre, sed a vínculis erúmpere viderétur. Quæ de illo vivénte percrebúerat sanctitátis fama, postquam mortálem hanc vitam cum beáta commutávit, aucta magis atque diffúsa est accedénte celebritáte miraculórum a Deo ad ipsíus invocatiónem patratórum. Quorum duóbus discússis atque probátis, Summus Póntifex Leo décimus tértius Felícem beátum nuncupándum esse decrévit, atque de eo Offícium ac Missam in univérso Capulatórum Ordine celebrári concéssit.

℟. Iste homo.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Sint lumbi.** de eodem Comm.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 24. Aprilis 1890.

G. Erlenborn, Vic. in Spirit. Gener.

Homilia

dicenda in Matutino unius Martyris non Pontificis, quando dicitur Missa: In virtúte tua.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 10.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte arbitrári quia pacem vénerim míttere in terram: non veni pacem míttere, sed gládium. Et réliqua.

Homilía S. Hierónymi Presbýteri.

Lib. 1. in Matth. Cap. 10.

Supra díxerat: Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine; et quod in aure audítis, prædicáte super tecta: nunc infert quid post prædicatiónem sequátur. Ad fidem Christi totus orbis contra se divísus est: unaquǽque domus et infidéles et credéntes hábuit, et proptérea bellum missum est bonum, ut rumperétur pax mala. Tale quid et in Génesi advérsus rebélles hómines, qui moti fúerant de Oriénte, et turrem exstrúere festinábant, per quam cœli alta penetrárent, fecísse scríbitur Deus, ut divíderet linguas eórum.

℟. Coróna aúrea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Expréssa.

Lectio viii.

Veni enim separáre hóminem advérsus patrem suum. Hic locus prope iísdem verbis in Michǽa scríbitur. Et notándum, ubicúmque de véteri testaménto testimónium pónitur, utrum sensus tantum an sermo conséntiat. Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus. Qui ante præmíserat: Non veni pacem míttere, sed gládium, et divídere hómines advérsus patrem, et matrem, nurum et socrum; ne quis pietátem religióni anteférret, subjécit dicens: Qui amat patrem aut matrem plusquam me. Et in Cántico légimus canticórum: Ordinávit in me caritátem. Hic ordo in omni affėctu necessárius est. Ama post Deum patrem, ama matrem, ama fílios.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit: * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cœléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dñs per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Qui. Glória Patri. Qui.

Lectio ix.

Ordo pulchérrimus: ad prædicatiónem mittit, docet perícula non timénda, afféctum súbjicit religióni. Aurum supra túlerat, æs de zona excússerat: dura Evangelistárum condítio. Unde ergo sumptus, unde victus necessária? Austeritátem mandatórum spe témperat promissórum: Qui récipit, ínquiens, vos, me récipit, et qui me récipit, récipit eum qui me misit: ut in suscipiéndis Apóstolis unusquísque credéntium Christum se suscepísse arbitrétur. Te Deum laudámus.

Index alphabeticus.

Sumptibus et Typis Fr. Pustet, S. Sedis Apost. et S. Rit. Congr. Typogr.



PROPRIUM SANCTORUM
PRO SICILIÆ REGNO.

PARS ÆSTIVA.

Die 19. Maji.

B. Augustini Novelli Conf.

Duplex.

In I. Vesperis.

Antiph. et Capit. de Laudib. 6* Ps. ut in I. Vesp. de Comm. Apost.

Hymnus.

Quod micans sidus, ténebris fugátis,
Lucis effúndit rádios benígnæ?
Quod novum præbet spécimen nitóris
Inclyta Himéra?

Quippe Matthæus, generóso avórum
Sánguine edúctus, míseris levámen
Náscitur, lucem et réferens, avérni
Díssipat umbras.

Sæculi mores mínime secútus,
Vix puer cœli spátium cucúrrit,
Cáritas illum movet, et supérbis
Nóxia virtus.

Lítteris cultus, pátria recédens,
Italas oras petit, atque legum
Non rudis, recte pópulos gubérnat,
Jura minístrans.

Scílicet Numen dedit esse doctum,
Mundo uti spreto, melióra nactus
Víveret, castum rétinens pudórem,
Paúpere tecto.

Sédibus tandem súperis, Deíque
Lætus obtútu, fáciles suórum
Cívium semper, patriǽque votis,
Applicat aures.

Sit salus sum̃um Moderánti Olýmpum,
Glória et Nato, qui hómines redémit,
Et Paracléto, qui ab utróque prodit,
Omne per ævum.
Amen.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Qui humiliátus fúerit, erit in glória, et qui inclináverit óculos, ipse salvábitur.

Oratio ut infra ad Laud. 7*

Et fit commem. S. Pudentianæ Virg.

Ad Matutinum.

Invit. Regem Confessórum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus.

Laudes fert ánimus pángere cánticis,
Augustíne, tuas, nomen et ínclytum,
Solámen míseris, justítiæ decus,
Gentis præsídium tuæ.

Artus vix ánimat Spíritus íntegros,
En virtus spécimen nóbile præbuit:
Fervens fulsit amor, ráraque cástitas,
Et morum alma suávitas.

O quam tunc mícuit lux sapiéntiæ
Admiránda tuæ! Sol velut ætheris
Inter densa licet, concédere cóncupit
Vili mens húmilis loco.

Novit ingénium Parthénope tuum,
Novit Trinácriæ littus, et íncolæ
Rósiæ célebrant, alma tui parens
Himéra, et Capitólium.

Norunt Pontíficum sacra, vel ássides
Minístrans pópulis jura, vel árbiter
Astas princípibus, prótegis ímpigro
Vel pressum cálamo órdinem.

Fulgens conspícuis úndique honóribus,
Non inflas túmida corda supérbia:
Fis cunctis fácilis, fis pátiens reis,
Fis spes, nórmaque débili.

Sanctæ sit Tríadi laus, honor, et salus,
Quam laudat vénerans cœlícolum chorus,
Horrent tartárei límina príncipis,
Et mortále genus colit. Amen.

Ant. et Psalmi ut in Comm. Conf. non Pont.

In I. Nocturno.

De libro Sapiéntiæ.

Lectio i. Cap. 7. et 8.

Néminem díligit Deus, nisi eum, qui cum sapiéntia inhábitat. Est enim hæc speciósior sole, et super omnem dispositiónem stellárum, luci comparáta invenítur prior. Illi enim succédit nox, sapiéntiam autem non vincit malítia. Attíngit ergo a fine usque ad finem fórtiter, et dispónit ómnia suáviter. Hanc amávi et exquisívi a juventúte mea, et quæsívi sponsam mihi eam assúmere, et amátor factus sum formæ illíus. Generositátem illíus gloríficat, contubérnium habens Dei: sed et ómnium Dóminus diléxit illam: doctrix enim est disciplínæ Dei, et eléctrix óperum illíus.

℟. Euge, serve.

Lectio ii.

Et si divítiæ appetúntur in vita, quid sapiéntia locuplétius, quæ operátur ómnia? Si autem sensus

operátur: quis horum, quæ sunt, magis quam illa est ártifex? Et si justítiam quis díligit, labóres hujus magnas habent virtútes. Sobrietátem enim et prudéntiam docet, et justítiam, et virtútem, quibus utílius nihil est in vita homínibus. Et si multitúdinem sciéntiæ desíderat quis, scit prætérita, et de futúris æstimat: scit versútias sermónum, et dissolutiónes argumentórum: signa, et monstra scit, ántequam fiant, et evéntus témporum, et sæculórum.

℟. Justus germinábit.

Lectio iii.

Propósui ergo hanc addúcere mihi ad convivéndum: sciens quóniam mecum communicábit de bonis, et erit allocútio cogitatiónis, et tædii mei. Habébo propter hanc claritátem ad turbas, et honórem apud senióres júvenis, et acútus invéniar in judício; et in conspéctu poténtium admirábilis ero, et fácies príncipum mirabúntur me. Tacéntem me sustinébunt, et loquéntem me respícient, et sermocinánte me plura, manus ori suo impónent. Prætérea habébo per hanc immortalitátem, et memóriam ætérnam his, qui post me futúri sunt, relínquam. Dispónam pópulos, et natiónes mihi erunt súbditæ. Timébunt me audiéntes reges horréndi, in multitúdine vidébor bonus, et in bello fortis. Intrans in domum meam, conquiéscam cum illa. Non enim habet amaritúdinem conversátio illíus, nec tædium convíctus illíus, sed lætítiam, et gaúdium.

℟. Iste cognóvit.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Augustínus Novéllus, sub Matthæi nómine in sæculo satis clarus, Thermis Hiemeréńsibus in Sicília, a paréntibus, qui sua ætáte ibídem, et nonnúllis castris áliis dominabántur, ortum non húmilem duxit. Humanióribus lítteris in pátria pleníssime excúltus, altióribus disciplínis instituéndus Bonóniam, scientiárum amplíssimum Itáliæ seminárium, missus, perbrévi ea, qua pollébat ingénii fœcunditáte ac vitæ integritáte, ádeo excélluit, ut juventúti præbúerit fulgentíssima doctrínæ ac pietátis exémpla. Cæsárei intérea ac pontifícii juris in ipso Lycæo laúream, et docéndi munus adéptum: índeque ad própria revérsum, Manfrédus Percíliæ rex in præcípuum aulæ consiliárium ascítum univérsæ regni cúriæ præfécit, unum sibi régium nomen rétinens, ac sólium. Ad suprémum glóriæ, et honóris fastígium evéctus, cæcos inter erróres, et aúlicos mores parum pudícos cœléstis vir casto pede impollútus incéssit, ac ab avarítiæ sórdibus et lucri cupiditáte veheménter aliénus, suum cuíque tribúere, neminémque lædere in delíciis solémne hábuit, pater pótius constitútus, quam árbiter. Céterum Cároli Andagavénsis armis rege fuso cæsóque in bello, Matthæus fuga elápsus, atque a gravi morbo inde contrácto convaléscens, bonis ómnibus in paúperes erogátis, divi Augustíni institútum, admirábili Dei consílio et voluntáte, láicus frater, alto humilitátis stúdio, ampléxus, mutató-

que vetústo nómine, Augustínus inde nuncupátus est.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Uni ígitur Deo, ac sibi notus, mundóque véluti consepúltus, mirum, quam hílari ánimo vilíssima quæque cœnóbii múnia pari humilitáte et patiéntia non absímili exércuit. Quum autem acta ejus in ábdito quodam Sicíliæ loco (quamquam ea occultíssima volúerat) susceptǽque vitæ cruéntam asperitátem, ac sanctimóniam vicínis locis famam vulgáre fácile esset, ignótus pénitus, et procul a suis, ex Sículis ad solitária Senénsis ditiónis cœnóbia secéssit. Neque vero ibi diútius sub módio delitéscere lícuit. Ex quadam enim lucubratióne, quam ipse clam ad tuénda cœnóbii jura confécerat, a Jacóbo Palearésio, quem studiórum olim Bonóniæ habúerat sócium, recógnitus fuit, qui non sine fratrum admiratióne inter óscula et ampléxus, multa de Matthǽo deprǽdicans, litem quamdam, quam monastério intentáverat, ultro adjudicávit. Detéctum ítaque Augustínum gravi ánimi sui dolóre, moxque ad sacros órdines ex obediéntia promótum beátus Clemens Auximánus, qui univérso órdini prǽerat, Romam itíneris et curárum cómitem perdúxit; quocum sédulam navávit óperam, ut constitutiónes eremíticas recognósceret, instauráret, atque in mélius reférret. In Urbe Nicoláo quarto, Cœlestíno quinto et Bonifácio octávo a confessiónibus fuit, majóris Pœnitentiárii múnere, Sacrárii quoque præfectúra insignítus, templum inter et altáre circumfúlsit.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

Comítiis Medioláni hábitis, totíus órdinis Generális Prior, quamquam absens, ómnium votis fuit conclamátus. Quem autem honóris gradum non áliter, quam jubénte Bonifácio suscéptum, biénnio post Neápoli dimíttens, Senas prístinæ vitæ desidério rédiit, atque in erémum sancti Leonárdi, ea haud procul ab urbe confúgit, non sine tamen Senénsium emoluménto, qui felicióres præ céteris Hetrúriæ pópulis celebérrimum xenodochíum et invéntis præter opiniónem cénsibus auctum, et hóminum, qui in Dei famulátu sunt, salúti opportúnæ satis cónsulens, vidére, et vidísse semel gavísi sunt. Plenus tandem méritis, et sénio conféctus, ac si nullo córporis vítio vexarétur, licet et extrémo morbo labórans, fratres ad se vocávit rogavítque, ut suo obítui interéssent: quibus una simul nonnúllis Senénsibus patríciis orántibus, nútibus declárans se ad ætérnas ac cœléstes épulas invitátum, obdormívit lætus in Dómino, die décima nona Maji, anno millésimo trecentésimo nono. Quamplúrimis post óbitum éditis miráculis, Senárum epíscopus permótus, venerábilis fámuli Dei ossa in æde sancti Augustíni público cúltui expósita collocári jussit. Quo quidem ab immemorábili témpore compérto, ac probáto, Clemens décimus tértius Augustíni nomen beatórum fastis adscrípsit; cujus bráchium jam inde ab anno millésimo

sexcentésimo vigésimo Thermas, in pátriam magni Hetrúriæ ducis dono fuit solémni pompa translátum.

℟. Iste homo.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 14.

In illo témpore: Dicébat Jesus et ad invitátos parábolam, inténdens quómodo primos accúbitus elígerent, dicens ad illos: Cum invitátus fúeris ad núptias, non discúmbas in primo loco. Et réliqua.

Homilía Venerábilis Bedæ Presbýteri.

Lib. 4. in Luc. cap. 14.

Apérta quidem ad lítteram est hæc admonítio Salvatóris, docens humilitátem non solum apud Deum, sed étiam apud hómines esse laudábilem. Sed quóniam hanc Evangelísta non frustra parábolam vocat, bréviter intuéndum quid étiam mýstice signet. Núptias appellári Christi et Ecclésiæ conjunctiónem, multis locis appáret. E quibus unum est: Símile factum est regnum cœlórum hómini regi, qui fecit núptias fílio suo, et misit servos suos vocáre invitátos ad núptias. Has ergo núptias quisquis invitátus adíerit, id est, Ecclésiæ se membris fídei grátia conjúnxerit, non discúmbat in primo loco; hoc est, non se de méritis gloriándo, quasi céteris sublímior extóllat. Et quidem stúdeat, juxta altérius loci parábolam, veste nuptiáli vestítus, hoc est virtútum fulgóre corúscans apparére, sed ipsárum hábitum virtútum loco devótæ humilitátis adórnet.

℟. Iste est qui.

Lectio viii.

Honoratióri post invitáto locum dat ille, qui ad longe suæ conversatiónis conficiéntia secúrior factus, ita illórum, qui se in Christo secúti sunt, agilitáte præítur. Et cum rubóre novíssimum locum tenet, quando de áliis melióra cognóscens, quidquid de sua operatióne celsum sentiébat humíliat, dicens cum Prophéta: Egens sum ego, et in labóribus a juventúte mea, exaltátus autem humiliátus sum, et confúsus. Sed cum vocátus fúeris, vade, recúmbe in novíssimo loco, quando magnus es, humília te in ómnibus. Et Psalmísta gloriátur: Humiliátus sum usquequáque, Dómine, vivífica me, secúndum verbum tuum; manifésté signíficans, ita se a Dómino posse vivificári, si de suis ipse virtútibus humília sentíret. Ut cum vénerit, qui te invitávit, dicat tibi: Amíce, ascénde supérius. Véniens Dóminus, quem húmilem invénerit, amíci nómine beatíficans, supérius ascéndere præcípiet. Quicúmque enim humiliáverit se sicut párvulus, hic est major in regno cœlórum.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix. de S. Pudentiana, alias

Lectio ix.

Tunc erit tibi glória coram simul discumbéntibus. Pulchre dícitur: tunc erit tibi glória, ne nunc quærere incípias, quod tibi servátur in fine. Quia sicut Sálomon ait: Hæréditas ad quam festinátur in

princípio, in novíssima benedictióne. Potest autem et in hac vita intélligi, qui in novíssimo loco recúmbens, invenítur, Dómino veniénte, sublimátus. Quia quotídie Dóminus suas núptias intrat, quotídie mores, sedes, hábitus convivántium dijúdicat, et supérbos despíciens, humílibus sæpe tanta sui spíritus múnera præstat, ut eos mérito simul discumbéntium, hoc est, in fide quiescéntium cœtus unánimi admiratióne gloríficet, stupénsque in auctóris sui laudatiónem prosíliat dicens: Mihi autem nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus, nimis confortátus est principátus eórum.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes
et per Horas.

Ant. 1. Fuit cum princípibus * pópuli, et fecit justítias Dómini.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Sedébit solitárius, * et tacébit, quia levávit se super se.

3. Ero húmilis * in óculis meis, et gloriósior apparébo.

4. Infírmos curáte, * mórtuos suscitáte, leprósos mundáte, dæmones ejícite, gratis accepístis, gratis date.

5. In fortitúdine bráchii * tui possidébas terram tuam, et obtinébas eam.

Capitulum. Eccli. 39.

Collaudábunt multi sapiéntiam ejus, et usque in sæculum non delébitur: non recédet memória ejus, et nomen ejus requirétur a generatióne in generatiónem. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, et laudem ejus enuntiábit Ecclésia.

Hymnus.

Oh, qua coróna glóriæ
Vincítur alma témpora
Novéllus! oh quot gaúdiis
Abúndat inter cœlites!

Illinc te, Himéra, réspicit,
Vocésque sentit súpplices,
Et grátias benígnius
Expóscit usque cívibus.

Illinc tuétur nóbile;
Senes juvánsque pérpetim
Ædes regit languéntium,
Quas auxit ære, et légibus.

Prænuntiáta ab Angelo
Tam fausta lux advénerat,
Qua dissolútus córpore
Supérna regna scánderet.

Parvo jacens in léctulo
Solámen affert frátribus,
Et morte lætus áppetit
Partum labóre prǽmium.

Et ecce nubes ádvolans
Totum cubíle círcuit,
Vix efflat ille spíritum,
Repénte lux evánuit.

Tunc signa prodit plúrima
Mortis sopóre córpora
Oppréssa ad auras évocat
Tunc fama nomen prǽdicat.

Patri perénnis glória
Natóque Patris único,
Sanctóque sit Paráclito,
Per omne semper sǽculum.
Amen.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Sicut ádipe et pinguédine repleátur ánima mea, et lábiis exsultatiónis laudábit os meum.

Oratio.

Deus, qui supérbis resístis, humílibus autem das grátiam: concéde, quæsumus, nobis, intercedénte beáto Augustíno, Confessóre tuo; supérbe non sápere, sed ad te verum Deum humíliter gradiéndo perveníre. Per Dóminum.

Et fit commem. S. Pudentianæ Virg. Ad Horas Antiph. de Laud. Capit. et ℟℟. br. de Comm. Conf. non Pont.

In II. Vesperis.

Omnia ut in primis, præter
℣. **Justum dedúxit.**

Die 24. Maji.

B. Mariæ Virginis
sub titulo
Auxilium Christianorum.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 26. Maji.

S. Philippi Nerii Confessoris Fundat. Congr. Oratorii.

Duplex majus.

In I. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud. **11*** Ps. ut in I. Vesp. de Comm. Apost.

Hymnus.

**Pangámus Nério débita cántica,
Quem supra nítidi sídera vérticis
Virtus, et méritum sústulit ínclytum
Captúrum pia gaúdia.**

**Hic uri súbitis dum videt ígnibus
Ædes, quas hábitat, flétibus ábstinet,
Flammas cum pénitus quíverit hórridas
Paucis víncere lácrimis.**

**Oblátum pátrui munus, et aúreos
Nummos magnánimus calcat, et ímpiger
Romam digréditur, quam magis ómnibus
Illústrem facit úrbibus.**

**Noctes sub spécubus, córpora Mártyrum
Quas implent, vígilat sédulus íntegras;
Ex ipsis sátagens díscere mórtuis
Normam, qua bene víveret.**

**Almæ sit Tríadi glória pérpetim,
Quam cœlum, bárathrum térraque súscipit:
Quæ nobis Nérii det prece júgia
Dulcis gaúdia pátriæ.
Amen.**

℣. **Deus virtútum réspice de cœlo, et vísita víneam istam.** ℟. **Et pérfice eam, quam plantávit déxtera tua.**

Ad Magnif. Ant. **Domus mea, domus oratiónis vocábitur: dicit Dóminus.**

Oratio ut infra ad Laud. **11***

Et fit commem. S. Eleutherii Papæ et Mart.

Ad Matutinum.

Invit. **Veníte, adorémus Regem regum, * Qui in domum oratiónis nos congregávit.**

Ps. **Veníte, exsultémus.**

Hymnus.

**Noctu dum Nérius fércula paúperi
Gestans præcípitat, pénniger Angelus
Tecto signíficat, quáliter éxcidat
Numquam férvida cáritas.**

Orántis pénetrans cordis in íntimum
Laxávit spátium Spíritus ímpete
De cœlo véniens, esset ut hóspiti
Imménso locus ámplior.

Ponti de médio gúrgite naúfragum
Tractúrus vétulum, sub pede vórtices
Durávit flúidos, et prope túrbidum
Convértit mare in áridum.

Tractans exánimis membra puélluli
In lucem révocat, mox jubet émori,
Donátus Dómini múnere clávibus
Vitæ, mortis et ínferi.

Almæ sit Tríadi glória pérpetim,
Quam cœlum, bárathrum térraque súscipit;
Quæ nobis Nérii det prece júgia
Dulcis gaúdia pátriæ.
Amen.

In I. Nocturno.

Ant. Quid mihi est in cœlo, et a te quid vólui super terram Deus meus.

Psalmi trium Nocturnorum ut in Comm. Conf. non Pont.

Ant. Ut fácerem voluntátem tuam, Deus meus vólui; et legem tuam in médio cordis mei.

Ant. Mandáta tua, Dómine, desiderábam: meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

℣. Tibi dixit cor meum, exquisívit te fácies mea. ℟. Fáciem tuam, Dómine, requíram.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. Cap. 51.

Laudábo nomen tuum assídue et collaudábo illud in confessióne, et exaudíta est orátio mea. Et liberásti me de perditióne, et eripuísti me de témpore iníquo. Proptérea confitébor, et laudem dicam tibi, et benedícam nómini Dómini. Cum adhuc júnior essem, priúsquam oberrárem, quæsívi sapiéntiam palam in oratióne mea. Ante templum postulábam pro illa, et usque in novíssimis inquíram eam. Et efflóruit tamquam præcox uva, lætátum est cor meum in ea. Ambulávit pes meus iter rectum, a juventúte mea investigábam eam. Inclinávi módice aurem meam et excépi illam. Multam invéni in meípso sapiéntiam, et multum proféci in ea.

℟. Replétus Spíritu sancto beátus Philíppus ascensiónes suas dispósuit in corde suo: * Et totis viscéribus diligébat Deum. ℣. Dedit ei Spíritus Dómini sapiéntiam, et prudéntiam multam nimis, et latitúdinem cordis. Et totis.

Lectio ii.

Danti mihi sapiéntiam dabo glóriam. Consiliátus sum enim, ut fácerem illam: zelátus sum bonum, et non confúndar. Colluctáta est ánima mea in illa, et in faciéndo eam confirmátus sum. Manus meas exténdi in altum, et insipiéntiam ejus luxi. Animam meam diréxi ad illam, et in agnitióne invéni eam. Possédi cum ipsa cor ab inítio: propter hoc non derelínquar. Venter meus conturbátus est quæréndo illam: proptérea bonam possidébo possessiónem. Dedit mihi

Dóminus linguam mercédem meam et in ipsa laudábo eum.

℟. Spíritus sanctus a throno procédens, illíus cor penetrávit, * Novo sanctificatiónis signo. ℣. Advénit ignis divínus, confríngens, urens, et illúminans; et tríbuit ei charísmatum dona. Novo.

Lectio iii.

Appropiáte ad me indócti, et congregáte vos in domum disciplínæ. Quid adhuc retardátis? et quid dícitis in his? Animæ vestræ sítiunt veheménter. Apérui os meum, et locútus sum: Comparáte vobis sine argénto, et collum vestrum subjícite jugo, et suscípiat ánima vestra disciplínam: in próximo est enim inveníre eam. Vidéte óculis vestris, quia módicum laborávi, et invéni mihi multam réquiem. Assúmite disciplínam in multo número argénti, et copiósum aurum possidéte in ea. Lætétur ánima vestra in misericórdia ejus, et non confundémini in laude ipsíus. Operámini opus vestrum ante tempus, et dabit vobis mercédem vestram in témpore suo.

℟. Amóre vulnerátus languébat júgiter, dicens: * Quis me separábit a caritáte? ℣. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita póterit me separáre a caritáte Dei, quóniam ipse in me manet et ego in eo. Quis. Glória Patri. Quis.

In II. Nocturno.

Ant. Quam diléeta tabernácula tua, Dómine! concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini.

Ant. Quemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum, ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Ant. Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum, quando véniam, et apparébo ante fáciem Dei?

℣. Unam pétii a Dómino, hanc requíram. ℟. Ut inhábitem in domo Dómini.

Lectiones ut in Brev. in eod. Festo.

℟. iv. Oculis et mánibus in cœlum semper inténtus * Invíctum ab oratióne spíritum non relaxábat. ℣. Clamans clamábat ad Dóminum: quando véniam, et apparébo ante fáciem Dei? Invíctum.

℟. v. Obitum suum longe ante præscívit dixítque frátribus: * Cúpio dissólvi, et esse cum Christo. ℣. Interióra mea intra me efferbuérunt absque ulla réquie. Cúpio.

℟. vi. Hódie Philíppus migrávit a sæculo, gemma sacerdótum, * Per quem in cœlo vivéntem tanta mirácula corúscant. ℣. O virum ineffábilem, nec labóre victum nec morte vincéndum! Per quem. Glória Patri. Per quem.

In III. Nocturno.

Ant. Congregáte illi sanctos ejus, qui órdinant testaméntum ejus super sacrifícia.

Ant. Benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem; vidébitur Deus deórum in Sion.

Ant. Qui hábitant in domo tua, Dómine, in sæcula sæculórum laudábunt te.

℣. Meménto congregatiónis tuæ. ℟. Quam possedísti ab inítio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri

præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 8. in Luc.

Beáti servi illi, quos, cum vénerit Dóminus, invénerit vigilántes. In superióribus vigiláre nos vóluit, per ómnia exspectántes moménta Dómini Salvatóris advéntum; ne, dum áliquis remíttit, et négligit, et de die in diem ópera sua differt, judícii futúri die, vel própria morte præværéntus méritum suæ commendatiónis amíttat. Et illa quidem in omnes præcépti forma generális: (quod si díxerit servus ille in corde suo, moram facit Dóminus meus veníre); verum séries sequéntis exémpli dispensatóribus, hoc est, sacerdótibus vidétur esse propósita, quo sciant sibi gravem in futúrum pœnam esse subeúndam, si sæculáribus inténti delíciis, famíliam Dómini plebémque comíssam sibi gubernáre negléxerint. Ille autem servus, qui cognóvit voluntátem Dómini sui, et non præparávit, et non fecit secúndum voluntátem ejus, vapulábit multis.

℟. Domus mea domus oratiónis vocábitur: * In ea omnis, qui petit, áccipit: et qui quærit, ínvenit; et pulsánti aperiétur. ℣. Lætificábo eos in domo oratiónis. In ea.

Lectio viii.

Sed quia exíguus est proféctus, et parva meritórum grátia, supplícii metu ab erróre revocári, majórque prærogatíva caritátis et amóris est; Dóminus ad promeréndam sui grátiam stúdia nostra ácuit, et acquiréndæ cupiditáte divinitátis inflámmat, dicens: Ignem veni míttere in terram; non útique illum ignem consumptórem bonórum, sed bonæ voluntátis auctórem, qui aúrea Domínicæ domus vasa meliórat, fœnum vero consúmit, et stípulam, ac sæculária ómnia mundi voluptáte concréta, peritursǽque opus carnis exúrit; ille ignis divínus, qui flammigerábat in óssibus Prophetárum, sicut sanctus Jeremías dixit, qui factus est sicut ignis ardens flammígerans in óssibus meis. Est enim ignis Dómini, de quo dictum est: Ignis ante eum ardébit.

℟. Obsecro ítaque, fílii, oratiónes fíeri, postulatiónes, et gratiárum actiónes pro ómnibus: * Et dilígite decórem domus Dei. ℣. Manéte in vocatióne, atténdite lectióni, exhortatióni, et doctrínæ; conversatiónem inter gentes habéte bonam. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix. de S. Eleutherio Papa et Mart. Si hoc festum transferri contingat, dicitur sequ.

Lectio ix.

Sint autem lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes, et ídeo quia nox est dies hujus vitæ, lucérna est necessária. Hunc ignem in se étiam et Amaon, et Cléophas a Dómino missum esse testántur, dicéntes: Nonne cor nostrum ardens erat in via, cum aperíret nobis Scriptúras? Evidénter ítaque docuérunt, qualis istíus ignis sit operátio, qui secréta cordis illúminat. Et ídeo fortásse Dóminus in igne ventúrus est, ut resurrectiónis témpore vítia univérsa consúmat, suíque conspéctu desidéria

cómpleat singulórum, meritorúmque, et mysteriórum lumen accéndat.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

et per Horas.

Ant. 1. De excélso * misit ignem in óssibus meis, et erudívit me.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Concáluit cor meum * intra me, et in meditatióne mea exardéscet ignis.

3. Cor meum, * et caro mea exsultavérunt in Deum vivum.

4. Factus est * in corde meo quasi ignis exǽstuans, et deféci ferre non sústinens.

5. Defécit caro mea, * et cor meum, Deus cordis mei, et pars mea Deus in ætérnum.

Capitulum. Rom. 5. c.

Cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris per inhabitántem Spíritum ejus in nobis.

Hymnus.

Cœlórum Dómino dum sacra múnera
Libábat Nérius, sǽpius ádvolans
Tellúrem rápido córpore déserit
Christo fiat ut óbvius.

Illi non rútilans púrpura príncipum
Sacrórum tégumen, non rubra pílei
Majéstas plácuit, cui placet única
Vestis cándida vírginum.

Ægrótus Maríæ dans pia bráchia
Collo virgíneo, fertur in áëra
Intro ceu cúperet posse cubículum
Duci matris in árduum.

Corpus deséruit, cum Deus hóstiæ
Fertur sub níveæ tégmine cónditus,
Prudens in pátriam pérgere spléndido
Nolens absque viático.

Almæ sit Tríadi glória pérpetim,
Quam cœlum, bárathrum, térraque súscipit:
Quæ nobis Nérii det prece júgia
Dulcis gaúdia pátriæ. Amen.

℣. Cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris. ℟. Per Spíritum sanctum, qui datus est nobis.

Ad Bened. Ant. Hæc est cáritas Dei, ut mandáta ejus custodiámus, et mandáta ejus grávia non sunt.

Oratio.

Deus, qui beátum Philíppum Confessórem tuum, sanctórum tuórum glória sublimásti: concéde propítius; ut cujus solemnitáte lætámur, ejus virtútum proficiámus exémplo. Per Dóminum.

Et fit commem. S. Eleutherii Papæ et Mart.

Ad Tertiam.

Ant. Concáluit cor meum.

Capit. Cáritas Dei, ut supra.

℟. br. Nunc manent fides, spes, cáritas; * Tria hæc. ℣. Major autem horum est cáritas. Tria. Glória Patri. Nunc.

℣. Sectámini caritátem. ℟. Æmulámini spirituália.

Ad Sextam.

Ant. Cor meum.

Capitulum. 1. Joann. 3.

Qui víderit fratrem suum necessitátem habére, et claúserit víscera sua ab eo, quómodo cáritas Dei manet in eo?

℟. br. Filíoli mei, * Non diligámus verbo, neque lingua. ℣. Sed ópere, et veritáte. Non. Glória Patri. Filíoli.

℣. In hoc cognóscimus. ℟. Quóniam ex veritáte sumus.

Ad Nonam.

Ant. Defécit caro mea.

Capitulum. 1. Cor. 13.

Cáritas pátiens est, benígna est, non æmulátur, non agit pérperam, non inflátur, non est ambitiósa, non quærit quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi.

℟. br. In hoc scimus, quóniam cognóvimus eum, * Si mandáta ejus observémus. ℣. Qui dicit se nosse eum et mandáta ejus non custódit, mendax est. Si. Glória Patri. In.

℣. Qui autem servat verbum ejus. ℟. Vere in hoc cáritas Dei perfécta est.

In II. Vesperis.

Omnia ut in I. Vesperis.

℣. Meménto congregatiónis tuæ. ℟. Quam possedísti ab inítio.

Ad Magnif. Ant. Veníte Fílii, audíte me, timórem Dómini docébo vos.

Oratio ut supra. 11*

Die 30. Maji.

S. Ferdinandi Regis et Conf.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Feria VI. post Oct. Corp. Christi.

Ss. Cordis Jesu.

Duplex 1. classis.

Omnia ut in Brev. in fine mensis Maji.

Die 10. Junii.

S. Olivæ Virg. et Mart. Patronæ princip. Urbis Panormit.

Duplex 1. class. cum Oct.

Omnia de Communi Virg. et Mart., præter sequentia.

In I. Vesperis.

Ad Magnif. Ant. Olívam úberem, pulchram, fructíferam, speciósam, vocávit Dóminus nomen tuum.

Oratio.

Deus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martýrii contulísti: concéde propítius; ut qui beátæ Olívæ Vírginis et Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum nostrum.

In I. Nocturno.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio i. Cap. 11.

Quod si delibátio sancta est, et massa: et si radix sancta, et rami. Quod si áliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleáster esses, insértus es in illis, et sócius radícis, et pinguédinis olívæ factus es. Noli gloriári advérsus ramos. Quod si gloriáris, non tu radícem portas, sed radix te. Dices ergo: Fracti sunt rami, ut ego ínserar. Bene: propter incredulitátem fracti sunt. Tu autem fide stas: noli altum sápere, sed time. Si enim Deus naturálibus ramis non pepércit, ne forte nec tibi parcat.

℟. Veni sponsa Christi.

Lectio ii.

Vide ergo bonitátem et severitátem Dei: in eos, quidem, qui cecidérunt, severitátem; in te autem bonitátem Dei, si permánseris in bonitáte; alióquin et tu excíderis. Sed et illi si non permánserint in incredulitáte, inseréntur: potens est enim Deus íterum insérere illos. Nam si tu ex naturáli excísus es oleástro, et contra natúram insértus es in bonam olívam, quanto magis ii qui secúndum natúram inseréntur suæ olívæ? Nolo vos ignoráre, fratres, mystérium hoc (ut non sitis vobis ipsis sapiéntes) quia cæcitas ex parte cóntigit in Israël, donec plenitúdo géntium intráret, et sic omnis Israël salvus fíeret, sicut scriptum est: Véniet ex Sion, qui erípiat, et avértat impietátem a Jacob. Et hoc illis a me testaméntum, cum abstúlero peccáta eórum.

℟. Diffúsa est grátia.

Lectio iii.

Secúndum evangélium quidem, inimíci propter vos: secúndum electiónem autem caríssimi propter patres. Sine pœniténtia enim sunt dona, et vocátio Dei. Sicut enim aliquándo et vos non credidístis Deo, nunc autem misericórdiam consecúti estis propter incredulitátem illórum: ita et isti nunc non credidérunt in vestram misericórdiam, ut et ipsi misericórdiam consequántur. Conclúsit enim Deus ómnia in incredulitáte, ut ómnium misereátur. O altitúdo divitiárum sapiéntiæ, et sciéntiæ Dei, quam incomprehensibília sunt judícia ejus, et investigábiles viæ ejus! ℟. Spécie tua.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Olíva virgo Panórmi nóbili género eo loco prope templum cathedrále nata créditur, quo nunc ab anno millésimo quingentésimo trigésimo secúndo Minimárum sorórum ascetérium, sub invocatióne sanctórum Septem Angelórum eréctum conspícitur, et ab incunábulis in christiána religióne pie institúta est. Trédecim annórum puélla Bárbaris, tunc témporis Sicíliam devastántibus, in Africam, ut ibi atrócius puniréetur, relegátur. Tunétum appúlsa, dum ímpii præsidis jussu inter mendícos, ut fame, siti, frígore, nuditáte, aliísque incómmodis diútius affligerétur, vitam ágere compéllitur, duos ex eis a membrórum, qua laborábant, attractióne, in nómine Jesu Christi liberávit, et sacro baptísmate ábluit. Verum cum isti christiánam fidem públice prædicárent, a satellítibus comprehendúntur, et multis examináti supplíciis, martýrio laureáti in cœlum evolárunt. Olíva vero ea de re ignominióse per urbem circumdúcitur, et diríssime cæsa in remótas sylvas, ut a feris devorarétur, extrúditur.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

In sylvis immánium belluárum non sævítiem, sed mansuetúdinem pótius et blandiménta expéritur, ac in rerum cœléstium contemplatióne defíxa, inter ipsas solitúdinis asperitátes supérnis pasta delíciis, vitam duxit angélicam. Quinímo quosdam de primáriis

Tuneténsibus, qui eo inter venándum adventárant, illámque in cavérnis latitántem invénerant, ita divína ope suffúlta verbis defléxit, ut ad Jesum Christum convérsos, et ab ipsa baptizátos, ante se mártyres in cœlum præmíserit. Quare ejúsdem præsidis mandáto íterum Tunétum addúcta, ad fídei certámen subeúndum revocátur.

℟. **Dilexísti justítiam.**

Lectio vi.

Equúleo primum, et férreis úngulis ejus fides probátur; mox in vivas flammas, ac in fervéntis ólei dólium immíttitur; sed divínitus éruta, cum in confessióne christiánæ religiónis constántior appáréret, amputáto cápite, in colúmbæ spécie, cunctis demirántibus, cœlos conscéndere visa est. Ejus corpus inhumátum projícitur, sed a christiánis, quos pridem Olíva baptizáverat, clam sublátum, Panórmum defértur et in loco ad hanc usque ætátem ignóto religióse cónditum est.

℟. **Afferéntur Regi.**

Ad Bened. Ant. **Erit quasi olíva glória ejus, et odor ejus ut Líbani, et convertétur sedéntes in umbra ejus.**

In II. Vesperis.

Ad Magnif. Ant. **Quasi olíva speciósa in campis, et quasi plátanus exaltáta sum, et quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.**

Die 15. Junii.

Ss. Viti, Modesti atque Crescentiæ Martyrum.

Duplex.

Omnia de Communi plurim. Mart., præter sequentia.

Oratio.

Da Ecclésiæ tuæ, quæsumus Dómine, sanctis Martýribus tuis Vito, Modésto atque Crescéntia intercedéntibus, supérbe non sápere: sed tibi plácita humilitáte profícere; ut prava despíciens, quæcúmque recta sunt, líbera exérceat caritáte. Per Dóminum.

In I. Noct. Lect. de Script. occurr.

In II. Nocturno Lectiones iv. et v. ut in Breviario, vi. de Comm. 1. loco **Quotiescúmque.**

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 10.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Qui vos audit, me audit et qui vos spernit, me spernit. Et réliqua.

Homilía Venerábilis Bedæ Presbýteri.

Ut in audiéndo quisque vel spernéndo Evangélii prædicatóre non viles quasque persónas, sed Dóminum Salvatórem imo ipsum Patrem spérnere se vel audíre dísceret, ait: Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit eum qui me misit. Quia procul dúbio in discípulo magíster audítur et in fílio pater honorátur. Potest et ita intélligi: qui non facit misericórdiam uni de frátribus meis mínimis, nec mihi facit, quia et ipse pro his formam servi et paúperis hábitum suscépi.

℟. **Propter veritátem.**

Lectio viii.

Revérsi sunt autem septuagínta duo cum gaúdio, dicéntes:

Dómine, étiam dæmónia subjiciúntur nobis in nómine tuo. Bene quidem conféssi sunt, deferéntes honórem nómini Christi, sed quia infírma adhuc fide gaudébant in virtútibus, vide quid aúdiunt. Et ait illis: Vidébam Sátanam sicut fulgur de cœlo cadéntem. Non modo vídeo, sed prius vidébam, quando córruit. Quod autem ait: Sicut fulgur, vel præcípitem de supérnis ad ima lapsum signíficat, vel quia dejéctus adhuc transfigúrat se in ángelum lucis.

℟. **Sancti mei.**

Lectio ix.

Ecce dedi vobis potestátem calcándi supra serpéntes et scorpiónes. Hoc est, omne genus immundórum spirítuum de obséssis corpóribus ejiciéndi. Quamvis et ad lítteram rectíssime possit áccipi: síquidem et Paulus a vípera invásus, nihil advérsi pátitur. Hoc sane inter serpéntes, qui dente et scorpiónes, qui cauda nocent, distáre árbitror: quod serpéntes apérte sæviéntes, scorpiónes clánculo insidiántes, vel hómines, vel dǽmones signíficent: serpéntes, qui inchoándis virtútibus venéna pravæ persuasiónis objíciunt: scorpiónes, qui consummátas virtútes ad finem vitiáre conténdunt. Verúmtamen in hoc nolíte gaudére: quia spíritus ejícere, sicut et virtútes álias fácere, intérdum non est ejus mériti qui operátur, sed invocátio nóminis Christi hoc agit.

Te Deum laudámus.

Die 16. Junii.

S. Mamiliani Ep. et Mart. Civis Patr. et princip. Urbis Panormit.

Duplex 1. classis cum Octava.

Omnia de Communi unius Mart., præter sequentia.

Oratio.

Deus tuórum glória sacerdótum, qui beátum Mamiliánum Mártyrem tuum, atque Pontíficem, virtúte constántiæ in passióne roborásti, tríbue, quǽsumus, ejus méritis et exémplo ómnia nobis adversántia fórtiter superáre. Per Dóminum.

In I. Nocturno.

De Epístola prima beáti Petri Apóstoli.

Lectio i. Cap. 2.

Hæc est enim grátia, si propter Dei consciéntiam sústinet quis tristítias pátiens injúste. Quæ enim est glória, si peccántes et colaphizáti suffértis? Sed si benefaciéntes patiénter sustinétis, hæc est grátia apud Deum. In hoc enim vocáti estis: quia et Christus passus est pro nobis, vobis relínquens exémplum, ut sequámini vestígia ejus. Qui peccátum non fecit, nec invéntus est dolus in ore ejus. Qui cum maledicerétur, non maledicébat, cum paterétur non comminabátur: tradébat autem judicánti se injúste. Qui peccáta nostra ipse pértulit in córpore suo super lignum, ut peccátis mórtui, justítiæ vivámus, cujus livóre sanáti estis. Erátis enim sicut oves errántes, sed convérsi estis nunc ad pastórem et epíscopum animárum vestrárum.

℟. **Iste Sanctus.**

Lectio ii. Cap. 4.

Communicántes Christi passiónibus gaudéte, ut et in revelatióne glóriæ ejus gaudeátis exsultántes. Si exprobrámini in nómine Christi, beáti éritis, quóniam quod est honóris, glóriæ et virtútis Dei, et qui est ejus Spíritus, super vos requiéscit. Nemo autem vestrum patiátur ut homicída, aut fur, aut malédicus, aut alienórum appetítor. Si autem ut christiánus, non erubéscat, glorificet autem Deum in isto nómine. Quóniam tempus est, ut incípiat judícium a domo Dei. Si autem primum a nobis, quis finis eórum, qui non credunt Dei evangélio? Et si justus vix salvábitur, ímpius et peccátor ubi parébunt? Itaque et hi, qui patiúntur secúndum voluntátem Dei, fidéli Creatóri comméndent ánimas suas in benefáctis.

℟. Justus germinábit.

Lectio iii. Cap. 5.

Senióres ergo, qui in vobis sunt, óbsecro, consénior et testis Christi passiónum: qui et ejus, quæ in futúro reveládna est, glóriæ communicátor: páscite, qui in vobis est, gregem Dei providéntes non coácte, sed spontánee secúndum Deum: neque turpis lucri grátia, sed voluntárie; neque ut dominántes in cleris, sed forma sancti gregis ex ánimo. Et cum apparúerit princeps pastórum, percipiétis immarcescíbilem glóriæ corónam. Simíliter adolescéntes súbditi estóte senióribus. Omnes autem ínvicem humilitátem insinuáte, quia Deus supérbis resístit, humílibus autem dat grátiam. Humiliámini ígitur sub poténti manu Dei, ut vos exáltet in témpore visitatiónis.

℟. Iste cognóvit.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Mamiliánus Panórmi ortus, génere nóbilis, sanctitáte clarus, et fídei cathólicæ zelo præclárior, panormitánum episcopátum sub finem sæculi tértii, sæviénte tunc témporis Diocletiáni et Maximiáni imperatórum persecutióne, viríliter administrávit. Commíssum sibi gregem, ea in crypta subtus templum cathedrále, in sacram ædem a suis prædecessóribus destináta, quæ modo cœmetérium ómnium Sanctórum nuncupátur, frequentíssimo verbi Dei et sacramentórum pábulo álere stúduit. Quamplúrimos ex infidélibus ad christiánam fidem convértit, multósque fidéles suis exhortatiónibus ad martýrium subeúndum fortióres réddidit.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Ejus pastorális vigilántia, et véhemens, quo ardébat, dilatándæ fídei desidérium in eo máxime elúxit, quod in ipsum régium palátium, in quo Aureliánus Sicíliæ præféctus degébat, christiánam fidem intúlerit. In illud, duce Golbodǽo ejus discípulo, noctu introdúctus, Nympham vírginem ejúsdem præsidis fíliam, aliósque non paucos de régia família, cathólicæ religiónis mystéria edócuit, et sacro ábluit baptísmate. Quamóbrem paulo post comprehénsus, equúleo, flagéllis, cárcere, inédia et fervéntis ólei dólio torquétur; sed in-

cólumis divínitus evádens in cárcerem dénuo inclúditur. E custódia ab Angelo edúctus, eóque comitánte ad maris usque litus, parátam navim cum Golbodæo, et Nympha conscéndit.

℟. Desidérium ánimæ.

Lectio vi.

Ad Ægílium ínsulam appúlsus, montem ibi ab omni hóminum consórtio sejúnctum, ut divínis contemplatiónibus commódius vacáret, pro sua et sociórum habitatióne selégit. Angélico inde mónitu discéssit, et Romam conténdens, pharum Portus Románi prope Tíberim áttigit; sed cum, Deo aspiránte, in Buccinénsi crypta ejúsdem Portus álios duos discípulos, Próculum scílicet, et Eustótium, reperísset, quátuor cum sóciis Romam venit, et Apostolórum sepúlchra venerátus, in eámdem cavérnam revérsus est. Inopem íbi, sed de cœléstibus delíciis affluéntem vitam agens, et uno ætérnæ pátriæ desidério tentus, morte, quam, Deo reveláute, sibi imminére nóverat, sóciis patefácta, eósque ad fídei et sanctimóniæ perseverántiam adhortátus, die décima sexta Június, anno trecentésimo duodécimo obdormívit in Dómino. Ejus corpus ibídem a suis discípulis tumulátum, jussu Urbáni secúndi anno millésimo nonagésimo secúndo Romam transfértur, et in ecclésia sanctæ Maríæ montis Cǽlii cónditum est. Sacrum vero caput, annuénte Alexándro séptimo anno millésimo sexcentésimo quinquagésimo octávo Panórmum delátum in templo cathedráli summa cívium veneratióne cólitur. ℟. Stola jucunditátis.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 14.

In illo témpore: Dixit Jesus turbis: Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxórem, et fílios, et fratres, et soróres, adhuc autem et ánimam suam, non potest meus esse discípulus. Et réliqua.

Homilía Venerábilis Bedæ Presbýteri.

Lib. 4. in Lucam. Cap. 14.

Adhuc autem et ánimam suam, non potest meus esse discípulus. Tunc étenim bene ánimam nostram ódimus, cum ejus carnálibus desidériis non acquiéscimus, cum ejus appetítum frángimus, ejus voluptátibus reluctámur. Quæ ergo contémpta ad mélius dúcitur, quasi per ódium amátur. Sic nimírum exhibére próximis nostris ódii discretiónem debémus, ut in eis, et diligámus, quod sunt et habeámus ódio, quod in Dei nobis itínere obsístunt.

℟. Coróna aúrea.

Lectio viii.

Hoc ipsum vero ánimæ ódium quáliter exhibéri débeat, subdéndo Véritas maniféstat, dicens Et qui non bájulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discípulus. Crux quippe a cruciátu dícitur. Et duóbus modis crucem Dómini bajulámus, cum aut per abstinéntiam carnem afflígimus, aut per compassiónem próximi necessitátem illíus nostram

putámus. Qui enim dolórem éxhibet in aliéna necessitáte, crucem portat in mente. Sciéndum vero est quod sunt nonnúlli, qui carnis abstinéntiam non pro Deo, sed pro ináni glória éxhibent: et sunt pleríque qui compassiónem próximo non spirituáliter, sed carnáliter impéndunt, ut ei non ad virtútem, sed quasi miserándo ad culpas fáveant. ℟. Dómine prævenísti.

Lectio ix.

Hi ítaque crucem quidem vidéntur ferre, sed Dóminum non sequúntur. Unde et recte hæc éadem Véritas dicit: Qui non bájulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discípulus. Bajuláre enim crucem, et post Dóminum ire est, vel carnis abstinéntiam, vel compassiónem próximo pro stúdio ætérnæ intentiónis exhibére, nam quisquis hæc pro temporáli intentióne éxhibet, crucem quidem bájulat, sed ire post Dóminum recúsat. Te Deum.

Die 17. Junii.

Octava **S. Olivæ** Virg. et Mart.

Duplex.

Omnia de Communi Virg. et Mart. 1. loco, præter sequ.

Oratio. Deus, qui inter cétera.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

De Epístola sancti Hierónymi Presbýteri ad Eustóchium.

De custodia virg. t. 1. circa med.

Lectio iv.

[redacted]e virgínibus, inquit Apóstolus, præcéptum Dómini non hábeo. Cur? quia et ipse ut esset virgo, non fuit impérii, sed própriæ voluntátis. Neque enim audiéndi sunt, qui eum uxórem habuísse confíngunt, cum de continéntia dísserens, et suádens perpétuam castitátem, intúlerit: Volo autem omnes esse, sicut meípsum; et infra: Dico autem innúptis, et víduis: Bonum est illis, si sic permáneant, sicut et ego. Quare ergo non habet Dómini de virginitáte præcéptum? quia majóris est mercédis, quod non cógitur, et offértur; quia si fuísset virgínitas imperáta, núptiæ videbántur ablátæ: et duríssimum erat contra natúram cógere Angelorúmque vitam ab homínibus extorquére.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Alia fuit in véteri lege felícitas. Ibi dícitur: Beátus qui habet semen in Sion, et domésticos in Jerúsalem; et: Maledícta stérilis, quæ non pariébat; et: Fílii tui sicut novéllæ olivárum in circúitu mensæ tuæ. Vácuus erat orbis, et ut de týpicis táceam, sola erat benedíctio liberórum. Proptérea et Abraham jam senex Cethúræ copulátur, et Jacob mandrágoris redímitur, et conclúsam vulvam in Ecclésiæ figúram Rachel conquéritur. Paulátim vero increscénte ségete, messor immíssus est. Virgo Elías, Eliséus virgo, vírgines multi fílii Prophetárum. Jeremíæ dícitur: Et tu ne accípias uxórem. Sanctificátus in útero, captivitáte propínqua, uxórem prohibétur accípere. Aliis verbis idípsum Apóstolus lóquitur: Exístimo hoc bonum esse propter instántem necessitátem. Quæ est ista necéssitas, quæ aufert gaúdia nuptiárum? Tempus

breviátum est, in próximo est Nabuchodónosor. ℟. Dilexísti.

Lectio vi.

Inveniebátur ergo, ut díximus, in viris tantum hoc continéntiæ bonum, et in dolóribus júgiter Heva parturiébat. Postquam vero Virgo concépit in útero, et péperit nobis púerum, cujus principátus in húmeros ejus, Deum fortem, Patrem futúri sǽculi, solúta maledíctio est. Mors per Hevam, vita per Maríam. Ideóque et dítius virginitátis donum fluxit in féminas, quia cœpit a fémina. Statim ut Fílius Dei ingréssus est super terram, novam sibi famíliam instítuit, ut qui ab Angelis adorabátur in cœlo, habéret Angelos et in terris. Tunc Holoférnis caput Judith cóntinens amputávit: tunc Aman, qui interpretátur Iníquitas, suo combústus est igni: tunc primum audítum est: Quæ non est nupta, cógitat quæ sunt Dómini, ut sit sancta córpore et spíritu.

℟. Afferéntur Regi.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 25.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso, et sponsæ. Et réliqua.

De Homilía S. Augustíni Epíscopi.

Serm. 23. de verbis Domini, cap. 8.

Inténdat ítaque cáritas vestra. Sapiéntium lámpades ardébant de óleo ætérno, de consciéntiæ securitáte, de interióre glória, de íntima caritáte. Ardébant tamen et illárum fatuárum. Quare tunc ardébant? Quia non déerant laudes hóminum. Póstea vero quam surrexérunt, id est, in resurrectióne a mórtuis, cœpérunt aptáre lámpades suas, id est, paráre Deo óperum suórum réddere ratiónem. Et quia tunc nemo est, qui laudet, omnis homo causæ suæ vacat, non erant, qui óleum vénderent, cœpérunt defícere lámpades.

℟. Hæc est virgo.

Lectio viii.

Circa fin. cap. 10.

Clausum est óstium. Et quid illis dictum est, Non novi vos? Non illas novit, qui ómnia novit? Quid ergo est, Non novi vos? Improbo vos, réprobo vos: in arte mea non vos agnósco, ars mea nescit vítia. Hoc est autem magnum, et nescit vítia, et júdicat vítia, nescit faciéndo, júdicat arguéndo. Sic ergo non novi vos. Iérunt, intravérunt quinque prudéntes. Sint in vobis quinque prudéntes, ad istam prudéntiam quinárii número pertinéntes. Véniet enim hora, et quando nescímus, véniet. Sic clausit Evangélium: Vigiláte quia nescítis diem, neque horam.

℟. Média nocte.

Lectio ix.

Corde vígila, fide vígila, spe vígila, caritáte vígila, opéribus vígila: et quando córpore dormíeris, véniet tempus ut surgas. Cum autem surréxeris, prǽpara lámpades. Tunc non exstinguántur, tunc in interióre consciéntiæ óleo vegeténtur: tunc sponsus ille incorpóreis néxibus amplectátur, tunc te

introdúcat in domum ubi numquam dórmias, ubi numquam possit tua lampas exstíngui. Hódie vero laborámus, et lámpades nostræ inter ventos sǽculi hujus tentationésque flúctuant: sed árdeat in rubóre flamma nostra, ut ventus tentatiónis aúgeat ignem pótius, quam exstínguat.

Te Deum laudámus.

Eadem die.

S. Germanæ Cousin Virginis.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis die 15. Junii, præter Lect. III. Noct.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 25.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

In Evang. Homilia 12.

Omnes lámpades habent, sed non omnes óleum habent; quia plerúmque bona in se ópera cum eléctis et réprobi osténdunt; sed soli ad sponsum cum óleo véniunt, qui de his quæ foris égerint intus glóriam requírunt. Unde per Psalmístam quoque de sancta electórum Ecclésia dícitur: Omnis glória ejus Fíliæ Regis ab intus. Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes et dormiérunt; quia dum veníre Judex ad extrémum judícium differt, elécti et réprobi in mortis somno sopiúntur.

℟. Hæc est virgo.

Lectio viii.

De advéntu sponsi clamor in média nocte fit; quia sic dies judícii surrépit, ut prævidéri non váleat, quando venit. Unde scriptum est: Dies Dómini sicut fur in nocte, ita véniet. Tunc omnes Vírgines surgunt; quia et elécti et réprobi a somno suæ mortis excitántur. Lámpades ornant; quia sua secum ópera númerant: pro quibus ætérnam recípere beatitúdinem exspéctant. Sed lámpades fatuárum Vírginum exstinguúntur; quia eárum ópera quæ clara homínibus foris apparuérunt, in advéntu Júdicis intus obscurántur; et a Deo retributiónem non invéniunt, quia pro eis recepérunt ab homínibus laudes quas amavérunt.

℟. Média nocte.

Lectio ix.

Quid est autem quod tunc a prudéntibus óleum petunt, nisi quod in advéntu Júdicis, cum se intus vácuas invénerint, testimónium foris quærunt? Sed prudéntes Vírgines respóndent, dicéntes: Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Sed dum irent émere, venit sponsus; quæ autem parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias: et clausa est jánua. O! si sápere in cordis paláto possis quid admiratiónis habet quod dícitur, Venit sponsus? quid dulcédinis, Intravérunt cum eo ad núptias? quid amaritúdinis, Et clausa est jánua? Tunc regni jánua lugénti-

bus claudétur, quæ modo quotídie pœniténtibus aperítur: erit namque et tunc pœniténtia, sed fructuósa jam non erit, quia nequáquam tunc véniam ínvenit, qui modo aptum véniæ tempus perdit. Te Deum laudámus.

Dominica III. post Pentecosten.
Purissimi Cordis B. M. V.
Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis Dom. post Oct. Assumpt. B. M. V.

Die 18. Junii.
S. Calogeri Confessoris.
Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Calógeri Confessóris tui, ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum nostrum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.
Lectio iv.

Calógerus Constantinopolitánus, piis et honéstis paréntibus natus, ab eis pie educátus, jam inde ab ineúnte ætáte sacris imbútus lítteris, multárum virtútum et abstinéntiæ præsértim magnum spécimen dedit; nam quoad vixit, totam hebdómadam, (excépto die Domínico) jejunábat: ejus cibus erat panis, potus aqua. In oratióne autem magnam témporis partem consúmens, assíduam Domínicæ passiónis memóriam recolébat. Quamóbrem divíno incénsus amóre, pátria parentibúsque relíctis, in Urbem se cóntulit et ad Pontíficis pedes humíliter prostrátus totam illi vitæ suæ ratiónem expósuit, a quo accépta benedictióne et mónachi hábitu, in desértum quemdam locum, ut Deo libérius vacáret, secéssit: ubi totus in jejúnio, lácrimis precibúsque assíduis versabátur, herbárum tantum radícibus et aqua vitam susténtans. Verum divíno Spíritu roborátus Sicíliam proféctus est, et Líparam ínsulam petens, ibídem longo témpore habitávit, ubi eas religiósæ vitæ ratiónes suscépit, ut illíus sanctitátem Deus multis miráculis testátam esse volúerit.
℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Céterum hic sanctus vir ille prorsus existimátur, de quo mira sanctus Gregórius scriptis mandávit his verbis: Juliánus, familiáris meus, narrávit mihi dicens: Theodoríci regis tempóribus, pater sóceri mei in Sicília exactiónem cánonis égerat, et jam ad Itáliam redíbat: cujus navis appúlsa est ad ínsulam, quæ Líparis appellátur: et quia illic vir quidam solitárius magnæ virtútis habitábat, dum nautæ navis armaménta reparárent, visum est prædícto patri sóceri mei, ad eúmdem virum Dei pérgere, seque ejus oratiónibus commendáre. Quos vir Dómini, cum vidísset, eis, inter ália collocútus, dixit: Scitis, quia rex Theodorícus mórtuus est? Cui illi prótinus respondérunt: Absit; nos eum vivéntem dimísimus, et nihil tale ad nos de eo nunc usque perlátum

est. Quibus Dei fámulus áddidit, dicens: Et jam mórtuus est, nam hestérno die, hora nona, inter Joánnem Papam et Sýmmacum patrícium mihi appáruit discínctus et discalceátus et vinctis mánibus dedúctus in hanc vicínam Vulcáni ollam jactátus est. Quod illi audiéntes, sollícite conscripsérunt diem, atque in Itáliam revérsi, eódem die Theodorícum regem invenérunt fuísse mórtuum, quo de ejus éxitu, atque supplício Dei fámulo fúerat osténsum. Et quia Joánnem Papam affligéndo in custódia occídit, Symmacúmque patrícium ferro trucidávit, ab illis juste in ignem missus appáruit, quos in hac vita injúste judicárat. Hæc Gregórius.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

Post hæc sanctíssimus Christi Conféssor divínitus admónitus inde ad Giummeriárium, Sicíliæ montem prope Saccam sic dictum, se cóntulit, cujus iter étiam Deus miráculis illustrávit; nam Saccam, ejúsdem ínsulæ urbem, devéniens ægrótos sanávit áliaque quam plúrima édidit mirácula, et íncolæ baptizáti sunt. Demum cum multis floréret virtútibus, (erat enim præter cétera, ut jam abúnde dictum est, abstinéntia incredíbili, jejúniis vigiliísque déditus, et oratióni ita inténtus, ut precándo a Deo, quam plúrima mirabíliter impetráverit: morbos enim insanábiles curávit, et balneórum virtútes et sédium montis atque aquárum dócuit. Dæmonum æstu agitátos liberávit, quinímo ejus virtus in dæmónibus effugándis máxime enítuit) sénio jam pene conféctus, ánimam Deo réddidit quarto décimo Caléndas Júlii: ejus vero corpus exánime, génibus complicátis, erécta cervíce extensísque in altum mánibus, repértum, honorífico sepúlchro cónditum est, prout in breviário Gallicáno habétur. Porro ejúsdem festum in Sicíliæ regno Clemens Papa octávus sub dúplici offícii ritu celebrári concéssit.

℟. Iste homo.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Eúntes in mundum univérsum. ut in Festo Ss. Cyriaci et Socior. Mart. die 8. Augusti cum ℟℟. de Comm. Conf. non Pont.

Die 20. Junii.
Octava
S. Antonii de Padua Conf.

Duplex.

Omnia ut in die festi, præter Lect.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.
Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Serm. 2. de S. Victore.

Lectio iv.

Gaudéte in Dómino, dilectíssimi, qui inter contínua suæ pietátis benefícia indúlsit hóminem mundo, cujus multi salvaréntur exémplo. Iterum dico: Gaudéte, quod factus de médio appropiávit Deo, ut multo plures ejus intercessióne salvéntur. In terris visus est, ut esset exémplo: in cœlum levátus est, ut sit patrocínio. Hic infórmat ad vitam; illic invítat ad glóriam: factus est mediátor ad regnum, qui fuit incitátor ad opus. Bonus mediátor, qui sibi jam pó-

stulans nihil, totum in nos transférre desíderat et supplicántis afféctum, et supplicatiónis fructum: quid enim quærat sibi, qui nullíus eget?

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Hæc dies glorióssæ migratiónis ejus, dies lætítiæ cordis ejus, exsultémus et lætémur in ea: introívit in poténtias Dómini, gaudeámus, quia nunc poténtior est ad salvándum. Hódie Antónius, pósito córpore, tanto alácrior, quanto expedítior penetrávit in sancta, símilis factus in glória sanctórum. Hódie, despécto mundo, et mundi príncipe triumpháto, supra mundum vere victor ascéndit, accípiens de manu Dómini corónam victóriæ. Ascéndit autem cum imménsa supelléctili meritórum, clarus triúmphis, miráculis gloriósus: sedet veteránus miles, débita jam suavitáte et securitáte quiétus; secúrus quidem sibi, sed nostri sollícitus. O venerándam étiam ipsis Angelis sanctitátem! quam pari stúdio, etsi díspari voluntáte, et mali fúgitant, et frequéntant boni! Nec fácile díxerim, quid virum ástruat sanctiórem, horum favor, aut pavor illórum.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

O miles emérite, qui christiánæ milítiæ duris labóribus angélicæ felicitátis réquiem commutásti! réspice ad imbélles et imbecílles commilitónes tuos, qui inter hostíles gládios et spiritáles nequítias tuis laúdibus occupámur. Quam pium, quam dulce, quam suáve, o Antóni, in hoc loco afflictiónis et in hoc córpore mortis te cánere, te cólere, te precári! Nomen tuum, et memoriále tuum favus distíllans in lábiis captivórum; mel et lac sub lingua eórum, qui tui memória delectántur. Eja ergo, fortis athléta, dulcis patróne, advocáte fidélis, exsúrge in adjutórium nobis, ut et nos de nostra ereptióne gaudeámus, et tu de plena victória gloriéris.

℟. Iste homo.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Et réliqua.

Homilía sancti Fulgéntii Epíscopi.

Ex Sermone de Confess.

Si istum Dómini sermónem secúndum lítteram velímus accípere, nihil in eo cómmodi spiritális póssumus inveníre. Quid enim próficit ad ánimæ salútem, si áliquis corporáliter, aut lumbos præcíngat, aut lucérnam accéndat? In lumbis ítaque concupiscéntia carnális osténditur, in lucérnis vero fides, et cáritas christiána monstrátur. Jubens ígitur Dóminus lumbos nostros præcíngi, concupiscéntias carnis sine dúbio præcipit refrenári. Imperans autem ut lucérnas ardéntes habeámus, hoc útique jubet ut et lúmine veræ fídei splendeámus, et sanctæ caritátis opéribus ferveámus.

℟. Iste est qui.

Lectio viii.

Ista, quæ de Evangélio proposúimus, cum prophéticis sermónibus conferámus. Utrúmque enim Testaméntum Deus instítuit; unus Dóminus dedit; et si sunt utriúsque Testaménti divérsa pro tempóribus sacraménta, concórdat tamen in utróque salútis humánæ senténtia, qua præcípitur ut non peccémus, et jubétur ut bonis opéribus insistámus. Per Isaíam Dóminus omnes his ádmonet verbis: Auférte malum cogitatiónum vestrárum ab óculis meis; quiéscite pervérse ágere; díscite benefácere. Quid est enim, Sint lumbi vestri præcíncti, nisi, quiéscite ágere pervérse? Quid est, Sint lucérnæ ardéntes, nisi, díscite benefácere?

℟. Sint lumbi.

Lectio ix. de S. Silverio et commem. in Laudibus.

Die 23. Junii.

Octava

S. Mamiliani Episc. et Mart.

Duplex.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

De S. Ignatio Mart. tom. 5. circa med.

Lectio iv.

Tempus animadvértite, fratres, quo dignitátem episcopálem beátus Mamiliánus est assecútus. Neque enim est éadem nunc, quæ tunc erat, Ecclésiam gubernándi condítio: ut non æquális est labor viam tritam et plane parátam post multos íngredi viatóres, atque eam, quæ nunc primo secánda est, quæque prærúpta et saxósa ferísque plena, nec ullum adhuc viatórem admísit. Tunc autem quocúmque quis óculos vérteret, ubíque præcipítia, bárathra, et bella, et pugnæ, et perícula: imperatóres et reges, et pópuli, et civitátes, et gentes, et doméstici, et aliéni credéntibus insídias tendébant.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Quemádmodum ígitur gubernatórem admirámur, non quod vectóres possit in portum incólumes dúcere, cum mare tranquíllum est, cumque navis fertur ventis secúndis; sed cum insaniénte pélago, ventísque sæviéntibus, qui in navi sunt, inter se disséntiunt, magna tempestáte intus et foris navigántes exagitánte, navim tamen potest dírigere et conserváre. Sic eos, qui tunc Ecclésiam regébant, multo magis, quam illos, qui eam in præséntia gubérnant, suspícere debémus et admirári; quando multa bella intus et foris; quando fídei planta imbecíllior erat adhuc, et diligéntia magis indigébat; quando véluti modo génitus infans Ecclésiæ pópulus magnam providéntiam atque sapiéntiam ánimæ, a qua nutriéndus esset, postulábat.

℟. Desidérium ánimæ.

Lectio vi.

Verum, ne totum tempus in episcopátus consideratióne collocántes, ab iis, quæ ad eum uti mártyrem spectant, enarrándis excludámur, age, ad illíus certámina contendámus. Versútus enim diá-

bolus, et ad struéndas aptus insídias, existimábat, si pastóres sustulísset, ovília se fácile direptúrum. Sed qui comprehéndit astútos in eórum astútia, osténdens ecclésias suas non ab homínibus gubernári, sed eos, qui in ipsum credunt, semper a se regi, id fíeri permittébat, ut, cum cérneret, rectóribus sublátis, non tamen religiónem deléri, nec veritátis prædicatiónem exstíngui, sed pótius augéri; ex rebus ipsis, et ipse, et qui ei inserviébant, omnes intellígerent, christianórum disciplínam non ab homínibus pendére, sed in cœlis radíces ágere, Deúmque esse, qui ubíque ecclésias tuerétur.

℟. Stola jucunditátis.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 14.

In illo témpore: Dixit Jesus turbis: Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxórem, et fílios, et fratres, et soróres, adhuc autem et ánimam suam, non potest meus esse discípulus. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Ex Epist. 38.

Sumptus ad turrim ædificándam, et bellántium valéntia decem míllium advérsus regem, qui vigínti míllia habet, nihil est áliud, quam ut renúntiet unusquísque ómnibus, quæ sunt ejus. Prælocútio autem supérior cum extréma conclusióne concórdat: in eo enim, quod unusquísque renúntiat ómnibus, quæ sunt ejus, étiam illud continétur, ut óderit patrem suum, et matrem, et uxórem, et fílios, et fratres, et soróres, adhuc et ánimam suam; ómnia enim hæc própria ejus sunt, quæ plerúmque ímplicant, et impédiunt ad obtinénda, non ista própria temporáliter transitúra, sed in ætérnum mansúra commúnia.

℟. Coróna aúrea.

Lectio viii.

Nec succénseant paréntes, hoc præcípere Dóminum, ut eos odérimus, quando nobis hoc de ánima nostra præcípitur. Sicut autem hoc præcéptum, quo pérdere jubémur ánimam nostram, non ad id valet, ut se quisque intérimat, quod inexpiábile nefas est: et tamen valet, ut intérimat in se carnálem ánimæ afféctum, quo cum impediménto futúræ vitæ præsens vita deléctat: ita de paréntibus rectíssime dícitur, ut qui eos amat, perdat eos, non more parricidárum interfíciens, sed spiritáli gládio verbo Dei carnálem afféctum eórum, quo et seípsos, et eos, quos genuérunt, irritaméntis hujus sǽculi obligáre conántur, pie fidentérque percútiens, et occídens, illud in eis vívere fáciat, quo cum fíliis suis temporálibus, paréntes ætérnos, Deum Ecclesiámque cognóscunt.

℟. Dómine, prævenísti.

Lectio ix. de Vigil. S. Joañis Bapt.

Die 27. Junii.

S. Agrippinæ Virg. et Mart.

Duplex.

Omnia de Communi Virg. et Mart., præter ea, quæ hic habentur propria.

Oratio.

Deus, qui beátæ Agrippínæ largítus es, ut cum virginitátis flore martýrii palmam copuláret: concéde; ut, ejus intercessióne, illécebris et advérsis mundi superátis, ad gaúdia ætérna perveníre mereámur. Per Dóminum.

In I. Noct. Lect. de Script. occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Agrippína Romæ nóbili género nata, in eádem urbe non sibi soli, sed multórum utilitáti vitam suam tradúxit. Cum enim a téneris annis virginitátem Deo vovísset, et ob fervéntem in Christum amórem creáta ómnia detriméntum fáceret: impiórum vero torménta non modo non timéret, sed veheménter subíre cúperet, zelo Dei accénsa, multos puellárum choros ad christiánam fidem perdúxit, eisdémque, ut, spretis voluptátibus carnis, vírgines ad extrémum usque spíritum permanérent, verbis, et exémplo fidéliter suásit.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Eo témpore ómnia crudelitátum génera in christiános expromébant Valeriánus et Galiénus Romanórum imperatóres: ítaque deláta Agrippína, quod cultum deórum detestarétur, minis, et blandiméntis tentátur, ut Christi fidem ejuráret. Cum autem illa in sancto propósito immóbilis permanéret, nudáto córpore, ac vínculis constrícta, fústibus cæditur, tum equúleo torquétur, multísque torméntis affécta, gládio tandem juguláta, evolávit ad Sponsum, nono Caléndas Július.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Sanctæ Agrippínæ corpus occúlte in Sicíliam delátum, a sanctis virgínibus Paula, Bassa, et Agathónica in urbe Mænárum repósitum fuit, ubi festum Translatiónis celebrátur quotánnis, décimo sexto Caléndas Júnii: eædémque vírgines iter suum in Africam prosecútæ, Carthágine pro fide Christi martýrium fórtiter subiérunt. Cum autem post appúlsum córporis sanctæ Agrippínæ in Sicíliam, ad ejus túmulum plura mirácula júgiter a Deo fíerent, constrúcto templo in sanctæ Vírginis honórem, præcípuæ Mænárum Patrónæ veneratióne cólitur, eíque non semel præsídio fuit; potíssimum cum Sarracénos civitátem invadéntes, e cœlo mirabíliter profligávit. ℟. Afferéntur Regi.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus.** de Communi Virg.

Die 29. Junii.

Ss. Apostolorum et **Mart.**

Comem. faciendæ in Festo

Ss. Petri et **Pauli.**

In I. Vesperis.

Pro commem. omnium Ss. Apost.

Ant. In hoc cognóscent omnes quia discípuli mei estis, si dilectiónem habuéritis ad ínvicem.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

Oratio.

Exaúdi nos, Deus salutáris noster, et ómnium sanctórum

Apostolórum tuórum tuére præsídiis, quorum donásti fidéles esse doctrínis.

Pro commem. omnium Ss. Mart.

Ant. **Isti sunt sancti, quos elégit Deus in caritáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam.**

℣. **Justi epuléntur, et exsúltent in conspéctu Dei.** ℟. **Et delecténtur in lætítia.**

Oratio.

Deus, qui glorificáris in concílio sanctórum Mártyrum tuórum, réspice ad preces humilitátis nostræ: ut quorum solémnia celebrámus, eórum précibus adjuvári mereámur. Per Dóminum.

Ad Laudes.

Pro commem. omnium Ss. Apost.

Ant. **Vos qui secúti estis me, sedébitis super sedes, judicántes duódecim tribus Israël.**

℣. **In omnem terram exívit sonus eórum.** ℟. **Et in fines orbis terræ verba eórum.**

Oratio. **Exaúdi.** ut supra. **26***

Pro commem. omnium Ss. Mart.

Ant. **Sancti tui, Dómine, semper benedícant te, et glóriam regni tui dicant.**

℣. **Mirábilis Deus in sanctis suis.** ℟. **In sanctis ejus laudáte Deum.**

Oratio. **Deus, qui.** ut supra.

In II. Vesperis.

Pro commem. omnium Ss. Apost.

Ant. **Vos amíci mei estis, si featéritis, quæ ego præcípio vobis, dicit Dóminus.**

℣. **Gloriósus in sanctis suis fáciens mirabília.** ℟. **Hic Deus meus, et glorificábo eum.**

Oratio. **Exaúdi.** ut supra. **26***

Pro commem. omnium Ss. Mart.

Ant. **Dico autem vobis amícis meis: ne timeátis ab iis, qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere.**

℣. **Justi autem in perpétuum vivent.** ℟. **Et apud Dóminum est merces eórum.**

Oratio. **Deus, qui.** ut supra.

Die 3. Julii.

S. Irenæi Episc. et Mart.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis die 4. Julii.

Die 5. Julii.

B. Archangeli a Calataphimo

Conf. Ordin. Min. observantium.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter sequentia.

Oratio.

Clementíssime Deus, qui beátum Archángelum Confessórem tuum, solitúdinis cultórem, evangélicæ prædicatiónis grátia sublimásti: concéde nobis fámulis tuis; ut ejúsdem imitántes exémpla, consequámur et prǽmia. Per Dñm.

In I. Noct. Lect. de Script. occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Archángelus, in óppido Calataphími diœcésis Mazzariénsis in Sicília nóbili Placéntia stirpe progénitus, a primis annis, ut mundi divítias illecebrásque declináret, in erémum prope óppidum secéssit, et sub ecclésia, a Jubíno dicta, in antro sese recépit, ubi in oratióne vígilans, crebra beatíssimæ Maríæ Vírginis visióne est recreátus. Quum tamen fama illíus sanctitátis et miraculó-

rum, quæ plúrima per ipsum fiébant, brevi percrebuísset, ejusdémque proptérea nomen ádmodum illustrátum esset, sǽculi honóres, hominúmque frequéntiam exósus, inde discédens, Alcamum conténdit. Ibi quum ei hospitále, aliquánto ántea relíctum, quod a sancto António nuncupábant, oblátum esset, illuc transmigrávit, deínde sese occúluit in antro, quod hodiédum a beáto Archángelo appellátur. Erémis autem a Martíno Papa quinto in Sicília abolétis, sacram sancti Francísci vestem a beáto Matthǽo Agrigentíno Panórmi recépit, ac, tirocínio expléto, Alcamum repétiit, ubi hospitáli in formam convéntus redácto, vicárius províncíæ renuntiátur.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

In omni vitæ statu exímiis virtútibus elúxit. Fuit enim húmilis, ut nosci se a némine cúperet: témperans, ut herbis et aqua víveret: justus, ut peccáta horréret: prudens, ut terréstria despíceret: ea vero fide, spe, caritáte, ut cœléstia semper contemplarétur. Regulárum institúti in primis éxstitit rígidus custos, atque promótor in mandátis servándis, in Dei glória promovénda, in animárum salúte procuránda céteris exémplo prææívit, nec sine laude verbum Dei prædicávit. Quaprópter meritórum plenus, miraculórum, et prophetíæ dono illústris, senióque conféctus, año millésimo quadringentésimo sexagésimo, in sui órdinis convéntu cum ingénti sanctitátis fama decéssit.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

Hic commúni in sepúlchro, separáto tamen in loco, tumulátus, ad preces Alcaménsium e túmulo edúcitur, ut super altáre in urna marmórea cum imágine, rádios circa caput referénte, collocarétur. Tunc ádmodum aucta est fidélium píetas ex eo, quod sarménta córpori suppósita invénta sunt pámpinos germinásse. Exínde non solum Alcaménses festum quotánnis solémni pompa celebráre consuevérunt, sed étiam Calataphiménses finitimíque pópuli multa públici et ecclesiástici cultus testimónia exhibuérunt. Postrémo corpus in eádem Minórum Observántium ecclésia in ædículam sancti Francísci translátum est, et in altári compósitum. Hæc ómnia rite probáta Gregórius Papa décimus sextus, ex sacrórum Rítuum Congregatiónis consúlto, confirmávit, ejúsque festum in órdine Minórum sancti Francísci de Observántia, et ab univérso clero diœcésis Mazzariénsis Offício Missáque própria coléndum indúlsit.

℟. Iste homo.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Nolíte timére. de Comm. 2. loco.

Die 7. Julii.

(Pro Diœc. Calatanisiad.)

S. Firmini Episc. et Mart.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart., præter sequentia.

Oratio. **Deus, qui nos.** de Coṁuni Mart. Pont.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Firmínus, Pompelóne nobílibus paréntibus Firmo, et Eugénia natus, una cum illis a beáto Saturníno Epíscopo Tolosáno baptizátus est, a quo et Honésto presbýtero, ut christiána religióne imbuerétur, tráditus, tantum in ea profécit, ut regiónes circumquáque evangélicis documéntis, et vitæ sanctitáte illustráret. Epíscopus Pompelonénsis creátus, terrénis facultátibus in paúperes erogátis, ad munus Apostólicum se accíngens, cum intellígeret per univérsam Gálliam inférri sævam Christiánis persecutiónem, Pompelóna discédens, multas Galliárum Urbes perlustrávit, atque ab Idolórum cultu innúmeram multitúdinem Agennénsium, et Andegavénsium ad Christi fidem convértit; Dómino ejus doctrínam multis miráculis confirmánte.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Inde Bellovácum petens, cum pro exstirpánda Idololatríæ superstitióne plúrimum laboráret, a Valério Præside comprehénsus, et flagéllis usque ad necem cæsus, in cárcerem conjéctus est. Sérgio autem Valérii successóri reservátus, eo loco inédiam, et squallórem diu patiénter tulit: sed vi a pópulo liberátus, in ea civitáte diútius prædicávit, ecclésiam in honórem Protomártyris Stéphani, aliásque nonnúllas constrúxit. Inde Ambiánum perréxit, ubi quadragínta diérum spátio, multis éditis miráculis, tria hóminum míllia ad Christi fidem convértit, sacróque baptísmate ábluit. Porro Sebastiánus, et Longínus Prǽsides, cum certo scirent, Firmíni prædicatióne multas suæ provínciæ urbes, Idólis contémptis, Christum cólere, Tréviris Ambiánum quam celérrime advenérunt, et Firmínum gráviter objurgátum quod contra imperiália edícta novam religiónem indúceret, in cárcerem detrúdunt. Ac pópuli seditiónem vériti, intempéstæ noctis siléntio eum cápite plecti jussérunt séptimo Caléndas Octóbris.

℟. Desidérium ánimæ.

Lectio vi.

Ejus corpus Faustínus Senátor, qui ab ipso Firmíno fúerat lavácro baptísmatis regenerátus, clam sepelívit. Quod ibi látuit usque ad Theodorícum Regem: quo témpore Sálvius venerábilis Ambianénsium Antístes assíduis précibus a Deo impetrávit (ingénti super sepúlchri locum lúmine radiánte, et ex eódem suavíssimo odóre ad vicína usque óppida fragránte), sancti Mártyris relíquias sibi revelári. In quarum translatióne eleménta étiam ipsa visa sunt et obséquium præstitísse. Nam Idibus Januárii cum hiems esset hórrida, súbito omnes regiónis árbores flóribus et fóliis viréntibus vestítæ, prata líliis ac rosis plena ómnibus arridébant. Dénique multi ægróti et infírmi ob mérita sancti Firmíni illa die íntegram sanitátem recuperárunt.

℟. Stola jucunditátis.

In III. Nocturno Lectiones ut in festo S. Laurentii Mart. cum ℟℟. et ℣℣. de Communi.

Die 9. Julii.

S. Veronicæ de Julianis Virg. Abbat. Capucc. Tiferni.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Dominica III. Julii.

Sanctissimi Redemptoris.

Duplex 2. classis.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem Dominica Julii.

Die 15. Julii.

Invent. Corp. **S. Rosaliæ** Virginis Panormitanæ.

Duplex 2. classis.

In I. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud. 33* Ps. de Communi Virg.

Hymnus.

Diva, cui flores tribuére nomen,
Et pias Regum dedit aula cunas,
Hæc tuis læti méritis sacrámus
Múnera laudum.

Monte sub celso látitans, catérvas
Tártari fundis: superísque victrix,
Nomen in saxo, genus, et perénnes
Sculpis amóres.

Præbet hic ædem specus, et sopórem
Excipit rupes, pluit æthra potum,
Silva dat mensam, polus et beátæ
Gaúdia vitæ.

Nunc tuo Jesum, sacra Sponsa, vultu
Redde pacátum, procul ut furóres
Pestis, et belli, et famis ipse nostris
Pellat ab oris.

Sit salus illi, decus, atque virtus,
Qui, super cœli sólio corúscans,
Totíus mundi sériem gubérnat,
Trinus, et unus. Amen.

℣. **Spécie tua et pulchritúdine tua.** ℟. **Inténde, próspere procéde, et regna.**

Ad Magnif. Ant. **Ego Rosália, Quisquínæ et Rosárum Dómini fília, amóre Dómini mei Jesu Christi, in hoc antro habitáre decrévi.**

Oratio ut infra ad Laudes. 34*

Ad Matutinum.

Invit. **Regem Vírginum Dñm: * Veníte, adorémus.**

Ps. **Veníte, exsultémus.**

Hymnus.

Virgo Panórmi, pátrios
Quæ regnat inter cœlites,
Agni secúta sémitas,
Domum relíquit régiam.

Hæc Christi amóre saúcia,
Montis perérrat cúlmina,
Sitímque anhéla ut éxpleat,
Cœli propínquat fóntibus.

Antrum colens, ut grátior
Sit Sponsa Sponso sánguinum,
Suos et artus ínnocens
Flagris cruéntat férreis.

Nunc, Diva, flos cœléstium,
Sumens preces mortálium,
Abstérge sordes críminum,
Ut candor insit móribus.

Patri, simúlque Fílio,
Tibíque, sancte Spíritus,
Sicut fuit, sit júgiter
Sæclum per omne glória.
Amen.

In I. Nocturno.

Ant. Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam, et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui.

Psalmi trium Nocturnorum de Communi Virg.

Ant. Concupíscet Rex decórem tuum, Rosália, quóniam ipse est Dóminus Deus tuus.

Ant. Dírige me, Dómine, servam tuam in virtúte tua; et doce me, quia tu es Deus, Salvátor meus.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

De Cánticis Canticórum.

Lectio i. Cap. 2.

Ego flos campi, et lílium convállium. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias. Sicut malus inter ligna silvárum, sic diléctus meus inter fílios. Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi, et fructus ejus dulcis gútturi meo. Introdúxit me in cellam vináriam, ordinávit in me caritátem. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis, quia amóre lángueo.

℟. Noli timére, mater filiórum, dicit Dóminus, quóniam sanctificávi, et parávi montes, habéntes rosam, et lílium: * In quibus gaúdio adimplébo fílios tuos. ℣. Leva óculos tuos in montes, unde véniet auxílium tibi. In.

Lectio ii. Cap. 8.

Quis mihi det te fratrem meum sugéntem úbera matris meæ, ut invéniam te foris et deósculer te, et jam me nemo despíciat? Apprehéndam te et ducam in domum matris meæ: ibi me docébis, et dabo tibi póculum ex vino condíto et mustum malórum granatórum meórum. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. Adjúro vos, fíliæ Jerúsalem, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam, donec ipsa velit. Quæ est ista quæ ascéndit de desérto delíciis áffluens, inníxa super diléctum suum?

℟. In caritáte perpétua diléxit Rosáliam Dóminus; ídeo attráxit eam, et duxit in solitúdinem: * Et locútus est ad cor ejus. ℣. Sponsávit eam sibi in sempitérnum in fide, et in misericórdia. Et.

Lectio iii.

Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum: quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio: lámpades ejus lámpades ignis atque flammárum. Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátem, nec flúmina óbruent illam. Si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam.

℟. Benedícta es tu, Rosália, a Dómino Deo excélso, qui nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum: * Et eris benedícta in ætérnum. ℣. Benedíxit te Dóminus in virtúte sua, quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros. Et. Glória Patri. Et.

In II. Nocturno.

Ant. Angelis suis Deus mandávit de te, Rosália, ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

Ant. Perfecísti, Dómine, gréssus meos in sémitis tuis, ut non moveántur vestígia mea.

Ant. Cantábiles mihi erant justificatiónes tuæ in loco peregrinatiónis meæ.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Lectio iv.

Rosália Virgo orta Panórmi, ex nóbili génere, suam oríginem trahens a Cárolo Magno, in Quisquínæ montem, quadragínta círciter mille pássibus distántem, sola secédens, patérnæ domus opes, delícias, ac spem majóris amplitúdinis, ob propinquitátem et benevoléntiam regum Cicíliæ, contémnens, cum tétricæ rupis horróre et asperitáte commutávit; inque antrum, cui tunc únicus, et quidem angústus, áditus e superióri loco patébat, intrépide descéndit ea mente, quam charactéribus saxo inscúlptis adhuc paténtibus expréssit: Ego Rosália Sinibáldi, Quisquínæ et Rosárum dómini fília, amóre Dómini mei Jesu Christi in hoc antro habitáre decrévi. Qua inscriptióne óculis obversánte, suscéptæ vitæ propósitum áltius cordi infígere, ac divínæ benevoléntiæ signa ad castíssimæ mentis blandiménta vicíssim provocáre consuévit.

℟. Egrédere, Rosália, de cognatióne tua, et de domo patris tui, et veni in terram, quam monstrábo tibi: * Et benedícam tibi, et magnificábo nomen tuum. ℣. Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcédat te, et custódiat in via, et introdúcat in locum, quem parávi. Et benedícam.

Lectio v.

In hac specu subterránea sibi, et mundo emórtua, consepúltaque Jesu Christo, ut soli Deo víveret, diu noctúque látuit, cavens præcípue in móntibus patérni principátus, ne forte ágnita, in domum urbémque pátriam abducerétur invíta. Cállidas dæmonum insídias, quæ ásperæ vitæ tædium, et solitúdinis horrórem ánimo ingerébant, ácriter sæviéndo in se férrea caténa, vigíliis, et humi cubatióne, forti ánimo superásse, antíquæ ícones signíficant. Cumque humánis destitúta præsídiis, nihil solátii aliúnde hauríret, quam e cœlo, Dóminus, qui consolátur, et corónat Sanctos suos, angélicis delíciis illam sæpius recreábat.

℟. Indica mihi, ubi pascas, ubi cubes in merídie? * Amóre Dómini mei Jesu Christi in hoc antro habitáre decrévi. ℣. Osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in aúribus meis, vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra. Amóre.

Lectio vi.

Cœlésti deínde consílio ex antro Quisquinénsi in horridiórem spelúncam Peregríni montis, tribus fere mille pássibus procul Panórmo, Rosália se tránstulit; ut quo difficiliórem pugnam secum ipsa commítteret e conspéctu domus patérnæ, eo laudabílius de contémptis mundi illécebris triumpháret. Latébat ibi ad partem lævam angústus cóncavus, quem éadem, post repértas ejus relíquias, illuc venánti, cui se vidéndam præbuit, dixit esse suam cellam per-

egrínam, ubi multum ætátis exegísset. Hic, tamquam colúmba in foramínibus petræ gemens, in cœléstium rerum contemplatióne defíxa, ad perfectíssimam divíni amóris normam in solitúdine vitam tradúxit, et sanctíssime perénnibus caritátis rosis, et virginitátis líliis coronáta, depósuit prídie Nonas Septémbris: cujus corpus, Urbáno octávo Pontífice máximo, anno Jubilǽi, totíus Sicíliæ plausu divínitus repértum, illam a peste liberávit. Hinc factum est, ut nonnúllæ urbes, et regna sanctam Rosáliam, cujus intercessióne eváserant a contágiis, in novam sibi Patrónam adoptárint.

℟. Floréte flores, quasi lílium, et date odórem, et frondéte in grátiam, et collaudáte cánticum, et benedícite Dóminum in opéribus suis: * Quóniam mirificávit Dóminus Sanctam suam. ℣. Jucunditátem, et exsultatiónem thesaurizábit super nos, et nómine ætérno hæreditábit nos. Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In III. Nocturno.

Ant. Revértere in terram tuam, et in locum nativitátis tuæ, et benefáciam tibi.

Ant. Odor nóminis tui sicut flores rosárum, et lília convállium.

Ant. Mémores érimus virtútis tuæ, Rosália, in omni generatióne, et generatiónem.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Homilia S. Gregorii Papæ in Evang. Símile est regnum cœlórum thesaúro. ut in Communi non Virg.

℟. vii. Ecce elongávi fúgiens, et mansi in solitúdine, exspéctans eum, qui salvum me fecit: paúlulum cum pertransíssem, invéni quem díligit ánima mea: * Ténui eum, nec dimíttam. ℣. Diléctus meus mihi, et ego illi, qui páscitur inter lília. Ténui eum.

℟. viii. Venit in pópulos pestiléntia, et misértus est Dóminus super afflictiónem, et liberávit eos, omnísque cívitas exsultávit, atque lætáta est, et laudávit Deum: * Qui in ancílla sua Rosália adimplévit misericórdiam suam. ℣. Laudáte Dóminum in cýmbalis, modulámini psalmum novum, exsultáte, et invocáte nomen ejus. Qui. Glória Patri. Qui.

Ad Laudes

et per Horas.

Ant. 1. Quasi flos rosárum * in diébus vernis, et quasi lília erit nomen tuum.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Lactábo eam, * et ducam in solitúdinem, et ibi loquar ad cor ejus.

3. Diléctus meus * mihi, et ego illi, qui páscitur inter lília.

4. Veni sponsa mea, * veni: coronáberis de cubílibus leónum, de móntibus pardórum.

5. Fulcíte me flóribus, * stipáte me malis, quia amóre lángueo.

Capitulum. Cant. 2.

Surge, amíca mea, speciósa mea, et veni: colúmba mea in foramínibus petræ, in cavérna macériæ: osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in aúribus meis: vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra.

Hymnus.

O quæ triúmphas æthere,
Humána vota súscipe,
Ut offerénda Númini
Tuis corónes flóribus.

Nunc veris ætérni rosa,
Ægris medére méntibus,
Tu, quæ sacris odóribus
Pestis venéna díssipas.

Defénde, Virgo, pátriam
Vocáta, et orbem prótege:
Nostrísque adhærens córdibus,
Luem repélle críminum.

Jesu, per hanc amábilem
Sponsam, precámur súpplices,
Ut justæ ab iræ fúlmine
Rosæ tegámur fróndibus.

Patri, simúlque Fílio,
Tibíque, sancte Spíritus,
Sicut fuit, sit júgiter
Sæclum per omne glória.
Amen.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. Ant. Regnum mundi, et omnem ornátum sæculi contémpsi, propter amórem Dómini mei Jesu Christi, quem vidi, quem amávi, in quem crédidi, quem diléxi.

Oratio.

Deus, qui beátam Rosáliam Vírginem e regálibus delíciis in móntium solitúdinem transtulísti: concéde propítius; ut, ejus méritis et intercessióne, a mundi voluptátibus in cœléstium amórem erigámur, et ab iracúndiæ tuæ flagéllis misericórditer liberémur. Per Dóminum nostrum.

Ad Tertiam.

Ant. Lactábo eam.

Capit. Surge, amíca mea. 33*

℟. br. Spécie tua, * Et pulchritúdine tua. Spécie tua. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Et pulchritúdine tua. Glória Patri. Spécie tua.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Ad Sextam.

Ant. Diléctus meus.

Capitulum. Cant. 8.

Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum, quia fortis est ut mors diléctio.

℟. br. Adjuvábit eam * Deus vultu suo. Adjuvábit. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus. Glória Patri. Adjuvábit.

℣. Elégit eam Deus et præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Ad Nonam.

Ant. Fulcíte me flóribus.

Capitulum. Cant. 2.

En diléctus meus lóquitur mihi: Surge, própera, amíca mea, formósa mea, et veni. Jam enim hiems tránsiit, imber ábiit, et recéssit: flores apparuérunt in terra nostra.

℟. br. Elégit eam Deus * Et præelégit eam. Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et. Glória Patri. Elégit.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

In II. Vesperis.

Ant., Psalmi, Capit. et Hymnus ut in I. Vesperis.

℣. **Elégit eam Deus et præelégit eam.** ℟. **In tabernáculo suo habitáre facit eam.**

Ad Magnif. Ant. **Egredímini, et vidéte, filiæ Sion, Rosáliam in diadémate, quo coronávit eam Christus in die desponsatiónis illíus, et in die lætítiæ cordis ejus.**

Dominica post festum Translat. S. Rosaliæ aut die 18. Julii.

Translationis

Ss. Eustotii, Proculi et **Golbodæi** Mart. Civium Panormit.

Duplex 2. classis.

Omnia de Communi plurim. Mart. præter sequentia.

Oratio.

Excélsa nos, Dómine, sanctórum Mártyrum tuórum Eustótii, Próculi et Golbodǽi coróna lætíficet, quæ et fídei nostræ præbeat increménta virtútum, et multíplici nos suffrágio consolétur. Per Dóminum.

In I. Nocturno.

De. Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebrǽos.

Lectio i. Cap. 10.

Fratres: Rememorámini prístinos dies, in quibus, illumináti, magnum certámen sustinuístis passiónum. Et in áltero quidem oppróbriis et tribulatiónibus spectáculum facti: in áltero autem sócii táliter conversántium effécti. Nam et vinctis compássi estis, et rapínam bonórum vestrórum cum gaúdio suscepístis, cognoscéntes vos habére melióreme et manéntem substántiam. Nolíte ítaque amíttere confidéntiam vestram, quæ magnam habet remuneratiónem. Patiéntia enim vobis necessária est, ut, voluntátem Dei faciéntes, reportétis repromissiónem. Adhuc enim módicum aliquántulum, qui ventúrus est, véniet et non tardábit. Justus autem meus ex fide vivit.

℟. **Abstérget Deus.**

Lectio ii. Cap. 11.

Juxta fidem defúncti sunt omnes isti, non accéptis repromissiónibus, sed a longe eas aspiciéntes, et salutántes, et confiténtes, quia peregríni et hóspites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, signíficant se pátriam inquírere. Et si quidem ipsíus meminíssent, de qua exiérunt, habébant útique tempus reverténdi. Nunc autem meliórem áppetunt, idest, cœléstem. Ideo non confúnditur Deus vocári Deus eórum; parávit enim illis civitátem. Qui per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes, obturavérunt ora leónum, exstinxérunt ímpetum ignis, effugérunt áciem gládii, convaluérunt de infirmitáte, fortes facti sunt in bello, castra vertérunt exterórum.

℟. **Viri sancti gloriósum.**

Lectio iii.

Alii autem disténti sunt, non suscipiéntes redemptiónem, ut meliórem invenírent resurrectiónem. Alii vero ludíbria et vérbera expérti, ínsuper et víncula, et cárceres. Lapidáti sunt, secti sunt,

tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt: circuiérunt in melótis, in péllibus caprínis, egéntes, angustiáti, afflícti, quibus dignus non erat mundus. In solitudínibus errántes, in móntibus et spelúncis et in cavérnis terræ. Et hi omnes testimónio fídei probáti, non accepérunt repromissiónem, Deo pro nobis mélius áliquid providénte, ut non sine nobis consummaréntur.

℟. Tradidérunt córpora.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Eustótius, Próculus et Golbodæus Panórmi, sǽculo tértio in lucem éditi, urbem pátriam gloriósis fídei testimóniis illustrárunt. Sub disciplína sancti epíscopi Mamiliáni, cui semper adhæsérunt, vitam componéntes, inter præcípuos et ferventióres ejúsdem sancti antístitis discípulos adscríbi meruérunt. Eórum exímiam córporis compositiónem et vultus modéstiam e turri, in qua morabátur, admírans virgo Nympha, et privátis eórum sermónibus excitáta, abdicáto idolórum cultu, christiánam fidem amplexáta est.

℟. Sancti tui.

Lectio v.

Sub Aureliáno Sicíliæ præfécto pro cathólica religióne, quam viríliter asserébant, cárceres, famem, equúleum, aliáque torménta perpéssi sunt; sed his ómnibus divínitus superátis, relícta pátria, perpétuo exsílio semetípsos tradidérunt. Pharum Portus Románi juxta Tíberim attingéntes, ibi in Buccinénsi crypta, una cum sanctis Mamiliáno et Nympha vírgine, visitátis Romæ paulo ante Apostolórum sepúlchris, in terrenárum rerum inópia et cœléstium affluéntia, anno trecentésimo duodécimo, in pace quievérunt.

℟. Vérbera carnífícum.

Lectio vi.

Eórum córpora in eádem crypta juxta corpus sancti Mamiliáni, sex ante menses defúncti, supérstes virgo Nympha sepelíri curávit. Inde, jussu Urbáni secúndi, año millésimo nonagésimo octávo Romam transláta, in parochiáli ecclésia sanctæ Maríæ Montis Cǽlii honorífice cóndita sunt. Insígnes tamen relíquiæ, indulgénte Alexándro séptimo, anno millésimo sexcentésimo sexagésimo sexto, Panórmum deportátæ, in templo cathedráli magna veneratióne honoréntur.

℟. Tamquam aurum.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 24.

In illo témpore: Sedénte Jesu super montem Olivéti, accessérunt ad eum discípuli secréto, dicéntes: Dic nobis, quando hæc erunt? Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbýteri.

Lib. 4. in Matth. cap. 24.

Ubi verum lumen sciéntiæ nascebátur, accédunt ad eum discípuli secréto, qui mystéria et futurórum revelatiónem nosse cupiébant, et intérrogant tria: quo témpore Jerúsalem destruénda sit: quo ventúrus Christus: quo

consummátio sæculi futúra sit. Multi enim vénient in nómine meo, dicéntes: Ego sum Christus, et multos sedúcent; quorum unus est Simon Samaritánus, quem in Actibus Apostolórum légimus, qui se magnam dicébat esse Dei virtútem, hæc quoque et cétera in suis volumínibus scripta dimíttens: Ego sum sermo Dei, ego sum speciósus, ego Paraclétus, ego omnípotens et ego ómnia Dei.

℟. Propter testaméntum.

Lectio viii.

Hæc autem ómnia inítia sunt dolórum. Non ámbigo, hæc quidem juxta lítteram futúra, quæ scripta sunt, sed mihi vidétur regnum contra regnum, et pestiléntia eórum, quorum sermo serpit ut cancer, et fames audiéndi verbum Dei, et commótio univérsæ terræ, et a vera fide separátio, in hæréticis magis intélligi: qui contra se ínvicem dimicántes, Ecclésiæ victóriam fáciunt. Quod autem dixit: Hæc autem ómnia inítia sunt dolórum, mélius transfértur, parturitiónum: ut quasi concéptus quidam advéntus Antichrísti, non partus intelligátur.

℟. Sancti mei.

Lectio ix.

Et quóniam abundávit iníquitas, refrigéscet cáritas multórum. Non ómnium negávit fidem, sed multórum; multi enim vocáti, pauci vero elécti. Nam in Apóstolis et simílibus eórum permansúra est cáritas, de qua scriptum est: Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátem. Et ipse Paulus: Quis nos separábit a caritáte Christi? tribulátio, an angústia, an fames? Et réliqua.

Te Deum laudámus.

Die 19. Julii.

S. Vincentii a Paulo Conf.

Duplex majus.

In I. Vesperis.

Ant. 1.

Egéni et paúperes quærunt aquas, et non sunt: Ego Dóminus exaúdiam eos, Deus Israël non derelínquam eos.

Psalmus. **Dixit Dóminus.** cum reliqu. de Comm. Conf. non Pont.

2. Suscitábo mihi sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum et ánimam meam fáciet: et ædificábo ei domum fidélem, et ambulábit coram Christo meo.

3. Dabo vobis pastóres juxta cor meum, et pascent vos sciéntia et doctrína.

4. Lábia enim sacerdótis custódient sciéntiam, et legem requírent ex ore ejus.

5. Inebriábo ánimam sacerdótum pinguédine, et pópulus meus bonis meis adimplébitur.

Capitulum. Eccli. 18. b.

Miserátio hóminis circa próximum suum: misericórdia autem Dei super omnem carnem. Qui misericórdiam habet, docet et érudit quasi pastor gregem suum.

Hymnus.

Qui mutáre solet grándibus ínfima
Omnes exsúperans, máximus ómnium,
Vincénti, ténuem te Deus éxtulit,
Cœli cœtibus ínserens.

Vilis sub túguri tégmine násceris;
At splendor ténebras excípiet breves;
Te compléxa sinu præsídium sibi
Nutrix paupéries parat.

Ut promptam míseris ferre scias opem,
Duras, heu! páteris servítii vices:
Sed te, dum fídei subdit herum jugo,
Solvit cómpede véritas.

Quantus nunc óperum luce pates! tuis
Christi sponsa nitet culta labóribus:
Clero priscus honos, vívaque lánguidis
Exsúrgit pópulis fides.

Te montánus, inops, æger et órphanus,
Te plebs tota suum jure vocat patrem:
Cunctis lætus ades, córpora súblevas,
Mentes concílias Deo.

Regum consíliis jussus ades sacris,
Mentis certa tuæ lúmina cónsulunt:
Te nil tangit honos; at míseros ope,
Et regnum mónitis juvas.

Quem flectunt ínopes, máxima laus Patri:
Ægris unde salus, máxima Fílio:
Blando qui récreas péctora flámine,
Par sit laus tibi, Spíritus.
Amen.

℣. Justus tota die miserétur et cómmodat. ℟. Et semen ejus in benedictióne erit.

Ad Magnif. Ant. Dispérsit, dedit paupéribus: justítia ejus manet in sǽculum sǽculi.

Oratio ut infra ad Laudes. 43*

Ad Matutinum.

Invitat. Evangelizántem paupéribus Dóminum, * Veníte, adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus.

O qui supérnæ gaúdia pátriæ
Haustu perénni plénius ébibis,
Ne sperne, Vincénti, tuórum
Vota, preces, gémitus cliéntum.

Futúrus olim paupéribus pater,
Discis vel infans paupériem pati:
Præstantióres transitúris
Divítias tibi Christus offert.

Primis sub annis se tibi mútuo
Intácta junxit fœdere cástitas:
In corde puro caritátem
Relígio pietásque fovit.

Christum fidéli reddis imágine,
Sermóne, gressu, móribus éxprimis:
Christíque Matris dulce nomen
Obséquiis et amóre laudas.

Vinclis onústus, tartáreis herum
Solvis caténis; hinc tibi rédditus,
Noxis ligátos quot salúti
Restítuis, subigísque Christo!

Austeriórem dum sapiéntiam
Castígat oris blanda serénitas,
Se corda subdunt, seque gaudent,
Elóquio dominánte, vinci.

Latére gestis, spléndida non sinit
Latére virtus. Régia te vocat:
Arcána tractas sacra regum,
Consílio monitísque prodes.

Doctrína puris édita fóntibus
Pervérsa constans dógmata réspuit:
Scuto retúndis veritátis
Mille malas novitátis artes.

Laus summa Patri, súmaque Fílio:
Compar sit tibi glória, Spíritus:
A se vocátos roboránti
Sumus honor Dómino per ævum.
Amen.

In I. Nocturno.

Ant. Puer proficiébat atque crescébat, et placébat tam Dómino, quam homínibus.

Psalmi trium Nocturnorum de Communi Conf. non Pont.

Ant. Erat vir ille simplex, et rectus, ac timens Deum, et recédens a malo.

Ant. Dóminus erat cum illo, et ómnia ópera ejus dirigébat.

℣. Servávi mandáta tua et testimónia tua. ℟. Quia omnes viæ meæ in conspéctu tuo.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio i. Cap. 1. c.

Misit me Christus evangelizáre, non in sapiéntia verbi, ut non evacuétur crux Christi. Verbum enim crucis pereúntibus quidem stultítia est; iis autem qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim: Perdam sapiéntiam sapiéntium, et prudéntiam prudéntium reprobábo. Ubi sápiens? Ubi scriba? Ubi conquisítor hujus sǽculi? Nonne stultam fecit Deus sapiéntiam hujus mundi? Nam quia in Dei sapiéntia non cognóvit mundus per sapiéntiam Deum, plácuit Deo per stultítiam prædicatiónis salvos fácere credéntes. Quóniam et Judǽi signa petunt, et Græci sapiéntiam quærunt: nos autem prædicámus Christum crucifíxum, Judǽis quidem scándalum, Géntibus autem stultítiam: ipsis autem vocátis Judǽis atque Græcis, Christum Dei virtútem et Dei sapiéntiam. Quia quod stultum est Dei, sapiéntius est homínibus: et quod infírmum est Dei, fórtius est homínibus.

℟. Parávit cor suum, * Ut investigáret legem Dómini, et fáceret, et docéret in Israël præcéptum et judícium. ℣. Devítans profánas vocum novitátes, et oppositiónes falsi nóminis sciéntiæ. Ut.

Lectio ii.

Vidéte enim vocatiónem vestram, fratres, quia non multi sapiéntes secúndum carnem, non multi poténtes, non multi nóbiles; sed quæ stulta sunt mundi elégit Deus, ut confúndat sapiéntes: et infírma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia: et ignobília mundi et contemptibília elégit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrúeret: ut non gloriétur omnis caro in conspéctu ejus. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapiéntia a Deo, et justítia, et sanctificátio, et redémptio; ut quemádmodum scriptum est: Qui gloriátur, in Dómino gloriétur.

℟. Sapiéntia vénditum justum non derelíquit, sed a peccatóribus liberávit eum. * Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum. ℣. Oppréssum a nefandórum injúria ac luxuriósa conversatióne erípuit: aspéctu enim et audítu justus erat. Descendítque.

Lectio iii.

Et ego cum veníssem ad vos, fratres, veni non in sublimitáte sermónis aut sapiéntiæ, annúntians vobis testimónium Christi. Non enim judicávi me scire áliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifíxum. Et ego in infirmitáte et tremóre multo fui apud vos: et sermo meus, et prædicátio mea, non in persuasibílibus humánæ sapiéntiæ verbis, sed in ostensióne spíritus et virtútis; ut fides vestra non sit in sapiéntia hóminum, sed in virtúte Dei. Sapiéntiam autem lóquimur inter perféctos: sapiéntiam vero non hujus sæculi, neque príncipum hujus sæculi qui destruúntur; sed lóquimur Dei sapiéntiam in mystério, quæ abscóndita est, quam prædestinávit Deus ante sæcula in glóriam nostram.

℟. Sapiéntia humiliáti exaltábit caput illíus, * Et in médio magnatórum consedére illum fáciet. ℣. Qui enim humiliátus fúerit, erit in glória. Et. Glória Patri. Et.

In II. Nocturno.

Ant. Tulit me Dóminus, cum séquerer gregem, et dixit Dóminus ad me: Vade, prophéta, ad pópulum meum Israël.

Ant. Annuntiábam ut pœniténtiam ágerent, et reverteréntur ad Deum, digna pœniténtiæ ópera faciéntes.

Ant. Multi credéntium veniébant, confiténtes et annuntiántes actus suos.

℣. Pósui verba mea in ore tuo. ℟. Ut plantes cœlos, et fundes terram.

Lectio iv.

Vincéntius a Paulo, natióne Gallus, Pódii, non procul ab Aquis Tarbéllis, in Aquitánia natus, jam tum a púero exímiam in paúperes caritátem præ se tulit. A custódia patérni gregis ad lítteras evocátus, humánas Aquis, divínas cum Tolósæ, tum Cæsaraugústæ dídicit. Sacerdótio initiátus, ac theologíæ laúrea insignítus, in Turcas íncidit, qui captívum in Africam adduxérunt; sed in captivitáte pósitus, herum ipsum Christo rursus lucrifécit. Cum eo ígitur ex bárbaris oris, opitulánte Deípara, sese prorípiens, ad apostólica límina iter instítuit. Unde in Gálliam revérsus, Clippíaci primum, mox Castellriónis parœcias sanctíssime rexit. Renuntiátus a rege primárius Sacrórum miníster in Gálliæ triremibus, mirum quo zelo et ducum et rémigum salúti óperam posúerit. Moniálibus Visitatiónis a sancto Francísco Salésio præpósitus, tanta prudéntia per annos círciter quadragínta eam curam sustínuit, ut máxime comprobáverit judícium sanctíssimi præsulis, qui sacerdótem Vincéntio digniórem nullum se nosse fatebátur.

℟. Sústulit eum de grégibus óvium * Páscere Jacob servum suum, et Israël hæreditátem suam. ℣. Et pavit eos in innocéntia cordis sui, et in intelléctibus mánuum suárum dedúxit eos. Páscere.

Lectio v.

Evangelizándis paupéribus, præsértim ruricolis, ad decrépitam usque ætátem indeféssus in-

cúbuit, eíque apostólico óperi tum se, tum alúmnos congregatiónis, quam sub nómine presbyterórum sæculárium Missiónis instítuit, perpétuo voto a sancta Sede confirmáto, speciátim obstrínxit. Quantum autem augéndæ cleri disciplínæ adlaboráverit, testántur erécta majórum clericórum semirária, collatiónum de divínis inter sacerdótes frequéntia, et sacræ ordinatióni præmitténda exercítia: ad quæ, sicut et ad pios laicórum secéssus, institúti sui domicília libénter patére vóluit. Insuper ad amplificándam fidem et pietátem, evangélicos misit operários, non in solas Gálliæ províncias, sed et in Itáliam, Polóniam, Scótiam, Hibérniam, atque ad Bárbaros et Indos. Ipse vero, vita functo Ludovíco décimo tértio, cui moriénti hortátor ástitit, a regína Aña Austríaca, matre Ludovíci décimi quarti, in sánctius concílium accítus, studiosíssime egit, ut nónnisi digniores ecclésiis ac monastériis præficeréntur: civíles discórdiæ, singulária certámina, serpéntes erróres, quos simul sensit et exhórruit, amputaréntur; débitaque judíciis apostólicis obediéntia præstarétur ab ómnibus.

℟. Evangélii factus sum miníster secúndum donum grátiæ Dei, quæ data est mihi secúndum operatiónem virtútis ejus. * Mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc. ℣. Ego novíssimus evigilávi, et quasi qui cólligit ácinos post vindemiatóres, in benedictióne Dei et ipse sperávi, et quasi qui vindémiat, replévi tórcular. Mihi.

Lectio vi.

Nullum fuit calamitátis genus, cui patérne non occúrrerit. Fidéles sub Turcárum jugo geméntes, infántes expósitos, júvenes díscolos, vírgines periclitántes, moniáles dispérsas, mulíeres lapsas, ad triremes damnátos, peregrínos infírmos, artífices inválidos, ipsósque mente captos, ac innúmeros mendícos subsídiis et hospítiis, etiámnum superstítibus excépit, ac pie fovit. Lotharíngiam, Campániam, Picárdiam, aliásque regiónes peste, fame bellóque vastátas, prolíxe refécit. Plúrima ad perquiréndos et sublevándos míseros sodalítia fundávit, inter quæ célebris matronárum cœtus, et late diffúsa sub nómine Caritátis puellárum socíetas. Puéllas quoque tum de Cruce, tum de Providéntia, ac sanctæ Genovéfæ ad sequióris sexus educatiónem, erigéndas curávit. Hæc inter et ália gravíssima negótia, Deo júgiter inténtus, cunctis affábilis, ac sibi semper constans, simplex, rectus, húmilis, ab honóribus, divítiis ac delíciis semper abhórruit, audítus dícere: Rem nullam sibi placére, prætérquam in Christo Jesu, quem in ómnibus studébat imitári. Córporis demum afflictatióne, labóribus senióque attrítus, die vigésima séptima Septémbris, anno salútis supra millésimum sexcentésimo sexagésimo, ætátis suæ octogésimo quinto, Parísiis, in domo sancti Lázari, quæ caput est Congregatiónis Missiónis, plácide obdormívit: quem virtútibus, méritis ac miráculis clarum Clemens duodécimus inter sanctos rétulit, ipsíus celebritáti

die décima nona mensis Júlii quotánnis assignáta.

℟. Factus sum infírmis infírmus, ut infírmos lucrifácerem: * Omnibus ómnia factus sum, ut omnes fácerem salvos. ℣. Oculus fui cæco, et pes claudo: pater eram paúperum. Omnibus. Glória Patri. Omnibus.

In III. Nocturno.

Ant. Addúxit sacerdótes atque levítas, et congregávit eos.

Ant. Dixítque ad eos: Audíte me, levítæ, et sanctificámini; mundáte domum Dómini, et auférte omnem iṁundítiam de sanctuário.

Ant. Egréssi autem circuíbant per castélla evangelizántes.

℣. Dóminus dabit voci suæ vocem virtútis. ℟. Date glóriam Deo super Israël.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 9.

In illo témpore: Circuíbat Jesus omnes civitátes et castélla, docens in Synagógis eórum, et prǽdicans Evangélium regni. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbýteri.

Homilia 9. in Matth.

Cernis quod æquáliter et villis, et úrbibus, et castéllis, id est, et magnis et parvis, Evangélium prædicáverit; ut non consideráret nobílium poténtiam, sed salútem credéntium. Circuíbat civitátes: hoc habens óperis, quod mandáverat Pater, et hanc esúriem, ut doctrína sua salvos fáceret infidéles. Docébat autem in synagógis et villis Evangélium regni, et post prædicatiónem atque doctrínam, curábat omnem languórem et omnem infirmitátem; ut quibus sermo non suáserat, ópera persuadérent.

℟. Venérunt ad eum in hospítium plúrimi, quibus exponébat testíficans regnum Dei: * Suadénsque eis de Jesu ex lege Móysi et Prophétis, a mane usque ad vésperam. ℣. Et circuíbat omnes civitátes et castélla docens. Suadénsque.

Lectio viii.

Videns autem turbas, misértus est eis, quia erant vexáti et jacéntes sicut oves non habéntes pastórem. Vexátio gregis et óvium, atque turbárum, pastórum culpa et vítium magistrórum est. Unde séquitur: Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Messis multa populórum signíficat multitúdinem: operárii pauci, penúriam magistrórum.

℟. Messis quidem multa, operárii autem pauci: * Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. ℣. Leváte óculos vestros, et vidéte regiónes, quia albæ sunt jam ad messem. Rogáte. Glória Patri. Rogáte.

Lectio ix.

Et ímperat ut rogent Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Isti sunt operárii, de quibus lóquitur Psalmísta dicens: Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua; veniéntes autem vénient cum exsultatióne, por-

tántes manípulos suos. Et ut apértius loquar: Messis multa, omnis turba credéntium est; operárii autem pauci, et Apóstoli et imitatóres eórum qui mittúntur ad messem.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes
et per Horas.

Ant. 1. Gubernávit * ad Dóminum cor ipsíus, et in diébus peccatórum corroborávit pietátem.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Vir justus * atque perféctus fuit in generatiónibus suis, cum Deo ambulávit.

3. Oculus Dei * respéxit illum in bono, et eréxit eum ab humilitáte ipsíus, et exaltávit caput ejus: et miráti sunt in illo multi, et honoravérunt Deum.

4. In omni ópere * dedit confessiónem Sancto et Excélso in verbo glóriæ, de omni corde suo laudávit Dóminum, et diléxit Deum, qui fecit illum.

5. Dedit * in celebratiónibus decus, et ornávit témpora usque ad consummatiónem vitæ, ut laudárent nomen sanctum Dómini.

Capitulum. Eccli. 18. b.

Miserátio hóminis circa próximum suum: misericórdia autem Dei super omnem carnem. Qui misericórdiam habet, docet et érudit quasi pastor gregem suum.

Hymnus.

Ut nunc ab alto prævia
Nos luce, Vincénti, regis,
Virtútis exémplo tuæ,
Signans ad astra trámitem!

Dilécta sponso Vírginum
Corpus sacrávit cástitas!
Ornáre Virtútum chorus
Mentem pudícam géstiit.

Hinc illa, qua te déprimis,
Sibi timens modéstia:
Hinc blanda morum lénitas,
Vitǽque candor símplicis.

Sed inter omnes émicat
Quo fervet igne cáritas:
Quot illa pascit paúperes,
Quot corda Christo súbjicit!

Ardénte zelo pércitus,
Late Dei mystéria
Per rura pandis: nec tamen
Curam poténtum déseris.

Te sensit error íntegra
Dolos repulsántem fide:
Te sensit inféнsum scelus,
Tibíque cessit ímpotens.

Pii labóris ǽmulam
Prolem sub alis cóngregas:
Hanc voce, factis, móribus,
Dux et magíster édoces.

Qui se perénne prǽmium
Dat caritáte férvidis,
Uni sit et trino Deo
Laus et perénnis glória.
Amen.

℣. Sacerdótes tui, Dómine, induántur justítiam. ℟. Et sancti tui exsúltent.

Ad Bened. Ant. Operátus est bonum et rectum et verum coram Dómino Deo suo in univérsa cultúra ministérii domus Dómini, juxta legem et cæremónias volens requírere Dóminum Deum suum in toto corde suo.

Oratio.

Deus, qui ad salútem paúperum, et cleri disciplínam, novam in Ecclésia tua per beátum Vin-

céntium famíliam congregásti: da, quǽsumus; ut, eódem nos quoque spíritu fervéntes, et amémus quod amávit, et quod dócuit operémur. Per Dóminum.

Ad Tertiam.

Ant. Vir justus.

Capitulum. Ps. 15.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper, quóniam a dextris est mihi, ne commóvear.

℟. br. Ambula * Coram me. Ambula. ℣. Et esto perféctus. Coram. Glória Patri. Ambula.

℣. Homo videt ea quæ parent. ℟. Dóminus autem intuétur cor.

Ad Sextam.

Ant. Oculus Dei.

Capitulum. Eccli. 3. c.

Humília te in ómnibus, et coram Deo invénies grátiam: quóniam magna poténtia Dei solíus, et ab humílibus honorátur.

℟. br. Excélsus Dóminus, * Et humília réspicit. Excélsus. ℣. Et alta a longe cognóscit. Et. Glória Patri. Excélsus.

℣. Súscitans a terra ínopem. ℟. Et de stércore érigens paúperem.

Ad Nonam.

Ant. Dedit.

Capitulum. Exodi 18. b.

Esto tu pópulo in his quæ ad Deum pértinent, ut réferas quæ dicúntur ad eum, ostendásque pópulo cæremónias et ritum coléndi.

℟. br. Qui statis * In domo Dómini. Qui. ℣. Extóllite manus vestras in sancta, et benedícite Dóminum. In. Glória Patri. Qui.

℣. Date nómini ejus magnificéntiam. ℟. Et confitémini illi in voce labiórum vestrórum.

In II. Vesperis.

Antiph. et Ps. ut in I. Vesp.; Capit. de Laudibus.

Hymnus.

Quis novus cœlis ágitur triúmphus?
Cœlitum plausum comiténtur hymni:
Ecce lux cleri, pater indigéntum
Æthere splendet.

Facta, Vincénti, tua te perórnant,
Cáritas aptat cápiti corónam,
Teque, quam terris húmilis parásti,
Glória vestit.

Quam rudes olim pópulos docébas,
Véritas nunc se tibi tota pandit;
Paúperi quidquid pia dextra fudit,
Reddit Olýmpus.

Te sacerdótes vel adhuc magístro,
Optimum Christi réferunt odórem;
Púllulat per te sacra lætióri
Vínea fœtu.

Sed tibi quantum decus elabórant
Vírgines castæ, sociǽque matres!
Paúperum gaudent, duce te, fidéles
Esse minístræ.

Corde qui puro míseros levábas,
Disce nunc votis hóminum rogári,
Te suum clamant ínopes, amíca,
Turba, Patrónum.

Summus Ætérno sit honos Parénti,
Par decus Nato míseros levánti,
Sancte, sit compar tibi laus per omne,
Spíritus, ævum. Amen.

℣. Parásti in dulcédine tua paúperi Deus. ℟. Dñs dabit verbum evangelizántibus virtúte multa.

Ad Magnif. Ant. Paúperes Sion saturábo pánibus; sacerdótes ejus índuam salutári, et sancti ejus exsultatióne exsultábunt.

Oratio. **Deus, qui ad salútem.** 43*

Die 20. Julii.

S. Margaritæ Virg. et Mart.

Duplex majus.

Omnia de Communi Virg. et Mart., præter sequentia.

Oratio. **Indulgéntiam.**

In I. Nocturno Lect. **De virgínibus.** ut in Communi 1. loco.

In II. Nocturno.

Sermo S. Augustíni Epíscopi.

Serm. 103. de diversis cap. 1.

Lectio iv.

Hodiérnus dies anniversária replicatióne nobis in memóriam révocat, et quodam modo repræséntat diem, quo sancta fámula Dei Margaríta, coróna martýrii decoráta, perpétua felicitáte flóruit. Exhortatiónes ejus in divínis revelatiónibus, triumphósque passiónis audívimus, mente spectávimus, religióne honorávimus, caritáte laudávimus. Debétur étiam a nobis tam devótæ celebritáti sermo solémnis: quem si méritis ejus ímparem prófero, ímpigrum tamen afféctum gaúdio tantæ festivitátis exhíbeo. Quid enim gloriósius hac fémina, quam viri mirántur facílius quam imitántur? ℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Sed hoc illíus potíssimum laudis est, in quem credéntes, et in cujus nómine fidéli stúdio concurréntes secúndum interiórem hóminem, nec másculus, nec fémina inveniúntur: ut étiam in his quæ sunt féminæ córpore, virtus mentis sexum carnis abscóndat, et in membris pígeat cogitáre, quod in factis non pótuit apparére. Calcátus est ergo draco pede casto, et victóre vestígio, cum eréctæ demonstraréntur scalæ, per quas beáta Margaríta iret ad Deum. Ita caput serpéntis antíqui, quod fuit præcipítium féminæ cadénti, gradus factus est ascendénti.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi. Cap. 2.

Quid hoc spectáculo suávius, quid hoc certámine fórtius, quid hac victória gloriósius? Tunc fremébant gentes, et pópuli meditabántur inánia: sed qui hábitat in cœlis irridébat eos, et Dóminus subsannábat eos. Nunc autem pósteri illórum, quorum voces in carne Mártyris ímpie sæviébant, mérita Mártyris piis vócibus laudant. Neque enim tunc tanto concúrsu hóminum ad eam occidéndam cávea crudelitátis impléta est, quanto nunc ad eam honorándam Ecclésia pietátis implétur. Omni anno spectat cum religióne cáritas, quod uno die cum sacrilégio commísit impíetas.

℟. Afferéntur Regi.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Símile est regnum cœlórum thesaúro.** de Communi non Virg.

Die 21. Julii.
S. Macrinæ Virginis et Abbat.
Duplex.

Omnia de Comm. Virg., præter sequ.

Oratio.

Deus, veritátis amátor, qui beátæ Macrínæ Vírginis ad tui nóminis glóriam vota suscípere dignátus es: fac nos rádios veræ lucis agnóscere, et ad perpétuos caritátis tuæ ampléxus felíciter perveníre. Per Dóminum.

In I. Noct. Lect. de Script. occurr.

In II. Nocturno.

Ex Epístola S. Gregórii Nysséni ad Olýmpium Mónacum.

Lectio iv.

Macrína, sanctórum Basilíi et Euméliæ fília, Magníque Basilíi, et Gregórii Nysséni soror, ab ineúnte ætáte religiósis vitæ móribus a beátis paréntibus diligénter instrúcta, pietátem egrégie cóluit. Hujus mater grávida somno corrépta, manu gestáre sibi visa est id quod adhuc intra víscera continébat, et quemdam humána spécie et forma augustiórem intuéri, qui Theclæ celebérrimæ Mártyris nómine filíolam appellávit. Id autem cum ter répetens testátum reliquísset, discéssit. Ea vero statim somno solúta est, et partu fácile leváta, ut et somno simul excitáta sit, et quod in quiéte víderat, efféctum inspéxit. Is autem qui per quiétem apparúerat, eam vocem pronuntiávit, non tam, ut quo nómine appellánda esset, indicáret, quam ut similitúdine nóminis idem osténderet vivéndi stúdium et institútum. Duodécimum annum cum attigísset, a Basilío patre nóbili cuídam et honestíssimo adolescénti despondétur, quo e vita (núptiis nondum celebrátis) abeúnte, numquam indúci pótuit, ut quæ virginitátem serváre in ánimum indúxerat, álium dúceret. A matris látere, quam summa observántia reverebátur, ne moménto quidem témporis discedébat, eíque ancíllæ instar, ministrábat in ómnibus. ℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Patre mórtuo, labórum Euméliæ matris, quibus illa premebátur, se sóciam præbens, sollicitudinúmque partem súbiens, eam gravi molestiárum ónere levábat: cui post étiam suásit, ut, relícta prístinæ vitæ consuetúdine, elatioríque vivéndi modo, quas súbditas et ancíllas ad usus próprios adhibúerat, secum ejúsdem conditiónis atque órdinis esse vellet, atque una cum illis vitam cum virgínibus tradúceret. Basilíum fratrem ante id tempus, a públicis litterárum gymnásiis, in quibus diu versátus fúerat, domum redeúntem, ad perfectiónis stúdium ádeo incéndit, ut mundi posthábita claritáte despectáque eloquéntiæ glória, laboriósum operosúmque vivéndi genus per paupertátem perféctam amplexátus, expedítam sibi ad virtútem viam exstrúxerit. Ipsa vero beáta Macrína vitam victu ásperam, sed assíduis contemplatiónibus suávem ducens, humi cubábat, módico cibo conténta erat, delícias suas in temperántia collocáverat, glóriam suam in eo putárat sitam, quod nota esset némini, divítias, quod nihil possidéret.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Novem círciter ménsibus a Basílii fratris óbitu, quem illa forti ánimo túlerat, in morbum íncidit: quo témpore a Gregório Nysséno fratre invísitur, qui támdiu apud eam fuit, quámdiu ánimam Deo réddidit. Sub mortem vero, Sponsi caritáte vulneráta, ita Deum precári cœpit: Tu Dómine mortis metum nobis abstersísti: tu effecísti, ut hujúsce vitæ finis vere nobis esset princípium vitæ: tu nostra córpora ad tempus somno tradis, rursúmque e somno súscitas extréma tuba: tu mihi ádhibe Angelum lucis, qui me ducat ad locum refrigérii, ubi quiétis est aqua, in sinu sanctórum Patrum. Hæc dicens, óculos, os, et cor cruce signans, vitæ finem læta exspectábat. Nocte demum adveniénte, cum tota in agéndis Deo grátiis esset, ad prǽmium ábiit in cœlum. Cujus corpus in eo sepúlchro, in quo beatórum paréntum relíquiæ quiescébant, cónditum est.

℟. **Afferéntur Regi.**

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus.** de Communi Virg.

Die 24. Julii.

S. Christinæ Virginis et Martyris Civis Patr. princ. Urbis Panormit.

Duplex 1. classis cum Octava.

Omnia de Communi Virg. et Mart., præter sequentia.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui infírma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas: concéde propítius; ut qui beátæ Christínæ Vírginis et Mártyris tuæ solémnia cólimus, ejus apud te patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

In I. Vesperis. Ad Magnif. Ant. **Ego diléctо meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília.**

In I. Nocturno Lectiones **Confitébor tibi Dómine.** de Comm. Virg. et Mart. 2. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Christína, nóbilis virgo, Tiri in Hetrúria apud Lacum Volsínium éthnicis paréntibus nata, a téneris añis christiánam fidem suscépit. Ad Dómini sui amórem, falsorúmque deórum ódium ádeo exársit, ut annum agens undécimum, idóla aúrea atque argéntea, quæ Urbánus pater domi colébat, comminúerit, fragmináque paupéribus erogáverit. Qua re commótus Urbánus, qui et præses erat, fíliæ constántiam, ut ad superstitiónem suam illam pertráheret, primo blandítiis et précibus aggréssus est. Mox quum id frustra foret, ad suum tribúnal addúci, atque álapis primum pércuti, deínde verbéribus cædi, postrémo, ferro et caténis onústam, in tetrum cárcerem detrúdi jussit. A quo rursus ad torménta evocáta, in equúleo acerbíssime contorquétur. Tum úngulis et scorpiónibus ádeo crudéliter laceráta est, ut concísæ in frusta carnes ad terram dilaberéntur.

℟. **Propter veritátem.**

Lectio v.

His torméntis nihil profíciens immánis pater rotam parári jubet, eíque alligátum vírginis cor-

pus subjécto igne torréri. Sed quum flamma coórto vento in multitúdinem paganórum, quæ circumáderat, agerétur, eorúmque plúrimos mirabíliter consumpsísset, Christína in cárcerem rursus conjícitur, ibíque ab ángelo visitáta prístinæ sanitáti restitúitur. Urbánus vero inhumánius ob hæc mirácula ad cædem sǽviens, ut fília ingénti prægraváta saxo in lacum mergerétur, imperávit. In lacum cum fuísset demérsa, ab ángelo, cui vírginis custódiam demandáverat Deus, ex aquárum profúndo mirabíliter edúcta est. Quumque ad constántiam fíliæ labefactándam nova et acerbióra torménta ímpius pater meditarétur, repentína morte corréptus, vivéndi finem et sæviéndi fecit.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Urbáno prǽsidi mórtuo Dion succéssit, qui multis íterum conquisítis torméntis vírginem aggréssus, in cunas férreas subjécto igne candéntes, atque óleo, pice et resína liquátis plenas, eam immísit, diúque infántis ritu morári fecit. In eo supplício illǽsæ caput abráditur, quod in capíllis malefícia latére præses putáret; cujus jussu ad simulácrum Apóllinis, ut illi thus offérret, pertrácta est: quod tamen, Christína oránte, súbito cóncidens in cíneres est redáctum. Hoc miráculo tria círciter hóminum míllia ad Christi fidem convérsa sunt; præsésque horróre corréptus exspirávit. Hujus successor Juliánus in fornácem ardéntem illam conjécit, ubi quinque diébus, parcénte flamma, permánsit. Tandem post superátos maleficórum serpéntes, post abscíssam linguam, sagittásque toto córpore infíxas, Diocletiáno imperatóre, martýrii cursum gloriosíssime confécit, ac de tribus tyránnis úndecim annórum adolescéntula felicíssime triumphávit.

℟. Afferéntur Regi.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus. de Comm. Virg. 1. loco.

Ad Bened. Ant. Liberásti me a rugiéntibus præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, et a pressúra flammæ, quæ circúmdedit me.

In II. Vesperis. Ad Magnif. Ant. Deo autem grátias, qui dedit mihi victóriam per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Die 27. Julii.

S. Pantaleonis Martyris.

Semiduplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Dominica I. Augusti.

B. Mariæ Virg. de Mercede

Redemptionis Captivorum.

Duplex 2. classis.

In I. Vesperis.

Ant. 1.

Vidi captivitátem pópuli mei, filiórum meórum, et filiárum meárum, quam superdúxit illis ætérnus.

Psalmi ut in Festis B. M. V. per annum.

2. Cónteram virgam ejus de dorso tuo et víncula tua disrúmpam.

3. In funículis Adam traham eos, in vínculis caritátis.

4. Ecce hæréditas Dómini; fílii, merces, fructus ventris.

5. Non fecit táliter omni natióni: et judícia sua non manifestávit eis.

Capitulum. Eccli. 24.

Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris, et flores mei fructus honóris, et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei.

Hymnus.

Dei mater virgo,
Absque casu stella,
Pulchra tamquam luna,
Utque sol elécta.

Nostras audi preces
Tu, quæ captivórum
Miseráta quæstus,
Cónteris caténas.

O ter fausta dies,
Qua conspéctu tuo
Sédulum, pro votis,
Recreásti Petrum!

O nimis profúndus
Caritátis ardor!
Sic a culpa solve,
Quos a jugo solvis.

Agit iste grates
Ordo, quem benígna
Voce demonstrásti
Consecrándum tibi.

Tuo, diva Parens,
Gnatos reple zelo,
Ut corde sequántur,
Ore quod vovéntur.

Ei laus, qui simplex,
Personísque Trinus,
Cóntulit Maríam
Nobis in Paréntem. Amen.

℣. A Dómino factum est istud.
℟. Et est mirábile in óculis nostris.

Ad Magnif. Ant. Laudáte Dóminum Deum nostrum, qui non deséruit sperántes in se: et in me ancílla sua adimplévit misericórdiam, quam promísit dómui Israël, allelúja.

Oratio ut ad Laudes. 54*

Deinde fit commem. Dominicæ occurrentis.

Ad Matutinum.

Invit. Descensiónem beatíssimæ Vírginis Maríæ celebrémus: * Christum Redemptórem Fílium ejus adorémus Dóminum.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus.

Elécta proles máximam
Tuam paréntem dícito:
Per quam fidéles éximis
Ab impiórum néxibus.

Vidéndo Mater óptima
Geméntium discrímina,
Tribus revélat téstibus
Istum pietátis órdinem.

Dignátur inde súmere
Viris ab istis únicum,
Qui a servitúte próximum,
Se mancipándo, víndicet.

Captivitátis víncula
Solúta sunt per vírginem:
Ejus sub aras glóriam
Gentes redémptæ plaúdite.

Par est, fidéles, grátias
Honóris illi péndere,
Quæ gnatos vult pro frátribus
Nodos subíre bárbaros.

Sit laus Patri cum Fílio,
Qui nos redémit pérditos,
Tibíque, sancte Spíritus,
Laus sit per omne sæculum.
Amen.

In I. Nocturno.

Ant. Veni de Líbano sponsa mea, veni de Líbano, veni.

Psalmi trium Nocturnorum ut in Festis B. M. V. per annum.

Ant. A sumo cœlo egréssio ejus, ut non sit, qui se abscóndat a calóre ejus.

Ant. Fundávit eam Altíssimus, super mária fundávit eam, et super flúmina præparávit eam.

℣. Tu exsúrgens miseréberis Sion. ℟. Quia tempus miseréndi ejus, quia venit tempus.

De Cánticis Canticórum.

Lectio i. Cap. 2.

Ego flos campi, et lílium convállium. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias. Sicut malus inter ligna silvárum, sic diléctus meus inter fílios. Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi: et fructus ejus dulcis gútturi meo. Introdúxit me in cellam vináriam, ordinávit in me caritátem. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis, quia amóre lángueo. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. En diléctus meus lóquitur mihi: Surge, própera, amíca mea, colúmba mea, formósa mea, et veni. Jam enim hiems tránsiit, imber ábiit, et recéssit. Flores apparuérunt in terra nostra, tempus putatiónis advénit: vox túrturis audíta est in terra nostra: ficus prótulit grossos suos: víneæ floréntes dedérunt odórem suum. Surge amíca mea, speciósa mea, et veni: colúmba mea in foramínibus petræ, in cavérna macériæ, osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in aúribus meis: vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra.

℟. Introdúxit me in cellam vináriam, ordinávit in me caritátem: Fulcíte me flóribus, stipáte me malis: * Quia amóre lángueo. ℣. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. Quia.

Lectio ii. Cap. 4.

Tota pulchra es amíca mea: et mácula non est in te. Veni de Líbano, sponsa mea, veni de Líbano, veni: coronáberis de cápite Amana, de vértice Sanir, et Hermon, de cubílibus leónum, de móntibus pardórum. Vulnerásti cor meum, soror mea sponsa, vulnerásti cor meum in uno oculórum tuórum, et in uno crine colli tui. Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa! pulchrióra sunt úbera tua vino, et odor unguentórum tuórum super ómnia arómata. Favus distíllans lábia tua sponsa, mel et lac sub lingua tua: et odor vestimentórum tuórum sicut odor thuris. Hortus conclúsus soror mea sponsa, hortus conclúsus, fons signátus. Emissiónes tuæ paradísus malórum punicórum cum pomórum frúctibus. Cypri cum nardo, nardus, et crocus, fístula, et cinnamómum cum univérsis lignis Líbani, myrrha, et áloë cum ómnibus primis unguéntis. Fons hortórum: púteus aquárum vivéntium, quæ fluunt ímpetu de Líbano.

℟. Favus distíllans lábia tua sponsa, mel, et lac sub lingua tua: * Et odor vestimentórum tuórum sicut odor thuris. ℣. Emissiónes tuæ paradísus malórum punicórum cum pomórum frúctibus. Et odor.

Lectio iii. Cap. 8.

Quæ est ista, quæ ascéndit de desérto, delíciis áffluens, inníxa super diléctum suum? Sub árbore malo suscitávi te: ibi corrúpta est mater tua, ibi violáta est génitrix tua. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum: quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio: lámpades ejus, lámpades ignis, atque flammárum. Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátem, nec flúmina óbruent illam: si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam. Soror nostra parva, et úbera non habet: quid faciémus soróri nostræ in die quando alloquénda est? Si murus est, ædificémus super eum propugnácula argéntea: si óstium est, compingámus illud tábulis cedrínis. Ego murus, et úbera mea sicut turris ex quo facta sum coram eo quasi pacem repériens. Vínea fuit pacífico in eo quæ habet pópulos: trádidit eam custódibus, vir affert pro fructu ejus mille argénteos. Vínea mea coram me est. Mille tui pacífici, et ducénti his, qui custódiunt fructus ejus. Quæ hábitas in hortis, amíci auscúltant: fac me audíre vocem tuam.

℟. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum: * Quia fortis est ut mors diléctio: lámpades ejus, lámpades ignis, atque flammárum. ℣. Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátem, nec flúmina óbruent illam. Quia. Glória Patri. Quia.

In II. Nocturno.

Ant. Favus distíllans lábia tua sponsa, mel et lac sub lingua tua: et odor vestimentórum tuórum sicut odor thuris.

Ant. Osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in aúribus meis: vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra.

Ant. Glorióśa dicta sunt de te, cívitas Dei.

℣. Non fecit táliter omni natióni.
℟. Et judícia sua non manifestávit eis.

Lectio iv.

Quo témpore major, feliciórque Hispaniárum pars diro Saracenórum opprimebátur jugo, innumeríque fidéles sub immáni servitúte, máximo cum perículo Christiánæ fídei abjurándæ, amittendǽque salútis ætérnæ, infelíciter detinebántur, beatíssima cœlórum Regína, tot tantísque benígniter occúrrens malis, nímiam caritátem suam in iis rediméndis osténdit. Nam sancto Petro Nolásco, pietáte, et ópibus florénti, qui sanctis vacans meditatiónibus júgiter ánimo recogitábat, qua ratióne tot Christianórum ærúmnis, sub Maurórum captivitáte degéntium, succúrri posset: ípsamet beatíssima Virgo seréna fronte se conspiciéndam dedit, et acceptíssimum sibi, ac unigénito suo Fílio fore dixit, si suum in honórem instituerétur ordo religiosórum, quibus cura incúmberet captívos e Turcárum tyránnide liberándi: qua cœlésti visióne vir Dei recreátus, mirum est, quo caritátis ardóre flagráre cœ́perit, hoc unum servans in corde suo, ut ipse, ac

instituénda ab eo relígio máximam illam caritátem sédulo exercérent, ut quisque ánimam suam póneret pro amícis, et próximis suis.

℟. Surge, própera amíca mea, colúmba mea, formósa mea, et veni. * Jam enim hiems tránsiit, imber ábiit, et recéssit. ℣. Flores apparuérunt in terra nostra, tempus putatiónis advénit; vox túrturis audíta est in terra nostra: víneæ floréntes dedérunt odórem suum. Jam.

Lectio v.

Ea ipsa nocte éadem Virgo sanctíssima beáto Raymúndo de Péñafort, et Jacóbo Aragóniæ regi appáruit, idípsum de religiósis instituéndis ádmonens, suadénsque, ut opem pro constructióne tanti óperis ferrent. Petrus autem statim ad Raymúndi pedes, qui ipsi erat a sacris confessiónibus, ádvolans, ei rem omnem apéruit, quem étiam cœlitus instrúctum réperit, ejúsque directióni se humíllime subjécit. At supervéniens Jacóbus rex, quam et ipse accéperat a beatíssima Vírgine revelatiónem éxsequi státuit. Unde collátis inter se consíliis, et consentiéntibus ánimis, in honórem ejúsdem Vírginis Matris, órdinem instituére aggréssi sunt, sub invocatióne sanctæ Maríæ de Mercéde redemptiónis captivórum.

℟. Diléctus meus mihi, et ego illi.* Qui páscitur inter lília, donec aspíret dies, et inclinéntur umbræ. ℣. Ego diléeto meo, et ad me convérsio ejus. Qui.

Lectio vi.

Die ígitur décima Augústi, anno Dómini millésimo ducentésimo décimo octávo, rex idem Jacóbus eam institutiónem, jam pridem ab iísdem sanctis viris concéptam, éxsequi státuit, sodálibus quarto voto astríctis, manéndi in pignus sub Paganórum potestáte, si pro Christianórum liberatióne opus fúerit. Quibus rex ipse arma sua régia in péctore deférre concéssit, et a Gregório nono illud tam præcelléntis erga próximum caritátis institútum et religiónem confirmári curávit. Sed et ipse Deus per Vírginem Matrem increméntum dedit, ut talis institútio celérius, ac felícius totum per orbem divulgarétur, sanctísque viris florúerit caritáte ac pietáte insígnibus, qui eleemósynas a Christi fidélibus colléctas in prétium redemptiónis suórum proximórum expénderent, seque ipsos intérdum darent in redemptiónem multórum: ut autem tanti benefícii, et institutiónis débitæ Deo et Vírgini Matri referántur grátiæ, Sedes Apostólica hanc peculiárem festivitátem celebrári, et Offícium recitári indúlsit, cum ália fere innúmera eídem órdini privilégia páriter contulísset.

℟. Quæ hábitas in hortis, amíci auscúltant:* Fac me audíre vocem tuam. ℣. Surge amíca mea, speciósa mea, et veni: osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis; vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra. Fac. Glória Patri. Fac.

In III. Nocturno.

Ant. Vulnerásti cor meum soror mea sponsa, vulnerásti cor meum in uno oculórum tuórum.

Ant. Pulchrióra sunt úbera tua vino, et odor vestimentórum tuórum super ómnia arómata.

Ant. Hymnum cantémus Dño, hymnum novum cantémus Deo nostro.

℣. Memor esto Congregatiónis tuæ. ℟. Quam possedísti ab inítio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. Cap. 19.

In illo témpore: Stabant juxta Crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus María Cléophæ, et María Magdaléne. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

Ex Epist. 82. ad Vercell. Eccl. prope fin.

María mater Dómini ante crucem Fílii stabat: nullus me hoc dócuit, nisi sanctus Joánnes Evangelísta: mundum álii concússum in passióne Dómini conscripsérunt, cœlum ténebris obdúctum, refugísse solem, in paradísum latrónem, sed post piam confessiónem, recéptum. Joánnes dócuit, quod álii non docuérunt, quemádmodum in cruce pósitus, matrem appelláverit. Pluris putátur, quod victor suppliciórum, pietátis offícia matri exhibébat, quam quod regnum cœléste donábat vitæ ætérnæ. Nam si religiósum est, quod latróni donátur vénia, multo uberióris pietátis est, quod a fílio mater tanto afféctu honorátur. Ecce, inquit, Fílius tuus: Ecce mater tua.

℟. Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris. * Et flores mei fructus honóris, et honestátis. ℣. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. Et flores mei.

Lectio viii.

Testabátur de cruce Christus, et inter matrem, atque discípulum dividébat pietátis offícia. Condébat Dóminus non solum públicum, sed étiam doméstícum testaméntum. Et hoc ejus testaméntum signábat Joánnes, dignus tanto testatóre testis. Bonum testaméntum non pecúniæ, sed vitæ ætérnæ, quod non atraménto scriptum est, sed spíritu Dei vivi, qui ait: Lingua mea cálamus scribæ velóciter scribéntis. Sed María, nec minor quam matrem Christi decébat, fugiéntibus Apóstolis, ante crucem stabat, et piis spectábat óculis Fílii vúlnera, quia exspectábat non pígnoris mortem, sed mundi salútem: aut fortásse quia cognóverat per Fílii mortem mundi redemptiónem, aula regális étiam sua morte putábat, se áliquid público additúram múneri. ¶ Sed Jesus non egébat adjutóre ad redemptiónem ómnium, qui omnes sine adjutório servávit. Unde et dicit: Factus sum sicut homo sine adjutório inter mórtuos liber. Suscépit quidem afféctum paréntis, sed non quæsívit altérius auxílium. Hanc imitámini matres sanctæ, quæ in único Fílio dilectíssimo tantum matérnæ virtútis exémplum édidit. Nec enim vos dulcióres líberos habétis, neque illud virgo quærébat solátium, quod álium posset generáre Fílium.

℟. Beáta es María Dei génitrix patróna, et auxiliátrix nostra: * Cujus nutu hæc tua ad fidélium

redemptiónem institúta est relígio. ℣. Tua sancta intercessióne ádjuva nos, Virgo immaculáta. Cujus. Glória Patri. Cujus.

Lectio ix. de Homilia Dominicæ occurrentis.

Ad Laudes
et per Horas.

Ant. 1. Introdúxit me * in cellam vinàriam, ordinávit in me caritátem.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Fulcíte me * flóribus, stipáte me malis, quia amóre lángueo.

3. Sicut vitta * coccínea lábia tua, et elóquium tuum dulce.

4. Fortis est * ut mors diléctio, lámpades ejus lámpades ignis, atque flammárum.

5. Surrexérunt * Fílii ejus, et beatíssimam prædicavérunt, et laudavérunt eam.

Capitulum. Eccli. 24.

Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris, et flores mei fructus honóris, et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis et sanctæ spei.

Hymnus.

Gaude propágo cándida,
Quam Mater alma Núminis
Perfectiónis últimum
Optáre jussit vérticem.

Haud ulla major cáritas,
Quam pro salúte próximi
Vitam suam profúndere
Divína dixit véritas.

Est morte pejor sérvitus,
Quæ Bárbaris impénditur:
Istam subíre Vírgini
Juráta nos cogit fides.

O vera, Christe, cáritas,
Incénde amóre péctora,
Dissólve cordis víncula,
Rumpens caténas tártari.

Da servitútem líberam
Omnes tibi persólvere;
Matríque sacrátos tuæ
Vitam beátam dúcere.

Sit laus Patri cum Fílio,
Qui nos redémit pérditos:
Tibíque sancte Spíritus
Laus sit per omne sǽculum.
Amen.

℣. Magnificávit Dñs fácere nobíscum. ℟. Facti sumus lætántes.

Ad Bened. Ant. Salutáte Maríam, quæ multum laborávit in vobis: et dícite: Ave clementíæ Mater, Consolátrix afflictórum, Redémptrix Captivórum. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri, allelúja.

Oratio.

Deus, qui per gloriosíssimam Fílii tui Matrem ad liberándos Christifidéles a potestáte Paganórum nova Ecclésiam tuam prole amplificáre dignátus es: præsta quǽsumus; ut quam pie venerámur tanti óperis institutrícem, ejus páriter méritis et intercessióne, a peccátis ómnibus, et captivitáte dǽmonis liberémur. Per Dñm.

Deinde fit commem. Domin. occurr.

Ad Tertiam.

Ant. Fulcíte me.

Capit. Ego quasi vitis. ut supra.

℟. br. Tu exsúrgens * Miseréberis Sion. Tu exsúrgens. ℣. Quia tempus miseréndi ejus, quia venit tempus. Miseréberis Sion. Glória Patri. Tu exsúrgens.

℣. Non fecit táliter omni natióni. ℟. Et judícia sua non manifestávit eis.

Ad Sextam.

Ant. Sicut vitta.

Capitulum. Cant. 8.

Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum: quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio: lámpades ejus, lámpades ignis, atque flammárum.

℟. br. Non fecit táliter, * Omni natióni. Non fecit. ℣. Et judícia sua non manifestávit eis. Omni natióni. Glória Patri. Non fecit.

℣. Memor esto congregatiónis tuæ. ℟. Quam possedísti ab inítio.

Ad Nonam.

Ant. Surrexérunt.

Capitulum. Cant. 8.

Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátem, nec flúmina óbruent illam, si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam.

℟. br. Memor esto * Congregatiónis tuæ. Memor esto. ℣. Quam possedísti ab inítio. Congregatiónis tuæ. Glória Patri. Memor esto.

℣. Magnificávit Dñs fácere nobíscum. ℟. Facti sumus lætántes.

In II. Vesperis.

Omnia ut in I. Vesp.

℣. Réspice de cœlo, et vide, et vísita víneam istam. ℟. Et pérfice eam, quam plantávit déxtera tua.

Ad Magnif. Ant. O Virgo vírginum quam pulchra es, et decóra in delíciis! Tu fons pietátis, humános miseráta quæstus, te conspiciéndam dedísti, ut edúceres vinctos de ténebris et umbra mortis, et víncula eórum disrúmperes, allelúja.

Deinde fit commem. Domin. occurr.

Die 9. Augusti.

S. Alberti Carmelit. Conf.

Duplex majus.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter sequ.

Oratio. Deus, qui nos. ut in Comm.

In I. Nocturno Lectiones **Justus, si morte.** de Communi.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Albértus Carmelíta nobílibus paréntibus Benedícto Adaltíba, et Joánna Montis Drǽpani in Sicília divíno instínctu natus. Hi enim cum sex et vigínti annos sine prole in conjúgio mansíssent, beátæ Maríæ semper Vírgini voto se astrinxérunt, si fílium illis impetráret, se illum monastério Carmelitárum, quod prope ipsum Montem Drǽpani situm erat, dicatúros. Voti cómpotes effécti, facem ex matérno útero prodeúntem in quiéte vidérunt: qua visióne mater púerum magnum coram Dómino futúrum esse viro suo prædíxit. Quod rei evéntus demonstrávit. Nam cum liberálibus disciplínis puer instruerétur, divína benedictióne prævéntus, octávum ætátis annum attíngens, monastérium Dræpanénse ingréditur: ubi vitæ asperitáte, ac reguláris disciplínæ severitáte delectátus, tantum profécit, ut brevi virtútum exémplar se præbúerit.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Cilício ad carnem utebátur: membra rudi panno, et vílibus véstibus tegébat: palmítibus nudo córpori admótis cubábat: vino ábstinens, assíduis se étiam jejúniis affligébat: sexta item féria cibo absýnthium immiscébat: castitátis, paupertátis, obediéntiæ erat studiosíssimus, divináque sapiéntia perfúsus, cum cœléstibus semper delectatiónibus fruerétur, miraculórum quoque grátia illústris fuit. Inerat ei magnum animárum salútis desidérium. Quare Judǽos quamplúrimos, aliósque infidéles, prædicatióne sua ad Christi fidem convértit. Messánam prædicatiónis causa missus, ibi ad presbyterátus órdinem (etsi ob magnam humilitátem eum gradum recusáret) promótus est: ac deínde tanta excélluit grátia, ut ómnium in admiratióne esset. Cum autem cívitas propter obsidiónem, qua eam Robértus, Neápolis rex, premébat, fame vexarétur, cívium rogátu, fusa ad Deum oratióne, repénte tribus trirémibus annóna onústis præter spem per médios hostes urbem appúlsus, a perículo liberávit.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

Agrigéntum proficíscens, cum ex áltera ripa Platáni flúvii Judǽos quosdam óbviam habuísset, repénte flumen, álveum excédens, illos prætereúntes invásit, qui cum mergi cœpíssent, ad Sanctum ut eis opem ferret, clamáre cœpérunt. Promísit ille, si christiáni fíeri vellent, se eis auxiliatúrum: quibus id promitténtibus, vir Dei, ámbulans super aquas, manus eis porréxit, eodémque in flúmine eos baptizávit, et ad ripam incólumes perdúxit. Messánam revérsus, in quoddam tugúrium oratiónis causa secéssit: ibi gravi corréptus morbo, accersítis frátribus suum, ac soróris, quæ ducéntis et sexagínta milliáribus ab eo áberat, eúmdem óbitus diem (ut póstea evénit) prædíxit. Cumque hora vespertína tránsitum suum imminére cognósceret, génibus humi se stravit, et óculis ad Deum inténtis, Psalmum, In te Dómine sperávi, pronúntians, cum perveníssct ad versum, In manus tuas, Dómine, commméndo spíritum meum; efflávit ánimam: quam in spécie candidíssimæ colúmbæ, de illíus ore exeúntem, ac recta in cœlum via evolántem, circumstántes fratres vidérunt. Corpus autem ejus divínum spirábat odórem. Cum innúmeris coruscáret miráculis, et pópulus Missam de sancto Confessóre, clerus vero pro defúncto celebráre vellet, a Dómino divínum respónsum exspectándum epíscopus jussit. Quibus orántibus, duo Angeli, in albis astántes, Missam, Os justi meditábitur sapiéntiam, de sancto Confessóre celebrándam esse indicárunt: qua solemníssime celebráta, sanctum illud corpus honoríﬁce cónditum est.

℟. Iste homo.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Sint lumbi vestri.** de Communi.

Lectio ix. de Vigil. S. Laurentii et commem. in Laudibus.

Eadem die.

(Pro Diœc. Calatanisiad.)

S. Emygdii Episc. et Mart.

Duplex.

Omnia de Comm. unius Mart., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Emýgdium, Mártyrem tuum atque Pontíficem, idolórum victória et miraculórum glória decorásti: concéde propítius; ut eo interveniénte malórum spirítuum fraudes víncere, et coruscáre virtútibus mereámur. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Emýgdius e nóbili Francórum prosápia Tréviris natus, año ætátis vigésimo tértio, paréntibus idolólatris frustra obstántibus, fidem Christi suscépit, et constantíssime proféssus est. Cum tribus discípulis Euplo, Germáno et Valentíno vitam duxit: humánis spretis oblectaméntis, rebus divínis plénius incumbébat: erga próximum caritátis ardóre æstuábat; idcírco ad procurándam multórum salútem Romam se cóntulit. Excéptus hospítio in ínsula Tíberis, hóspitis fíliam per quinquénnium immedicábili morbo languéntem baptísmo sanávit.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Mox óculis cæci coram pópulo signo crucis apértis, a multitúdine eum fílium Apóllinis credénte in templum Æsculápii rápitur. Ibi Christi servum se proféssus, ejus invocatióne magnum númerum ægrórum, nequídquam idóli opem implorántium, valetúdini restítuit, aras díruit, Æsculápii signum confráctum in Tíberim projécit. Quibus rebus, et mille trecentórum gentílium, præter Æsculápii sacerdótes, conversióne inde secúta, irritáti Posthúmii Titiáni præfécti urbis minas, Angeli mónitu declínans, sanctum Marcéllum Pontíficem ádiit, a quo epíscopus ordinátus, et Asculum missus est.

℟. Desidérium ánimæ.

Lectio vi.

Multis in itínere miráculis ingénti multitúdine Christo adjúncta, simul ac Asculum Emýgdius pervénit, dǽmones et simulácra idolórum per cuncta fana ejulátibus éditis, peregrínum dolóris sui causam indicárunt: quem cum concitáta plebs ad cædem quæreret, éxcitus tumúltu Polýmius civitátis præses eum ad se vocátum multis, sed írritis verbis, ad Jovis et Angáriæ deæ Asculi patrónæ veneratiónem hortátur, promíssis étiam in prǽmium núptiis própriæ fíliæ Polýsiæ, quam Emýgdius ad Christum convérsam baptizávit, et post eam mille et sexagínta hómines, edúcta e saxo per ingens miráculum aquárum cópia. His in rábiem actus Polýmius sancto epíscopo caput abscídit; quo facto, truncus ejus mirabíliter eréctus abjéctum humo próprium caput attóllens mánibus per spátium tercentórum pássuum ad oratórium portávit; inde ad templum máximum translátus est, ubi magna religióne Asculáni pópuli, et con-

cúrsu exterórum hanc usque in diem cólitur. Incidit ejus beáta mors persecutióne Diocletiáni duránte.

℟. Stola jucunditátis.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 21. b.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum audiéritis prǽlia et seditiónes, nolíte terréri; opórtet primum hæc fíeri, sed nondum statim finis. Tunc dicébat illis: Surget gens contra gentem, et regnum advérsus regnum. Et terræmótus magni erunt per loca. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homilia 1. in Evang.

Dóminus, et Redémptor noster parátos nos inveníre desíderans, senescéntem mundum quæ mala sequántur, denúntiat, ut nos ab ejus amóre compéscat. Appropinquántem ejus términum quantæ persecutiónes prævéniant, innotéscit; ut si Deum metúere in tranquillitáte nólumus, saltem vicínum ejus judícium, vel persecutiónibus attríti timeámus.

℟. Coróna aúrea.

Lectio viii.

Huic enim lectióni sancti Evangélii, quam modo vestra fratérnitas audívit, paulo supérius Dóminus præmísit dicens: Exsúrget gens contra gentem, et regnum advérsus regnum; et erunt terræmótus magni per loca, et pestiléntiæ, et fames. Et quibúsdam interpósitis, hoc quod modo audístis, adjúnxit: Erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressúra géntium præ confusióne sónitus maris et flúctuum. Ex quibus profécto ómnibus ália jam facta cérnimus, ália in próximo ventúra formidámus. ℟. Hic est vere.

Lectio ix.

Nam gentem contra gentem súrgere, earúmque pressúram terris insístere plus jam in nostris tempóribus cérnimus, quam in codícibus légimus. Quod terræmótus urbes innúmeras óbruat, ex áliis mundi pártibus scitis, quam frequénter audívimus; pestiléntias sine cessatióne pátimur: signa vero in sole, et luna, et stellis adhuc apérte mínime vídimus, sed quia et hæc non longe sint, ex ipsa jam áëris immutatióne collígimus.

Te Deum laudámus.

Die 11. Augusti.

B. Josephi Mariæ Cardinalis Thomasii.

Duplex.

Omnia de Comuni Conf. non Pont., præter sequentia. (m. t. v.)

Oratio.

Deus, qui beátum Joséphum Maríam Confessórem tuum gloriósis méritis, et doctrínis decoráre dignátus es: concéde propítius; ut cœléstis doctrínæ pábulo nutriámur, et ejus virtútum proficiámus exémplo. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Joseph María Thomásius e princípibus Lampedúsæ et Palmæ, non minus pietáte, quam génere præcláris, ortus est

Leocátæ in Sicília, illo nómine nuncupátus a genitóribus, qui fílium précibus Patriárchæ Joseph referébant accéptum. Virtus in eo ætátem antevértere visa est: tantæ enim innocéntiæ, religiónis, aliarúmque virtútum splendóre in ipsa infántia enítuit, ut hæc omnes admiraréntur futúræ sanctitátis indícia. Adhuc a nutrícis úbere pendens, manus exténdit ad paúperes, et puer quoque a mulíerum ósculis, et blandítiis abhorrébat. Adoléscens vero, ódio in peccátum, et caritáte in Deum commótus, in illa semper erumpébat verba: Moriátur peccátum, et vivat Deus. Majóris natu jure in fratrem transláto, domus suæ ópibus, et honóribus valére jussus, nullo sibi reténto ánnuo censu, Clericórum Regulárium institútum Panórmi ampléxus est, ac véluti gigas viam perfectiónis percúrrens, humilitáte, abstinéntia, et severitáte céteros tyrocínii sócios anteíbat.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Junióri fratri suo moriénti ástitit solatúrus, imo in illíus sacris parentálibus público Diáconi múnere fungi mira ánimæ fortitúdine non rénuit. Sacerdótio initiátus, cum philosophíæ, theologíæ, græcísque lítteris dedísset óperam, hebráicam quoque linguam addiscéndam curávit, Archisynagógi cujúsdam doctrína usus, quem, divína aspiránte grátia, trium annórum patiéntia, ad christiánam fidem addúxit. Psaltérium totum memória retinébat. In sanctárum Scripturárum, Ecclésiæ, Patrum, ac sacrárum antiquitátum códices júgiter incúmbens, theológicam disciplínam, ac rem litúrgicam mirífice illustrávit. ℟. Amávit eum.

Lectio vi.

Jesum crucifíxum, et Deíparam Vírginem singulári devotiónis afféctu prosequebátur, et in eórum imáginem per écstasim defíxus non raro invéntus est. Angélicæ puritátis assíduus cultor, corpus suum jejúniis, vigíliis, et flagris quoque excruciábat. At in primis abjectíssimæ humilitátis et amátor erat, et vindex, arctíssimo obstríctus voto dignitátes omnes recusándi; ideóque solo præcépto Cleméntis undécimi ad Románam púrpuram evéctus est: cum ea tamen omnes virtútes conjúngens, nihil de anteáctæ vitæ institúto immutávit. Inopes, débiles, claudos, et male córpore afféctos in fámulos suos caritátis grátia delégit. In sua titulári ecclésia sanctórum Silvéstri et Martíni, fere quotídie divínæ psalmódiæ intérerat, et Domínicis diébus erudiéndis in christiána doctrína púeris incumbébat. Septum in ecclésia pósuit juxta antíquum morem, ut viri a muliéribus sejungeréntur. Mortem suam, multifárie ab ipso prænuntiátam, læto excépit aspéctu, eam appéllans cœli jánuam; cœlúmque ingréssus est Kaléndis Januárii anni millésimi septingentésimi décimi tértii, ætátis suæ sexagésimo tértio. Quem heróicis virtútibus, et miráculis fulgéntem Pius séptimus Póntifex máximus albo beatórum adscrípsit. ℟. Iste est, qui.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Sint lumbi vestri.** de Communi.

Die 12. Augusti.

S. Euplii Diaconi et Martyris.

Duplex.

In I. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laudibus; **65*** Ps. et Hymnus de Comm. unius Mart.

℣. **Ignítum elóquium tuum veheménter.** ℟. **Et servus tuus diléxit illud.**

Ad Magnif. Ant. **Certa bonum certámen fídei, apprehénde vitam ætérnam, in qua vocátus es, et conféssus bonam confessiónem coram multis téstibus.**

Oratio ut ad Laudes. **65***

Ad Matutinum.

Invitat. **Dóminum, legítime certántes coronántem,** * Veníte, adorémus.

Ps. Veníte, **exsultémus.**

Hymnus. **Deus tuórum mílitum.** de Communi.

In I. Nocturno.

Ant. **Detur mihi sermo cum fidúcia, notum fácere mystérium Evangélii, pro quo legatióne fungor in caténa.**

Ps. trium Nocturnorum de Communi unius Martyris.

Ant. **Testis mihi est Deus, cui sérvio in spíritu meo, in Evangélio Fílii ejus.**

Ant. **Omnia fácio propter Evangélium, ut párticeps ejus effíciar.**

℣. **Ignítum elóquium tuum veheménter.** ℟. **Et servus tuus diléxit illud.**

De Epístola prima beáti Petri Apóstoli.

Lectio i. Cap. 1. et 2.

Verbum Dómini manet in ætérnum. Hoc est autem verbum, quod evangelizátum est in vos. Deponéntes ígitur omnem malítiam, et omnem dolum, et simulatiónes, et invídias, et omnes detractiónes, sicut modo géniti infántes, rationábile sine dolo lac concupíscite, ut in eo crescátis in salútem: si tamen gustástis, quóniam dulcis est Dóminus. Caríssimi, óbsecro vos, tamquam ádvenas, et peregrínos, abstinére vos a carnálibus desidériis, quæ mílitant advérsus ánimam; conversatiónem vestram inter gentes habéntes bonam; ut in eo, quod detréctant de vobis tamquam de malefactóribus, ex bonis opéribus vos considerántes, glorífìcent Deum in die visitatiónis. Hæc est grátia, si propter Dei consciéntiam sústinet quis tristítias, pátiens injúste. Quæ enim est glória, si peccántes, et colaphizáti suffértis? Sed si bene faciéntes patiénter sustinétis, hæc est grátia apud Deum. In hoc enim vocáti estis; quia et Christus passus est pro nobis, vobis relínquens exémplum, ut sequámini vestígia ejus.

℟. **Vestígia Dómini secútus est pes meus, a mandátis labiórum ejus non recéssi,** * **Et in sinu meo abscóndi verba oris ejus.** ℣. **Omnia detriméntum feci ad cognoscéndum Christum, et societátem passiónum illíus, configurátus morti ejus. Et.**

Lectio ii. Cap. 3. et 4.

Et quis est, qui vobis nóceat, si boni æmulatóres fuéritis? Sed et si quid patímini propter justítiam, beáti. Timórem autem eórum ne timuéritis, et non conturbémini. Dóminum autem Christum

sanctificáte in córdibus vestris, paráti semper ad satisfactiónem omni poscénti vos ratiónem de ea, quæ in vobis est, spe. Sed cum modéstia et timóre, consciéntiam habéntes bonam; ut in eo, quod détrahunt vobis, confundántur qui calumniántur vestram bonam in Christo conversatiónem. Mélius est enim benefaciéntes, si volúntas Dei velit, pati, quam malefaciéntes. Quia et Christus semel pro peccátis nostris mórtuus est, justus pro injústis, ut nos offérret Deo, mortificátus quidem carne, vivificátus autem spíritu. Christo ígitur passo in carne, et vos eádem cogitatióne armámini, quia qui passus est in carne, désiit a peccátis, ut jam non desidériis hóminum, sed voluntáti Dei, quod réliquum est in carne, vivat témporis.

℟. Qui me conféssus fúerit, et verba mea in generatióne ista, * Fílius hóminis confitébitur eum, cum vénerit in glória Patris sui. ℣. Invocávi Dóminum omnipoténtem, dedit confessiónem Sancto, et Excélso in verbo glóriæ. Fílius.

Lectio iii.

Unusquísque, sicut accépit grátiam, in altérutrum illam administrántes, sicut boni dispensatóres multifórmis grátiæ Dei. Si quis lóquitur, quasi sermónes Dei: si quis minístrat, tamquam ex virtúte, quam adminístrat Deus: ut in ómnibus honorificétur Deus, per Jesum Christum. Caríssimi communicántes Christi passiónibus gaudéte, ut et in revelatióne glóriæ ejus gaudeátis exsultántes. Si exprobrámini in nómine Christi, beáti éritis: quóniam quod est honóris, glóriæ, et virtútis Dei, et qui est ejus spíritus, super vos requiéscit. Nemo autem vestrum patiátur ut homicída, aut fur, aut maléдicus, aut alienórum appetítor. Si autem ut Christiánus, non erubéscat; gloríficet autem Deum in isto nómine, quóniam tempus est, ut incípiat judícium a domo Dei. Si autem primum a nobis: quis finis eórum, qui non credunt Dei Evangélio? Et si justus vix salvábitur, ímpius, et peccátor ubi parébunt? Itaque et hi, qui patiúntur secúndum voluntátem Dei, fidéli Creatóri commendent ánimas suas in benefáctis.

℟. Hoc pro certo habet, qui te colit, Dómine, quod vita ejus, si in probatióne fúerit, coronábitur: * Quia post tempestátem tranquíllum facis, et post fletum exsultatiónem infúndis. ℣. Momentáneum, et leve tribulatiónis nostræ, ætérnum glóriæ pondus operátur in nobis. Quia post. Glória Patri. Quia post.

In II. Nocturno.

Ant. Quæ circa me sunt, magis ad profectum venérunt Evangélii; ita ut víncula mea manifésta fíerent.

Ant. Probáti sumus a Deo, ut crederétur nobis Evangélium: ita lóquimur, non quasi homínibus placéntes, sed Deo.

Ant. Omnia sustinémus, ne quod offendículum demus Evangélio Christi.

℣. Lucérna pédibus meis verbum tuum. ℟. Et lumen sémitis meis.

Acta sancti Eúplii Mártyris.

Lectio iv.

Diocletiáno nóvies, et Maximiáno ócties consúlibus, prídie Idus Augústi, in Catanénsium civitáte, cum esset extra velum secretárii Eúplius Diáconus, proclamávit dicens: Christiánus sum, et pro Christi nómine mori desídero. Aúdiens hæc Calvisiánus consuláris, dixit: Ingrediátur, qui clamávit. Et cum ingréssus fuísset Eúplius secretárium júdicis, Evangélia portans, unus ex amícis Calvisiáni, nómine Máximus, dixit: Non decet tales chartas eum tenére contra regálem præceptiónem. Calvisiánus consuláris dixit ad Eúplium: Hæc unde sunt? de domo tua exiérunt? Eúplius respóndit: Non hábeo domum. Hoc et Dóminus meus Jesus Christus novit. Calvisiánus consuláris dixit: Tu ea huc deportásti? Eúplius dixit: Per me, ea huc deportávi, sícuti et ipse vides. Invenérunt me cum illis. Calvisiánus dixit: Lege ea. Eúplius apériens, legit: Beáti qui persecutiónem patiúntur propter justítiam; quóniam ipsórum est regnum cœlórum. Et álio loco: Qui vult veníre post me, tollat crucem suam, et sequátur me. Cum hæc et ália légeret, Calvisiánus consuláris dixit: Hoc quid vult esse? Eúplius dixit: Lex Dómini mei, quæ mihi trádita est. Calvisiánus consuláris dixit: A quo? Eúplius respóndit: A Jesu Christo Fílio Dei vivi. Calvisiánus consuláris interlocútus, dixit: Quóniam innótuit ejus conféssio, interrogétur sub torméntis, tradátur tortóribus. Et cum tráditus esset, cœpta est secúnda cognítio per quæstiónem.

℞. Cum tradent vos, nolíte cogitáre quómodo, aut quid loquámini; * Non enim vos estis, qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis. ℣. Próferam vobis Spíritum meum, et osténdam vobis verba mea. Non.

Lectio v.

Diocletiáno nóvies, et Maximiáno ócties consúlibus, prídie Idus Augústas, Calvisiánus consuláris dixit ad Eúplium pósitum in torméntis: Quæ per tuam confessiónem hódie dixísti, quid dicis modo de eis? Eúplius líbera manu signans sibi frontem dixit: Quæ tunc dixi, et nunc ea confíteor, me esse Christiánum, et divínas Scriptúras légere. Calvisiánus dixit: Quare apud te habuísti, et non tradidísti has lectiónes, quas imperatóres vetuérunt? Respóndit Eúplius: Quia Christiánus sum, et trádere non licébat, magísque éxpedit mori quam trádere. In his vita ætérna est; qui tradit, vitam ætérnam perdit. Ut eam non perdam, vitam meam do. Calvisiánus interlocútus, dixit: Eúplius, qui secúndum edíctum príncipum non trádidit Scriptúras, sed legit pópulo, torqueátur. Cumque torquerétur, dixit Eúplius: Grátias tibi, Christe. Me custódi qui propter te hæc pátior. Dixit Calvisiánus consuláris: Desíste, Eupli, ab insánia hac. Deos adóra, et liberáberis. Eúplius dixit: Adóro Christum, detéstor dæmónia. Fac quod vis: Christiánus sum. Hæc diu optávi. Fac quod vis. Adde ália, Christiánus sum. Postquam diu tortus es-

set, jussi sunt cessáre carnífices. Et dixit Calvisiánus: Miser, adóra deos, Martem cole, Apóllinem et Æsculápium. Dixit Eúplius: Patrem et Fílium et Spíritum sanctum adóro. Sanctam Trinitátem adóro, præter quam non est Deus. Péreant dii, qui non fecérunt cœlum, et terram, et quæ in eis sunt. Christiánus sum.

℟. Nullus est Deus, nisi unus; * Nam etsi sunt, qui dicúntur dii, sive in cœlo, sive in terra, nobis tamen unus est Deus. ℣. Tres sunt, qui testimónium dant in cœlo: Pater, Verbum, et Spíritus sanctus, et hi tres unum sunt. Nam.

Lectio vi.

Calvisiánus præféctus dixit: Sacrífica, si vis liberári. Eúplius dixit: Sacrífico modo Christo Deo me ipsum; quid ultra fáciam non hábeo. Frustra conáris: Christiánus sum. Calvisiánus præcépit íterum torquéri ácrius. Cumque torquerétur, dixit Eúplius: Grátias tibi, Christe. Succúrre Christe. Propter te hæc pátior, Christe. Et dixit sæpius. Et deficiéntibus víribus, dicébat lábiis tantum absque voce hæc vel ália. Calvisiánus intra velum intérius ingrédiens, senténtiam dictávit. Et foras egréssus ásferens tabéllam legit: Eúplium Christiánum edícta príncipum contemnéntem, deos blasphemántem, nec resipiscéntem, gládio animadvérti júbeo. Dúcite eum. Tunc appénsum est ad collum ejus Evangélium, cum quo apprehénsus fúerat, proclamánte hæc præcóne: Eúplius Christiánus, inimícus deórum, et imperatórum. Eúplius lætus dicébat semper: Grátias Christo Deo. Et cum ad locum perdúctus esset, genufléxus, prolíxius orábat. Et íterum grátias agens, præbuit júgulum, et a carnífice decollátus est. Sublátum est póstea corpus ejus a Christiánis, et condítum aromátibus, sepúltum est.

℟. Gloriosíssimam mortem compléctens, præíbat ad supplícium univérsæ genti: * Memóriam mortis suæ ad exémplum virtútis, et fortitúdinis derelínquens. ℣. Divítias æstimans impropérium Christi, aspiciébat in remuneratiónem. Memóriam. Glória. Memóriam.

In III. Nocturno.

Ant. Si quis lóquitur, quasi sermónes Dei: si quis minístrat, tamquam ex virtúte, quam adminístrat Deus.

Ant. Quóniam servásti verbum patiéntiæ meæ, et ego servábo te ab hora tentatiónis.

Ant. Qui perdíderit ánimam suam propter me, et Evangélium, salvam fáciet eam.

℣. Lætábor ego super elóquia tua. ℟. Sicut qui invénit spólia multa.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 16.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Et réliqua.

Homilía sancti Cypriáni Epíscopi et Mártyris.

Gaudére nos, et exsultáre vóluit in persecutiónibus Dóminus: quia quando persecutiónes fiunt, tunc dantur corónæ

fídei, tunc probántur mílites Christi, tunc Martýribus patent cœli. Neque enim sic nómina milítiæ dédimus, ut pacem tantúmmodo cogitáre, et recusáre milítiam debeámus; quando in ipsa milítia primus ambuláverit Dóminus, humilitátis, et toleràntiæ, et passiónis Magíster; ut quod fíeri dócuit, prior fáceret, et quod pati hortabátur, prior pro nobis ipse paterétur. Neque áliquis persecutiónis metu sic terreátur, ut non evangélicis exhortatiónibus, et præcéptis ad ómnia inveniátur armátus. Grassátur, et sævit inimícus, sed statim séquitur Dóminus, passiónes nostras, et vúlnera vindicatúrus. Irascitur adversárius, et minátur, sed est, qui possit de ejus mánibus liberáre. Ille metuéndus est, cujus iram nemo póterit evádere, ipso præmonénte, et dicénte: Ne timuéritis eos, qui occídunt corpus: magis autem metúite eum, qui potest et ánimam et corpus occídere in gehénnam. Et íterum: Qui amat ánimam suam, perdet illam, et qui odit ánimam suam in isto sǽculo, in vitam ætérnam conservábit illam.

℞. Dómine, qui habes sanctam sciéntiam, maniféste tu scis, quia cum a morte possem liberári, * Duros córporis sustíneo dolóres: secúndum ánimam vero, propter timórem tuum, libénter hæc pátior. ℣. Gaúdeo in passiónibus, et adímpleo ea, quæ desunt passiónum Christi in carne mea. Duros.

Lectio viii.

Ad agónem sæculárem exercéntur hómines, et paràntur, et magnam glóriam cómputant agónis sui, si illis, spectánte pópulo, et imperatóre præsénte, contígerit coronári. Ecce agon sublímis, et magnus, et corónæ cœléstis prǽmio gloriósus. Præliántes nos spectat Deus, spectant Angeli, spectat et Christus. Quanta est glóriæ dígnitas, quanta felícitas, præsénte Deo cóngredi, et Christo júdice coronári! Armémur, fratres dilectíssimi, víribus totis, et parémur ad agónem, mente incorrúpta, fide íntegra, virtúte devóta. Ad áciem, quæ nobis indícitur, Dei castra procédant. Integros honor, lapsos dolor ad prælium próvocet. Armári et præparári nos beátus Paulus Apóstolus docet, dicens: Indúite arma Dei, ut possítis resístere in die nequíssimo, ut cum ómnia perfecéritis, stetis accíncti lumbos vestros in veritáte, indúti lorícam justítiæ, et calceáti pedes in præparatióne Evangélii pacis, assuméntes scutum fídei, et gáleam salútis, et gládium spíritus, qui est sermo Dei. Hæc arma sumámus, his nos tutaméntis spirituálibus, et cœléstibus muniámus, ut in die nequíssimo resístere diáboli minis, et repugnáre possímus.

℞. Ecce Deus Salvátor meus: fiduciáliter agam, et non timébo. * Quia fortitúdo mea, et laus mea Dóminus, et factus est mihi in salútem. ℣. Bonum certámen certávi, repósita est mihi coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus. Quia. Glória Patri. Quia.

Lectio ix.

Induámus lorícam fídei, ut contra inimíci jácula munítum sit pectus, et tutum. Calceáti sint evangélico ministério, et armáti pedes,

ut cum serpens calcári a nobis cœperit, mordére, et supplantáre non possit. Portémus scutum fídei, quo protegénte, quidquid jaculátur inimícus, possit exstíngui. Accipiámus ad teguméntum cápitis gáleam salutárem, ut muniántur aures, ne aúdiant edícta therália; muniántur óculi, ne vídeant detestánda simulácra; muniátur frons, ut signum Dei incólume servétur; muniátur os, ut Dóminum suum Christum victrix lingua fateátur. Armémus et déxteram gládio spiritáli, ut sacrifícia funésta fórtiter réspuat, ut Eucharístiæ memor, quæ Dómini Corpus accépit, ipsum complectátur, póstea a Dómino sumptúra prǽmium cœléstium coronárum. Oh dies ille, qualis et quantus advéniet, cum cœperit pópulum suum Dóminus recensére, et divínæ cognitiónis exámine singulórum mérita recognóscere! Si hæc meditántibus nobis supervénerit persecutiónis dies, miles Christi, præcéptis ejus et mónitis erudítus, non expavéscit ad pugnam, sed parátus est ad corónam.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

et per Horas.

Ant. 1. Tollens volúmen, * legit: Beáti, qui persecutiónem patiúntur propter justítiam; quóniam ipsórum est regnum cœlórum.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Et legit: * Qui vult veníre post me, tollat crucem suam, et sequátur me.

3. Noli erubéscere * testimónium Dómini nostri Jesu Christi: sed collabóra Evangélio secúndum virtútem Dei.

4. Non erubésco * Evangélium: virtus enim Dei est omni credénti.

5. Accépi librum, * et devorávi illum: et erat in ore meo tamquam mel dulce.

Capitulum. Ephes. 6.

Accípite armatúram Dei, ut possítis resístere in die malo: indúti lorícam justítiæ, et calceáti pedes in præparatióne Evangélii pacis, et gáleam salútis assúmite, et gládium spíritus, quod est verbum Dei.

Hymnus. Invícte Martyr. de Comm.

℣. Súscipe me secúndum elóquium tuum, et vivam. ℟. Et non confúndas me ab exspectatióne mea.

Ad Bened. Ant. Confído, quod hábeam vos in corde et in vínculis meis sócios gaúdii mei omnes vos esse.

Oratio.

Deus, cujus verbo erudítus, et grátia roborátus beátus Eúplius Martyr bonum certámen in gloriósa Evangélii tui confessióne certávit: da nobis eámdem fídei firmitátem, ut per consolatiónem Scripturárum spem habeámus, et a caritáte tua nullis tentatiónibus separémur. Per Dóminum.

Ad Tertiam.

Ant. Et legit.

Capit. Accípite. ut supra.

℟. br. Ignítum elóquium tuum * Veheménter. Ignítum. ℣. Et servus tuus diléxit illud. Veheménter. Glória Patri. Ignítum.

℣. Lucérna pédibus meis verbum tuum. ℟. Et lumen sémitis meis.

Ad Sextam.

Ant. Noli **erubéscere.**

Capitulum. Rom. 8.

Existimo, quod non sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis; nam exspectátio creatúræ revelatiónem filiórum Dei exspéctat.

℟. br. **Lucérna pédibus meis * Verbum tuum. Lucérna.** ℣. **Et lumen sémitis meis. Verbum tuum. Glória Patri. Lucérna.**

℣. **Lætábor ego super elóquia tua.** ℟. **Sicut qui invénit spólia multa.**

Ad Nonam.

Ant. **Accépi librum.**

Capitulum. 2. Tim. 1.

Pátior, sed non confúndor; scio enim cui crédidi, et certus sum, quia potens est depósitum meum serváre in illum diem.

℟. br. **Lætábor ego * Super elóquia. Lætábor.** ℣. **Sicut qui invénit spólia multa. Super. Glória Patri. Lætábor.**

℣. **Súscipe me, secúndum elóquium tuum, et vivam.** ℟. **Et non confúndas me ab exspectatióne mea.**

In II. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laudibus. Ps. de Domin. et loco ultimi, Ps. **Crédidi.**

Hymnus. **Deus tuórum.** de Comm.

℣. **Súscipe me secúndum elóquium tuum, et vivam.** ℟. **Et non confúndas me ab exspectatióne mea.**

Ad Magnif. Ant. **Hic est fratrum amátor: hic est qui multum orat pro pópulo, et univérsa sancta civitáte.**

Die 13. Augusti.

S. Liborii Episc. et Conf.

Duplex.

Pro Clero Sæculari.

Omnia de Comuni Conf. Pontificis, præter sequentia.

Oratio.

Exaúdi, quæsumus Dómine, preces nostras, quas in beáti Libórii, Confessóris tui atque Pontíficis, solemnitáte deférimus: et qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dñm.

In I. Noct. Lect. de Script. occurr.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Libórius, honéstis paréntibus in Gállia natus, et ab ineúnte ætáte caducárum rerum illécebras aversátus, egrégiam índolem præcláris móribus, et humanárum sacrarúmque litterárum stúdiis ádeo diligénter excóluit, ut procéssu témporis probitátis ac sapiéntiæ profíciens increméntis, maturitátem virílis ornáret ætátis. Clero adscríptus, ac offíciis functus ecclesiásticis, ámplius totum sese divíno cúltui mancipávit; studuítque cunctos actus cogitationésque suas ita ad ratiónis normam dirígere, ut nihil appéteret pœniténdum. Modéstia ítaque, abstinéntia, castimónia aliísque virtútibus conspícuus, Pavácio Cenomanénsi epíscopo defúncto, unánimi civitátis consénsu, quartus ejúsdem sedis antístes elígitur. ℟. **Invéni David.**

Lectio v.

Ea dignitátis accessióne nihil intérius immutátus, in concrédita sibi Dómini vínea excolénda

totus fuit. Assídua prædicatióne, vitæ innocéntis exémplo, et effúsa in paúperes caritáte præcípue insígnis, pópuli mores reformávit, ac potens in ópere et sermóne multos integritáti vitæ, fideíque restítuit. Domus Dei decórem et cultum egrégie promóvit: ædificátis septémdecim ecclésiis, in quibus pro jugi divinórum officiórum celebratióne, et affluéntibus pópulis Sacrórum dispensatióne, divérsi órdinis minístros instítuit. Tandem quadragínta novem annis in episcopátu sanctíssime transáctis, obdormívit in Dómino décimo Kaléndas Augústi. Eum in cilício decumbéntem, et ad cœléstem pátriam anheléntem beátus Martínus Turonénsis epíscopus, ab Angelo mónitus, invísit; mortuúmque in suburbána ecclésia honorífice sepelívit, ubi multis póstea miráculis coruscávit.

℟. **Pósui adjutórium.**

Lectio vi.

Verum post debellátam a Cárolo Magno Saxóniam, et Christi jugo subáctam, Badurádus secúndus Paderbórnæ in Westphália epíscopus, cum adhuc rudem in fide pópulum ad avítas Gentílium superstitiónes sese convertentém animadvertísset, quo illum ab ejúsmodi erróribus per novum Patrónum ac Intercessórem apud Deum revocáret, divíno mónitu, ab Aldríco Cenomanénsi antístite Libórii corpus impetrávit, et máxima cum celebritáte suscépit, año salútis octingentésimo trigésimo sexto. Sacræ Relíquiæ cum transferréntur, omnes illas regiónes mira signórum frequéntia illustrárunt; quorum fama in dies percrebrescénte, magnum ubíque Libórii nomen esse cœpit. Sed ejus virtus contra nephríticos dolóres præcípue claréscit, contínuis testáta benefíciis, ob quæ peculiári fidélium pietáte multis in regiónibus celebrátur.

℟. **Iste est qui.**

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Vigiláte.** de Communi 2. loco.

Lectio ix. de Ss. Mart. Hippolyto et Cassiano.

Die 17. Augusti.

Translationis Brachii **S. Agathæ** Virg. et Mart. Civis et Patr. princip. Urbis Panormit.

Duplex 2. classis.

In I. Vesperis.

Antiph. **Quis es tu.** cum reliquis de Laud. **71*** Ps. ut in I. Vesp. de Comm. Apost.

Capitulum. Eccli. 51.

Confitébor tibi Dómine Rex, et collaudábo te Deum Salvatórem meum. Confitébor nómini tuo: quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne.

Hymn. **Jesu coróna.** de Comm.

℣. **Spécie tua et pulchritúdine tua.** ℟. **Inténde, próspere procéde, et regna.**

Ad Magnif. Ant. **Stans beáta Agatha in médio cárceris, expánsis mánibus orábat ad Dóminum: Dómine Jesu Christe, magíster bone, grátias tibi ago, qui me fecísti víncere torménta carníficum: jube me Dómine ad tuam immarcescíbilem glóriam felíciter perveníre.**

Oratio ut in Laud. **71***

Ad Matutinum.

Invitat. Regem Vírginum Dñm, * Veníte, adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus.

Vírginis Proles, Opiféxque Matris,
Virgo quem gessit, peperítque Virgo;
Vírginis partos cánimus decóra
Morte triúmphos.

Hæc enim palmæ dúplicis beáta
Sorte, dum gestit frágilem domáre
Córporis sexum, dómuit cruéntum
Cæde tyránnum.

Unde nec mortem, nec amíca mortis
Mille pœnárum génera expavéscens,
Sánguine effúso méruit serénum
Scándere cœlum.

Hujus orátu Deus alme nobis
Débitas pœnas scélerum remítte;
Ut tibi puro resonémus almum
Péctore carmen.

Sit decus Patri, genitǽque Proli,
Et tibi compar utriúsque virtus
Spíritus semper, Deus unus omni
Témporis ævo. Amen.

In I. Nocturno.

Ant. Ingénua sum, et ex spectábili génere, ut omnis parentéla mea testátur.

Psalmi ut in I. Noct. de Communi unius Martyris.

Ant. Suma ingenúitas ista est in qua sérvitus Christi comprobátur.

Ant. Ancílla Christi sum, ídeo me osténdo servílem habére persónam.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. Cap. 51.

[redacted]onfitébor tibi, Dómine Rex, et collaudábo te Deum Salvatórem meum. Confitébor nómini tuo: quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne, a láqueo linguæ iníquæ, et a lábiis operántium mendácium, et in conspéctu astántium factus es mihi adjútor. Et liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui a rugiéntibus præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, et de portis tribulatiónum, quæ circumdedérunt me: a pressúra flammæ, quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuáta: de altitúdine ventris ínferi, et a lingua coinquináta, et a verbo mendácii, a rege iníquo et a lingua injústa.

℟. Dum torquerétur beáta Agatha in mamílla gráviter, dixit ad júdicem: * Impie, crudélis, et dire tyránne, non es confúsus amputáre in fémina, quod ipse in matre suxísti? ℣. Ego enim hábeo mamíllas íntegras intus in ánima mea, quas ab infántia Dño consecrávi. Impie.

Lectio ii.

Laudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum, et vita mea appropínquans erat in inférno deórsum. Circumdedérunt me úndique, et non erat qui adjuváret. Respíciens eram ad adjutórium hóminum, et non erat. Memoráta sum misericórdiæ tuæ Dómine, et ope-

ratiónis tuæ, quæ a sǽculo sunt: quóniam éruis sustinéntes te Dómine, et líberas eos de mánibus géntium.

℟. Agatha lætíssime et gloriánter ibat ad cárcerem, * Quasi ad épulas invitáta: et agónem suum Dómino précibus commendábat. ℣. Nobilíssimis orta natálibus, ab ignóbili gaudens trahebátur ad cárcerem. Quasi.

Lectio iii.

Exaltásti super terram habitatiónem meam, et pro morte defluénte deprecáta sum. Invocávi Dóminum Patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ, et in témpore superbórum sine adjutório. Laudábo nomen tuum assídue, et collaudábo illud in confessióne, et exaudíta est orátio mea. Et liberásti me de perditióne, et eripuísti me de témpore iníquo. Proptérea confitébor, et laudem dicam tibi, et benedícam nómini Dómini.

℟. Quis es tu, qui venísti ad me curáre vúlnera mea? ego sum Apóstolus Christi: nihil in me dúbites fília: ipse me misit ad te, * Quem dilexísti mente, et puro corde. ℣. Nam et ego Apóstolus ejus sum, et in nómine ejus scias te esse curándam. Quem. Glória. Quem.

In II. Nocturno.

Ant. Agatha sancta dixit: Si feras mihi promíttis, audíto Christi nómine mansuéscunt.

Psalmi ut in II. Noct. de Communi unius Martyris.

Ant. Si ignem adhíbeas, rorem mihi salvíficum de cœlo Angeli ministrábunt.

Ant. Agatha lætíssime et gloriánter ibat ad cárcerem, quasi ad épulas invitáta: et agónem suum Dómino précibus commendábat.

℣. Adjuvábit eum Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Lectio iv.

Agathæ vírginis et mártyris corpus, quod Cátanæ, ubi anno biscentésimo quinquagésimo secúndo fuit illústri coronáta martýrio, diu religióse cónditum jacúerat, Geórgius Maníaces Michaélis Paphlagónis imperatóris exárchus, victis in Sicília Saracénis, Constantinópolim imperatóri dono détulit annum círciter millésimum quadragésimum. Verum elápsis sex et octogínta añis Gislibérto, natióne Gallo, qui in aula regis militári fungebátur offício, noctu semel, et íterum ac tértio appárens Agatha præcépit, ut suum corpus laténter ablátum, Cátanam reportáret. Gislibértus ítaque fidum cómitem suum Goselínum, Cálabrum génere, accérsens de visióne admónuit: mox quiéto noctis témpore ambo, scala suppósita, ecclésiam ingréssi, in qua venerándum vírginis corpus decénter asservabátur, illud furtim rapuérunt, et caute obtéctum statim, Deo protegénte, e Byzantíno lítore navígio recedéntes, longa navigatióne perácta, Messánam asportárunt.

℟. Ego autem adjúta a Dño, perseverábo in confessióne ejus, qui me salvam fecit, * Et consolátus est me. ℣. Grátias tibi ago, Dómine Jesu Christe, qui misísti ad me Apóstolum tuum curáre vúlnera mea. Et.

Lectio v.

Id cum Maurítius Catanénsis epíscopus a Gislibérto rescivísset, duóbus mónachis Holdománo et Luca Messánam missis vírginis corpus débito quantócius honóre Cátanam transferéndum curávit; eo ígitur translátum, solémni pompa, magnáque lætítia illi occurrénte clero, frequentíssimo item pópulo, die décima séptima Augústi, anno millésimo, centésimo, vigésimo sexto, Honório secúndo Summo Pontífice, excéptum in æde máxima, eídem vírgini, ac mártyri dicáta Maurítius honorífice collocávit. Sacra vero ulna cum rádio, eódem anno, Rogérii cómitis tértii et primi Sicíliæ regis dono Panórmum deláta in templo ejus príncipe summa cólitur veneratióne. Inde ejúsmodi Translatiónis festum ab eo anno cum Panórmi, tum Cátanæ, in earúmque diœcésibus Offício, et Missa celebrári cœpit, sicut ad hæc usque témpora servátur.

℟. Ipse me curávit, qui per Apóstolum Petrum in custódia me confortávit, pro eo quod jussa sum suspéndi in equúleo. * Propter fidem castitátis ádjuva me Dómine Deus meus, in tortúra mamillárum meárum. ℣. Ipse me dignátus est ab omni plaga curáre, et mamíllam meam meo péctori restitúere. Propter.

Sermo beáti Petri Damiáni.

De Translat. S. Hilarii Ep. Pictaviensis.

Lectio vi.

Gaudeámus, et exsultémus, dilectíssimi, dum ad recolénda beátæ Agathæ Vírginis et Mártyris sublímia mérita solémniter convenímus. Ipsa quoque nos insígnis vocábuli dígnitas próvocat, ut mens nostra spirituáli lætítia affécta plausibíliter hilaréscat. Nihilóminus et hoc dignum est, ut dum beátæ Agathæ translatiónem cólimus, ipsi quoque mentes nostras a terrénis desidériis ad cœléstia transferámus; ut dum glebam córporis ejus, tenuémque pulvísculum tanto præférri apud hómines honóre conspícimus, quantum glóriæ pondus in cœléstibus possídeat, ubi verus et incomparábilis honor est, mens nostra perpéndat.

℟. Vidísti Dómine, et spectásti agónem meum, quómodo pugnávi in stádio: sed quia nólui obedíre mandátis príncipum, * Jussa sum in mamílla torquéri. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Jussa. Glória. Jussa.

In III. Nocturno.

Ant. Nisi diligénter perféceris corpus meum a carnifícibus attrectári, non potest ánima mea in paradísum Dómini cum palma intráre martýrii.

Ps. 10. In Dómino confído. ut in III. Noct. de Comm. unius Mart.

Ant. Vidísti Dñe agónem meum, quómodo pugnávi in stádio: sed quia nólui obedíre mandátis príncipum, jussa sum in mamílla torquéri.

Ps. 14. Dómine quis. ut in III. Noct. de Comm. unius Mart.

Ant. Propter fidem castitátis jussa sum suspéndi in equúleo: ádjuva me Dómine Deus meus in tortúra mamillárum meárum.

Ps. 15. Consérva me Dómine. ut in II. Noct. de Comm. plurim. Mart.

℣. Elégit eam Deus, et prælégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Homilia in Evangel. Símile est regnum cœlórum thesaúro. de Communi nec Virg. nec Mart. cum ℟℟. sequ.

℟. vii. Beáta Agatha ingréssa cárcerem, expándit manus suas ad Deum, et dixit: Dómine qui me fecísti víncere torménta carníficum, * Jube me ad tuam misericórdiam perveníre. ℣. Dómine qui me creásti, et tulísti a me amórem sǽculi, qui corpus meum a pollutióne separásti. Jube me.

℟. viii. Medicínam carnálem córpori meo numquam exhíbui, sed hábeo Dóminum Jesum Christum, * Qui solo sermóne restaúrat univérsa. ℣. Qui me dignátus est ab omni plaga curáre, et mamíllam meam meo péctori restitúere, ipsum ínvoco Deum vivum. Qui solo. Glória Patri. Qui solo.

Ad Laudes

et per Horas.

Ant. 1. Quis es tu, * qui venísti ad me curáre vúlnera mea? Ego sum Apóstolus Christi: nihil in me dúbites fília.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Medicínam carnálem * córpori meo numquam exhíbui, sed hábeo Dñm Jesum Christum, qui solo sermóne restaúrat univérsa.

3. Grátias tibi ago * Dómine Jesu Christe, quia memor es mei, et misísti ad me Apóstolum tuum curáre vúlnera mea.

4. Benedíco te * Pater Dómini mei Jesu Christi: quia per Apóstolum tuum mamíllam meam meo péctori restituísti.

5. Qui me dignátus est * ab omni plaga curáre, et mamíllam meam meo péctori restitúere, ipsum ínvoco Deum vivum.

Capitulum. Eccli. 51.

Confitébor tibi Dómine Rex, et collaudábo te Deum Salvatórem meum. Confitébor nómini tuo: quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne.

Hymnus. Jesu coróna. de Com̃.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. Ant. Paganórum multitúdo fúgiens ad sepúlchrum vírginis, tulérunt velum ejus contra ignem: ut comprobáret Dóminus, quod a perículis incéndii méritis beátæ Agathæ Mártyris suæ eos liberáret.

Oratio.

Deus, qui in translatióne sanctæ Agathæ Vírginis et Mártyris tuæ pretióso nos potentíssimæ protectiónis pígnore locupletásti: quǽsumus; ut super pópulum tuum, qui ejus implórat auxílium, contra omnes nequítias irruéntes déxteram tuæ propitiatiónis exténdas. Per Dóminum nostrum.

Ad Tertiam.

Ant. Medicínam carnálem.

Capit. Confitébor. ut supra.

℟. br. Spécie tua * Et pulchritúdine tua. Spécie. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Et. Glória Patri. Spécie.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Ad Sextam.

Ant. **Grátias tibi ago.**

Capitulum. Eccli. 51.

Liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui a rugiéntibus, præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, et de multis tribulatiónibus quæ circumdedérunt me.

℟. br. **Adjuvábit eam * Deus vultu suo. Adjuvábit.** ℣. **Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus. Glória Patri. Adjuvábit.**

℣. **Elégit eam Deus, et præelégit eam.** ℟. **In tabernáculo suo habitáre facit eam.**

Ad Nonam.

Ant. **Qui me dignátus est.**

Capitulum. Eccli. 51.

Laudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum, quóniam éruis sustinéntes te, et líberas eos de manu angústiæ, Dómine Deus noster.

℟. br. **Elégit eam Deus, * Et præelégit eam. Elégit.** ℣. **In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et. Glória Patri. Elégit.**

℣. **Diffúsa est grátia in lábiis tuis.** ℟. **Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.**

In II. Vesperis.

Ant., Cap., Hymnus et ℣. de Laud. Ps. ut in I. Vesp. de Communi Apost. et loco ultimi Ps. **Lauda Jerúsalem.**

Ad Magnif. Ant. **Stans beáta Agatha in médio cárceris, expánsis mánibus orábat ad Dóminum: Dómine Jesu Christe, magíster bone, grátias tibi ago, qui me fecísti víncere torménta carníficum: jube me Dómine ad tuam immarcescíbilem glóriam felíciter perveníre.**

Die 19. Augusti.

S. Ludovici Episc. Tolosani.

Duplex 2. class.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Sed in I. Nocturno Lectiones **Fidélis sermo.**

Die 26. Augusti.

S. Philumenæ Virg. et Mart.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis die 11. Augusti.

Die 1. Septembris.

Solemn. Comem.

Immac. Concept. B. Mariæ V.

Duplex 2. class.

Omnia ut in Officio votivo per añum in fine Brev. præter sequ.

Ad Matut. in Invitat. dicitur **recolámus** loco **celebrémus.**

In I. Nocturno.

De libro Génesis.

Lectio i. Cap. 3.

Serpens erat callídior cunctis animántibus terræ, quæ fécerat Dóminus Deus. Qui dixit ad mulíerem: Cur præcépit vobis Deus ut non comederétis de omni ligno paradísi? Cui respóndit múlier: De fructu lignórum, quæ sunt in paradíso, véscimur; de fructu vero ligni, quod est in médio paradísi, præcépit nobis Deus ne comederémus, et ne tangerémus illud, ne forte moriámur. Dixit autem serpens ad mulíerem: Nequáquam morte moriémini. Scit enim Deus quod in quocúmque die comedéritis ex eo, aperiéntur óculi vestri, et éritis sicut dii, sciéntes bonum et malum.

℟. **Per unum hóminem.**

Lectio ii.

Vidit ígitur múlier quod bonum esset lignum ad vescéndum, et pulchrum óculis, aspectúque delectábile: et tulit de fructu illíus, et comédit: dedítque viro suo, qui comédit. Et apérti sunt óculi ambórum: cumque cognovíssent se esse nudos, consuérunt fólia ficus, et fecérunt sibi perizómata. Et cum audíssent vocem Dómini Dei deambulántis in paradíso ad auram post merídiem, abscóndit se Adam et uxor ejus a fácie Dómini Dei in médio ligni paradísi.

℟. Transíte ad me.

Lectio iii.

Vocavítque Dóminus Deus Adam, et dixit ei: Ubi es? Qui ait: Vocem tuam audívi in paradíso: et tímui, eo quod nudus essem, et abscóndi me. Cui dixit: Quis enim indicávit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno de quo præcéperam tibi ne comédere, comedísti? Dixítque Adam: Múlier quam dedísti mihi sóciam, dedit mihi de ligno, et comédi. Et dixit Dóminus Deus ad mulíerem: Quare hoc fecísti? Quæ respóndit: Serpens decépit me, et comédi. Et ait Dóminus Deus ad serpéntem: Quia fecísti hoc, maledíctus es inter ómnia animántia, et béstias terræ: super pectus tuum gradiéris, et terram cómedes cunctis diébus vitæ tuæ. Inimicítias ponam inter te et mulíerem, et semen tuum et semen illíus: ipsa cónteret caput tuum, et tu insidiáberis calcáneo ejus.

℟. Elécta mea cándida.

In II. et III. Nocturno Lect. ut in Officio votivo ibidem.

Lect. ix. S. Ægidii Abbat. ut in Brev., et ejus comem. et Ss. XII Fratrum Mm. in Laudibus.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 24. Aprilis 1890.

G. Erlenborn, Vic. in Spirit. Gener.

Homilia

dicenda in Matutino unius Martyris non Pontificis, quando dicitur Missa: **In virtúte tua.**

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 10.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte arbitrári quia pacem vénerim míttere in terram: non veni pacem míttere, sed gládium. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbýteri.

Lib. 1. in Matth. Cap. 10.

Supra díxerat: Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine; et quod in aure audítis, **prædicáte super tecta: nunc infert quid post prædicatiónem sequátur. Ad fidem Christi totus orbis contra se divísus est: unaquǽque domus et infidéles et credéntes hábuit, et proptérea bellum missum est bonum, ut rumperétur pax mala. Tale quid et in Génesi advérsus rebélles hómines, qui moti fúerant de Oriénte, et turrem exstrúere festinábant, per quam cœli alta penetrárent, fecísse scríbitur Deus, ut divíderet linguas eórum.**

℟. Coróna aúrea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Expréssa.

Lectio viii.

Veni enim separáre hóminem advérsus patrem suum. Hic locus prope iísdem verbis in Michǽa scríbitur. Et notándum, ubicúmque de véteri testaménto testimónium pónitur, utrum sensus tantum an sermo conséntiat. Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus. Qui ante præmíserat: Non veni pacem míttere, sed gládium, et divídere hómines advérsus patrem, et matrem, nurum et socrum; ne quis pietátem religióni anteférret, subjécit dicens: Qui amat patrem aut matrem plusquam me. Et in Cántico légimus canticórum: Ordinávit in me caritátem. Hic ordo in omni affĕctu necessárius est. Ama post Deum patrem, ama matrem, ama fílios.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit: * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cœléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Qui. Glória Patri. Qui.

Lectio ix.

Ordo pulchérrimus: ad prædicatiónem mittit, docet perícula non timénda, afféctum súbjicit religióni. Aurum supra túlerat, æs de zona excússerat: dura Evangelistárum condítio. Unde ergo sumptus, unde victus necessária? Austeritátem mandatórum spe témperat promissórum: Qui récipit, ínquiens, vos, me récipit, et qui me récipit, récipit eum qui me misit: ut in suscipiéndis Apóstolis unusquísque credéntium Christum se suscepísse arbitrétur.

Te Deum laudámus.

Index alphabeticus.

Sumptibus et Typis Fr. Pustet, S. Sedis Apost. et S. Rit. Congr. Typogr.

PROPRIUM SANCTORUM
PRO SICILIÆ REGNO.

PARS AUTUMNALIS.

Die 1. Septembris.
Solemn. Comem.
Immac. Concept. B. Mariæ V.
Duplex 2. class.

Omnia ut in Officio votivo per añum in fine Brev. præter sequ.

Ad Matut. in Invitat. dicitur recolámus loco celebrémus.

In I. Nocturno.

De libro Génesis.

Lectio i. Cap.3.

Serpens erat callídior cunctis animántibus terræ, quæ fécerat Dóminus Deus. Qui dixit ad mulíerem: Cur præcépit vobis Deus ut non comederétis de omni ligno paradísi? Cui respóndit múlier: De fructu lignórum, quæ sunt in paradíso, véscimur; de fructu vero ligni, quod est in médio paradísi, præcépit nobis Deus ne comederémus, et ne tangerémus illud, ne forte moriámur. Dixit autem serpens ad mulíerem: Nequáquam morte moriémini. Scit enim Deus quod in quocúmque die comedéritis ex eo, aperiéntur óculi vestri, et éritis sicut dii, sciéntes bonum et malum.

℟. Per unum hóminem.

Lectio ii.

Vidit ígitur múlier quod bonum esset lignum ad vescéndum, et pulchrum óculis, aspectúque delectábile: et tulit de fructu illíus, et comédit: dedítque viro suo, qui comédit. Et apérti sunt óculi ambórum: cumque cognovíssent se esse nudos, consuérunt fólia ficus, et fecérunt sibi perizómata. Et cum audíssent vocem Dómini Dei deambulántis in paradíso ad auram post merídiem, abscóndit se Adam et uxor ejus a fácie Dómini Dei in médio ligni paradísi.

℟. Transíte ad me.

Lectio iii.

Vocavítque Dóminus Deus Adam, et dixit ei: Ubi es? Qui ait: Vocem tuam audívi in paradíso: et tímui, eo quod nudus essem, et abscóndi me. Cui dixit: Quis enim indicávit tibi quod nu-

dus esses, nisi quod ex ligno de quo præcéperam tibi ne comédere, comedísti? Dixítque Adam: Múlier quam dedísti mihi sóciam, dedit mihi de ligno, et comédi. Et dixit Dóminus Deus ad mulíerem: Quare hoc fecísti? Quæ respóndit: Serpens decépit me, et comédi. Et ait Dóminus Deus ad serpéntem: Quia fecísti hoc, maledíctus es inter ómnia animántia, et béstias terræ: super pectus tuum gradiéris, et terram cómedes cunctis diébus vitæ tuæ. Inimicítias ponam inter te et mulíerem, et semen tuum et semen illíus: ipsa cónteret caput tuum, et tu insidiáberis calcáneo ejus.

℟. Elécta mea cándida.

In II. et III. Nocturno Lect. ut in Officio votivo ibidem.

Lect. ix. S. Ægidii Abbat. ut in Brev. et ejus comem. et Ss. XII Fratrum Mm. in Laudibus.

Die 4. Septembris.

S. Rosaliæ Virg. Panormitanæ.

Duplex 1. class. cum Oct.

In I. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud. 5* Ps. de Communi Virg.

Hymnus.

Diva, cui flores tribuére nomen,
Et pias Regum dedit aula cunas,
Hæc tuis læti méritis sacrámus
Múnera laudum.

Monte sub celso látitans, catérvas
Tártari fundis: superísque victrix,
Nomen in saxo, genus, et perénnes
Sculpis amóres.

Præbet hic ædem specus, et sopórem
Excipit rupes, pluit æthra potum,
Silva dat mensam, polus et beátæ
Gaúdia vitæ.

Nunc tuo Jesum, sacra Sponsa, vultu
Redde pacátum, procul ut furóres
Pestis et belli, et famis ipse nostris
Pellat ab oris.

Sit salus illi, decus, atque virtus,
Qui super cœli sólio corúscans,
Tótius mundi sériem gubérnat,
Trinus, et unus. Amen.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Ad Magnif. Ant. Ego Rosália, Quisquínæ et Rosárum Dómini fília, amóre Dómini mei Jesu Christi, in hoc antro habitáre decrévi.

Oratio ut infra ad Laudes. 6*

Ad Matutinum.

Invit. Regem Vírginum Dñm: * Veníte, adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus.

Virgo Panórmi, pátrios
Quæ regnat inter cœlites,
Agni secúta sémitas,
Domum relíquit régiam.

Hæc Christi amóre saúcia,
Montis perérrat cúlmina,
Sitímque anhéla ut éxpleat,
Cœli propínquat fóntibus.

Antrum colens, ut grátior
Sit Sponsa Sponso sánguinum,
Suos et artus ínnocens
Flagris cruéntat férreis.

Nunc, Diva, flos cœléstium,
Sumens preces mortálium,
Abstérge sordes críminum,
Ut candor insit móribus.

Patri, simúlque Fílio,
Tibíque, sancte Spíritus,
Sicut fuit, sit júgiter
Sæclum per omne glória.
Amen.

In I. Nocturno.

Ant. Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam, et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui.

Psalmi trium Nocturnorum de Communi Virg.

Ant. Concupíscet Rex decórem tuum, Rosália, quóniam ipse est Dóminus Deus tuus.

Ant. Dírige me, Dómine, servam tuam in virtúte tua; et doce me, quia tu es Deus, Salvátor meus.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

De Cánticis Canticórum.

Lectio i. Cap. 2.

Ego flos campi, et lílium convállium. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias. Sicut malus inter ligna silvárum, sic diléctus meus inter fílios. Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi, et fructus ejus dulcis gútturi meo. Introdúxit me in cellam vináriam, ordinávit in me caritátem. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis, quia amóre lángueo.

℟. Noli timére, mater filiórum, dicit Dóminus, quóniam sanctificávi, et parávi montes, habéntes rosam, et lílium: * In quibus gáudio adimplébo fílios tuos. ℣. Leva óculos tuos in montes, unde véniet auxílium tibi. In.

Lectio ii. Cap. 8.

Quis mihi det te fratrem meum sugéntem úbera matris meæ, ut invéniam te foris et deósculer te, et jam me nemo despíciat? Apprehéndam te et ducam in domum matris meæ: ibi me docébis, et dabo tibi póculum ex vino condíto et mustum malórum granatórum meórum. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. Adjúro vos, fíliæ Jerúsalem, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam, donec ipsa velit. Quæ est ista quæ ascéndit de desérto delíciis áffluens, inníxa super diléctum suum?

℟. In caritáte perpétua diléxit Rosáliam Dóminus; ídeo attráxit eam, et duxit in solitúdinem: * Et locútus est ad cor ejus. ℣. Sponsávit eam sibi in sempitérnum in fide, et in misericórdia. Et.

Lectio iii.

Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum: quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio: lámpades ejus lámpades ignis atque flammárum. Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátem, nec flúmina óbruent illam. Si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam.

℟. Benedícta es tu, Rosália, a Dómino Deo excélso, qui nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum:

* Et eris benedícta in ætérnum. ℣. Benedíxit te Dóminus in virtúte sua, quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros. Et eris. Glória Patri. Et eris.

In II. Nocturno.

Ant. Angelis suis Deus mandávit de te, Rosália, ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

Ant. Perfecísti, Dómine, gressus meos in sémitis tuis, ut non moveántur vestígia mea.

Ant. Cantábiles mihi erant justificatiónes tuæ in loco peregrinatiónis meæ.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Lectio iv.

Rosália Virgo orta Panórmi, ex nóbili génere, suam oríginem trahens a Cárolo Magno, in Quisquínæ montem, quadragínta círciter mille pássibus distántem, sola secédens, patérnæ domus opes, delícias, ac spem majóris amplitúdinis, ob propinquitátem et benevoléntiam regum Sicíliæ, contémnens, cum tétricæ rupis horróre et asperitáte commutávit; inque antrum, cui tunc únicus, et quidem angústus, áditus e superióri loco patébat, intrépide descéndit ea mente, quam charactéribus saxo inscúlptis adhuc paténtibus expréssit: Ego Rosália Sinibáldi, Quisquínæ et Rosárum dómini fília, amóre Dómini mei Jesu Christi in hoc antro habitáre decrévi. Qua inscriptióne óculis obversánte, suscéptæ vitæ propósitum áltius cordi infígere, ac divínæ benevoléntiæ signa ad castíssimæ mentis blandiménta vicíssim provocáre consuévit.

℟. Egrédere, Rosália, de cognatióne tua, et de domo patris tui, et veni in terram, quam monstrábo tibi: * Et benedícam tibi, et magnificábo nomen tuum. ℣. Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcédat te, et custódiat in via, et introdúcat in locum, quem parávi. Et benedícam.

Lectio v.

In hac specu subterránea sibi, et mundo emórtua, consepúltaque Jesu Christo, ut soli Deo víveret, diu noctúque látuit, cavens præcípue in móntibus patérni principátus, ne forte ágnita, in domum urbémque pátriam abducerétur invíta. Cállidas dæmonum insídias, quæ ásperæ vitæ tædium, et solitúdinis horrórem ánimo ingerébant, ácriter sæviéndo in se férrea caténa, vigíliis, et humi cubatióne, forti ánimo superásse, antíquæ ícones signíficant. Cumque humánis destitúta præsídiis, nihil solátii aliúnde hauríret, quam e cœlo, Dóminus, qui consolátur, et coronat Sanctos suos, angélicis delíciis illam sæpius recreábat.

℟. Indica mihi, ubi pascas, ubi cubes in merídie? * Amóre Dómini mei Jesu Christi in hoc antro habitáre decrévi. ℣. Osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis, vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra. Amóre.

Lectio vi.

Cœlésti deínde consílio ex antro Quisquinénsi in horridiórem spelúncam Peregríni montis, tribus fere mille pássibus procul Panórmo, Rosália se tránstulit; ut

quo difficiliórem pugnam secum ipsa commítteret e conspéctu domus patérnæ, eo laudabílius de contémptis mundi illécebris triumpháret. Latébat ibi ad partem lævam angústus cóncavus, quem éadem, post repértas ejus relíquias, illuc venánti, cui se vidéndam præbuit, dixit esse suam cellam peregrínam, ubi multum ætátis exegísset. Hic, tamquam colúmba in foramínibus petræ gemens, in cœléstium rerum contemplatióne defíxa, ad perfectíssimam divíni amóris normam in solitúdine vitam tradúxit, et sanctíssime perénnibus caritátis rosis, et virginitátis líliis coronáta, depósuit prídie Nonas Septémbris: cujus corpus, Urbáno octávo Pontífice Máximo, anno Jubilǽi, totíus Sicíliæ plausu divínitus repértum, illam a peste liberávit. Hinc factum est, ut nonnúllæ urbes, et regna sanctam Rosáliam, cujus intercessióne eváserant a contágiis, in novam sibi Patrónam adoptárint.

℟. Floréte flores, quasi lílium, et date odórem, et frondéte in grátiam, et collaudáte cánticum, et benedícite Dóminum in opéribus suis: * Quóniam mirificávit Dóminus Sanctam suam. ℣. Jucunditátem, et exsultatiónem thesaurizábit super nos, et nómine ætérno hæreditábit nos. Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In III. Nocturno.

Ant. Revértere in terram tuam, et in locum nativitátis tuæ, et benefáciam tibi.

Ant. Odor nóminis tui sicut flores rosárum, et lília convállium.

Ant. Mémores érimus virtútis tuæ, Rosália, in omni generatióne, et generatiónem.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Lectiones de Hom. in Evang. **Símile est regnum cœlórum.** de Comuni nec Virg. nec Mart. cum ℟℟. sequ.

℟. vii. Ecce elongávi fúgiens, et mansi in solitúdine, exspéctans eum, qui salvum me fecit: paúlulum cum pertransíssem, invéni quem díligit ánima mea: * Ténui eum, nec dimíttam. ℣. Diléctus meus mihi, et ego illi, qui páscitur inter lília. Ténui eum.

℟. viii. Venit in pópulos pestiléntia, et misértus est Dóminus super afflictiónem, et liberávit eos, omnísque cívitas exsultávit, atque lætáta est, et laudávit Deum: * Qui in ancílla sua Rosália adimplévit misericórdiam suam. ℣. Laudáte Dóminum in cýmbalis, modulámini psalmum novum, exsultáte, et invocáte nomen ejus. Qui. Glória Patri. Qui.

Ad Laudes

et per Horas.

Ant. 1. Quasi flos rosárum * in diébus vernis, et quasi lília erit nomen tuum.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Lactábo eam,* et ducam in solitúdinem, et ibi loquar ad cor ejus.

3. Diléctus meus mihi, * et ego illi, qui páscitur inter lília.

4. Veni sponsa mea, * veni: coronáberis de cubílibus leónum, de móntibus pardórum.

5. Fulcíte me flóribus, * stipáte me malis, quia amóre lángueo.

Capitulum. Cant. 2.

Surge, amíca mea, speciósa mea, et veni: colúmba mea in foramínibus petræ, in cavérna macériæ: osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in aúribus meis: vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra.

Hymnus.

O quæ triúmphas æthere,
Humána vota súscipe,
Ut offerénda Númini
Tuis corónes flóribus.

Nunc veris ætérni rosa,
Ægris medére méntibus,
Tu, quæ sacris odóribus
Pestis venéna díssipas.

Defénde, Virgo, pátriam
Vocáta, et orbem prótege:
Nostrísque adhærens córdibus,
Luem repélle críminum.

Jesu, per hanc amábilem
Sponsam, precámur súpplices,
Ut justæ ab iræ fúlmine
Rosæ tegámur fróndibus.

Patri, simúlque Fílio,
Tibíque, sancte Spíritus,
Sicut fuit, sit júgiter
Sæclum per omne glória.
Amen.

℣. **Diffúsa est grátia in lábiis tuis.** ℟. **Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.**

Ad Bened. Ant. **Regnum mundi, et omnem ornátum sǽculi contémpsi, propter amórem Dómini mei Jesu Christi, quem vidi, quem amávi, in quem crédidi, quem diléxi.**

Oratio.

Deus, qui beátam Rosáliam Vírginem e regálibus delíciis in móntium solitúdinem transtulísti: concéde propítius; ut, ejus méritis et intercessióne, a mundi voluptátibus in cœléstium amórem erigámur, et ab iracúndiæ tuæ flagéllis misericórditer liberémur. Per Dóminum nostrum.

Ad Tertiam.

Ant. **Lactábo eam.**

Capit. **Surge, amíca.** ut supra.

℟. br. **Spécie tua, * Et pulchritúdine tua. Spécie tua.** ℣. **Inténde, próspere procéde, et regna. Et pulchritúdine tua. Glória Patri. Spécie tua.**

℣. **Adjuvábit eam Deus vultu suo.** ℟. **Deus in médio ejus, non commovébitur.**

Ad Sextam.

Ant. **Diléctus meus mihi.**

Capitulum. Cant. 8.

Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum, quia fortis est ut mors diléctio.

℟. br. **Adjuvábit eam * Deus vultu suo. Adjuvábit.** ℣. **Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus.** Glória Patri. **Adjuvábit.**

℣. **Elégit eam Deus, et præelégit eam.** ℟. **In tabernáculo suo habitáre facit eam.**

Ad Nonam.

Ant. **Fulcíte me flóribus.**

Capitulum. Cant. 2.

En diléctus meus lóquitur mihi: Surge, própera, amíca mea, formósa mea, et veni. Jam enim hiems tránsiit, imber ábiit, et recéssit: flores apparuérunt in terra nostra.

℟. br. **Elégit eam Deus, * Et præelégit eam. Elégit.** ℣. **In taberná-**

culo suo habitáre facit eam. Et. Glória Patri. Elégit.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

In II. Vesperis.

Ant., Psalmi, Capit. et Hymnus ut in I. Vesperis.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Ad Magnif. Ant. Egredímini, et vidéte, fíliæ Sion, Rosáliam in diadémate, quo coronávit eam Christus in die desponsatiónis illíus, et in die lætítiæ cordis ejus.

Die 6. Septembris.

Tertia die infra Octavam **S. Rosaliæ** Virginis.

Semiduplex.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 1. de Virg.

Lectio iv.

Ego, licet laudatiónem non suscéperim virginitátis, sed expressiónem, ad rem tamen pertinére árbitror, ut quæ sit ei pátria, quis auctor appáreat. Ac prius, ubi sit pátria, definiámus. Si enim ibi est pátria, ubi genitále domicílium; in cœlo profécto est pátria castitátis: ítaque hic ádvena, ibi íncola est. Quid autem est cástitas virginális, nisi expers contagiónis intégritas? Atque ejus auctórem quem póssumus existimáre, nisi immaculátum Dei Fílium, cujus caro non vidit corruptiónem, divínitas non est expérta contagiónem?

℟. Egrédere. 4*

Lectio v.

Vidéte ígitur, quanta virginitátis mérita sint. Christus ante Vírginem, Christus ex Vírgine: a Patre quidem natus ante sǽcula, sed ex Vírgine natus ob sǽcula. Illud natúræ suæ, hoc nostræ utilitátis est. Illud erat semper, hoc vóluit spectáre áliud virginitátis méritum. Christus virgo, vírginis sponsus, et si dici potest, Christus virgíneæ castitátis. Virgínitas enim Christi, non virginitátis est Christus. Virgo est ergo, quæ nupsit, virgo, quæ nos suo útero portávit, virgo, quæ génuit, virgo, quæ próprio lacte nutrívit. Sed jam a matre descendámus ad fílias.

℟. Indica mihi. 4*

Lectio vi.

De virgínibus, inquit Apóstolus, præcéptum Dómini non hábeo, consílium autem do. Si Doctor géntium non hábuit, habére quis pótuit? Et præcéptum quidem non hábuit, sed hábuit exémplum. Non enim imperári potest virgínitas, sed optári; nam quæ supra nos sunt, in voto magis, quam in magistério sunt. Sed volo vos, inquit, sine sollicitúdine esse, nam qui sine uxóre est, sollícitus est, quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Et virgo cógitat, quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore, et spíritu. Non ego quidem dissuádeo matrimónium, sed virginitátis attéxo benefícium.

℟. Floréte flores. 5*

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 13.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cœlórum thesaúro abscóndito in agro. Et réliqua.

De Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homilia 11. in Evang.

Ecce quam grata est nobis hodiérna solémnitas, ita ut se non módicum abdícat, si cui ex hoc convéntu nostro deésse contíngat. Quid ergo in die illa actúrus est, qui a conspéctu júdicis rápitur, ab electórum societáte separátur, qui tenebréscit a lúmine, cruciátur ætérna combustióne? Sic erit in consummatióne sǽculi. Exíbunt Angeli, et separábunt malos de médio justórum. Hoc jam, fratres caríssimi, timéndum est pótius, quam exponéndum. Apérta étenim voce torménta peccántium dicta sunt, ne quis ad ignorántiæ suæ excusatiónem recúrreret, si quid de ætérno supplício obscúre dicerétur.

℟. Ecce elongávi. 5*

Lectio viii.

Sed in eo quod Véritas dicit: Omnis scriba doctus in regno cœlórum símilis est patrifamílias; intélligi valet, quia non de iis, qui fúerant, sed de iis, qui esse in Ecclésia póterant, loquebátur. Qui tunc nova et vétera próferunt, cum utriúsque testaménti prædicaménta vócibus et móribus loquúntur. Quod tamen intélligi et áliter potest. Vetústum quippe humáni géneris fuit, ad inférni claustra descéndere, pro peccátis suis supplícia ætérna toleráre: cui per Mediatóris advéntum, novum áliquid accéssit, ut si hic recte stúdeat vívere, cœlórum regna váleat penetráre.

℟. Venit in pópulos. 5*

Lectio ix.

Et vetus ítaque est, ut pro culpa humánum genus in ætérna pœna intéreat; et novum, ut convérsus in regno vivat. Quod ergo in conclusióne locutiónis suæ Dóminus súbdidit, hoc est útique quod præmísit. Prius enim de regni similitúdine thesaúrum invéntum, ac bonam margarítam prótulit: póstmodum vero inférni pœnas de malórum combustióne narrávit. Aúdiat de regno quod amet, aúdiat de supplício unusquísque quod tímeat: ut torpéntem ánimum, et terræ veheménter inhæréntem, si amor ad regnum non trahit, vel timor minet.

Te Deum laudámus.

Eadem Die.

S. Camilli de Lellis Conf.

Duplex majus.

Omnia de Comuni Conf. non Pont., præter sequ.

Oratio.

Deus, qui beátum Camíllum ad animárum in extrémo agóne luctántium subsídium singulári caritátis prærogatíva decorásti: ejus, quǽsumus, méritis spíritum nobis tuæ dilectiónis infúnde; ut in hora éxitus nostri hostem víncere, et ad cœléstem mereámur corónam perveníre. Per Dóminum.

In I. Nocturno.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio i. Cap. 12. et 13.

Fratres: Adhuc excellentiórem viam vobis demónstro. Si linguis hóminum loquar, et Angelórum, caritátem autem non hábeam, factus sum velut æs sonans, aut cýmbalum tínniens. Et si habúero prophetíam, et nóverim mystéria ómnia, et omnem sciéntiam: et si habúero omnem fidem ita ut montes tránsferam, caritátem autem non habúero, nihil sum. Et si distribúero in cibos paúperum omnes facultátes meas, et si tradídero corpus meum ita ut árdeam, caritátem autem non habúero, nihil mihi prodest.

℟. Euge, serve.

Lectio ii.

Cáritas pátiens est, benígna est: cáritas non æmulátur, non agit pérperam, non inflátur, non est ambitiósa, non quærit quæ sua sunt, non irritátur, non cógitat malum, non gaudet super iniquitáte, congaúdet autem veritáti: ómnia suffert, ómnia credit, ómnia sperat, ómnia sústinet. Cáritas numquam éxcidit, sive prophetíæ evacuabúntur, sive linguæ cessábunt, sive sciéntia destruétur. Ex parte enim cognóscimus, et ex parte prophetámus. Cum autem vénerit quod perféctum est, evacuábitur quod ex parte est.

℟. Justus germinábit.

Lectio iii.

Cum essem párvulus, loquébar ut párvulus, sapiébam ut párvulus, cogitábam ut párvulus. Quando autem factus sum vir, evacuávi quæ erant párvuli. Vidémus nunc per spéculum in ænígmate; tunc autem fácie ad fáciem. Nunc cognósco ex parte: tunc autem cognóscam sicut et cógnitus sum. Nunc autem manent fides, spes, cáritas, tria hæc: major autem horum est cáritas.

℟. Iste cognóvit.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Camíllus Bucclánici, Theatínæ diœcésis óppido, ex nóbili Lelliórum família natus est, matre sexagenária, cui grávidæ visum est per quiétem, puérulum crucis signo in péctore munítum, et ágmini puerórum idem signum gestántium præeúntem, se peperísse. Adoléscens rem militárem secútus, sæculi vítiis aliquámdiu indúlsit; donec vigésimum quintum agens ætátis annum, tanto supérnæ grátiæ lúmine, divinǽque offénsæ dolóre corréptus fuit, ut ubérrimo lacrimárum imbre íllico perfúsus, anteáctæ vitæ sordes indesinénter abstérgere, novúmque indúere hóminem fírmiter decréverit. Quare ipso, quo id cóntigit, Purificatiónis beatíssimæ Vírginis festo die, ad Fratres Minóres, quos Capuccínos vocant, cónvolans, ut eórum número adscriberétur, summis précibus exorávit. Voti compos semel, atque íterum factus est. Sed fœdo úlcere, quo aliquándo laboráverat, in ejus tíbia iteráto recrudescénte, divínæ Providéntiæ, majóra de eo disponéntis, consílio humíliter se subjécit, suíque victor, illíus Religiónis bis expetí-

tum, et suscéptum hábitum bis dimísit.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Romam proféctus, in nosocomíum, quod Insanabílium dícitur, recéptus est; cujus étiam administratiónem, ob perspéctas ejus virtútes sibi demandátam, summa integritáte, ac sollicitúdine vere patérna perégit. Omnium ægrórum servum se réputans, eórum stérnere léctulos, sordes térgere, ulcéribus medéri, agoníque extrémo piis précibus, et cohortatiónibus opem ferre solémne hábuit: quibus in munéribus præclára præbuit admirábilis patiéntiæ, invíctæ fortitúdinis, et heróicæ caritátis exémpla. Verum cum animárum in extrémis periclitántium, quod únice intendébat, levámini subsídium litterárum plúrimum conférre intellígeret, trigínta duos annos natus, in primis grammáticæ eleméntis tyrocínium inter púeros íterum subíre non erúbuit. Sacerdótio póstea rite initiátus, nonnúllis sibi adjúnctis sóciis, prima jecit Congregatiónis clericórum regulárium infírmis ministrántium fundaménta, írrito conátu obniténte humáni géneris hoste: nam Camíllus cœlésti voce, e Christi crucifíxi, manus étiam de ligno avúlsas admirándo prodígio protendéntis, simulácro emíssa, mirabíliter confirmátus, órdinem suum a Sede apostólica approbári obtínuit, sodálibus quarto obstríctis máxime árduo voto, infírmis quos étiam pestis inféccerit, ministrándi. Quod institútum quam foret Deo accéptum, et animárum salúti profícuum, sanctus Philíppus Nérius, qui Camíllo a sacris confessiónibus erat, comprobávit; dum ejus alúmnis, decedéntium agóni opem feréntibus, Angelos suggeréntes verba sæpius se vidísse testátus est.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

Arctióribus hisce vínculis ægrotántium ministério mancipátus, mirum est, qua alacritáte, nullis fractus labóribus, nullis detérritus vitæ perículis, diu noctúque ad suprémum usque spíritum, eórum cómmodis vigiláverit. Omnibus ómnia factus, vilíssima quæque offícia, demissíssimo obséquio flexísque plerúmque génibus, véluti Christum ipsum cérneret in infírmis, hílari promptóque ánimo arripiébat; utque ómnium indigéntiis præsto esset, Generálem Ordinis Præfectúram, cœlíque delícias, quibus in contemplatióne defíxus affluébat, sponte dimísit. Patérnus vero illíus erga míseros amor tum máxime effúlsit, cum et Urbs contagióso morbo primum, deínde extréma annónæ laboráret inópia, et Nolæ in Campánia dira pestis grassarétur. Tanta dénique in Deum, et próximum caritáte exársit, ut Angelus nuncupári, et Angelórum opem in vário itínerum discrímine experíri promererétur. Prophetíæ dono, et grátia sanitátum prǽditus, arcána quoque córdium inspéxit; ejúsque précibus nunc cibária multiplicáta sunt, nunc aqua in vinum convérsa. Tandem vigíliis, jejúniis, et assíduis attrítus labóribus, cum pelle tantum, et óssibus constáre viderétur, quinque moléstis æque ac

diútinis morbis, quos misericórdias Dómini appellábat, fórtiter tolerátis, sacraméntis munítus, Romæ inter suavíssima Jesu, et Maríæ nómina, ad ea verba, Mitis, atque festívus Christi Jesu tibi aspéctus appáreat, qua prædíxerat hora obdormívit in Dómino, prídie Idus Július, anno salútis millésimo sexcentésimo décimo quarto, ætátis suæ sexagésimo quinto; quem plúribus illústrem miráculis Benedíctus décimus quartus, Póntifex Máximus, solémni ritu sanctórum fastis adscrípsit.

℟. Iste homo.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. Cap. 15.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem sicut diléxi vos. Et réliqua.

Homilía S. Augustíni Epíscopi.

Tract. 83. in Evang. Joann.

Quid putámus, fratres mei; numquídnam solum ejus de ista dilectióne mandátum est, qua dilígimus ínvicem? Nonne est et áliud majus, ut diligámus Deum? Aut vero de sola Deus nobis dilectióne mandávit, ut ália non requirámus? Tria certe coméndat Apóstolus, dicens: Manent autem fides, spes, cáritas, tria hæc: major autem horum cáritas. Et si in caritáte, hoc est in dilectióne, concludúntur duo illa præcépta, major tamen dicta est esse, non sola. De fide ígitur nobis quam multa mandáta sunt, quam multa de spe: quis potest cuncta collígere, quis enumerándo sufficere? Sed intueámur quod ait idem Apóstolus: Plenitúdo legis cáritas.

℟. Iste est qui.

Lectio viii.

Ubi ergo cáritas est, quid est, quod possit deésse? Ubi autem non est, quid est, quod possit prodésse? Dæmon credit, nec díligit: nemo díligit, qui non credit. Frustra quidem, sed tamen potest speráre véniam, qui non díligit: nemo autem potest desperáre, qui díligit. Itaque ubi diléctio est, ibi necessário fides, et spes: et ubi diléctio próximi, ibi necessário étiam diléctio Dei. Qui enim non díligit Deum, quómodo díligit próximum tamquam seípsum; quandóquidem non díligit et seípsum? Est quippe ímpius, et iníquus: Qui autem díligit iniquitátem, non plane díligit, sed odit ánimam suam.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Hoc ergo præcéptum Dómini teneámus, ut nos ínvicem diligámus; et quidquid áliud præcépit, faciémus: quóniam quidquid est áliud, hic habémus. Discérnitur quippe ista diléctio ab illa dilectióne, qua se ínvicem díligunt hómines: nam ut discernerétur, adjúnctum est: Sicut diléxi vos. Ut quid enim díligit nos Christus, nisi ut regnáre possímus cum Christo? Ad hoc ergo et nos ínvicem diligámus, ut dilectiónem nostram discernámus a céteris, qui non ad hoc se ínvicem díligunt. Qui autem se propter habéndum Deum díligunt, ipsi se díligunt; ergo ut se díligant, Deum díligunt. Non est hæc diléctio in ómnibus: pauci se

proptérea díligunt, ut sit Deus ómnia in ómnibus.

Te Deum laudámus.

Die 7. Septembris.

Quarta die infra Octavam
S. Rosaliæ Virginis.
Semiduplex.

In I. Noct. Lect. de Script. occurr.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Máximi Epíscopi.

In natali S. Agnetis.

Lectio iv.

Cum in toto mundo virgíneus flos Maríæ immarcescíbiles corónas innéctat, et sceptrígeram pudóris aulam immaculáto consérvet afféctu, eoúsque intégritas perseverávit ad palmam, ut in puéllis trophǽum sanctitátis arríperet, et per vestígia matris vírginis ad cœléstem thálamum pervenı́ret. O quam imitábile virgínibus, virgo Rosália, tu amóris tradidísti exémplum! O quam sanctum pectóribus dandum virgíneis tribuísti respónsum, contemnéndo mundi divítias, exsecrándo carnis concupiscéntias, et solam Christi pulchritúdinem adamándo! Accédite ad puéllam, puéllæ, et díscite quales in péctore suo circa amórem Christi flammas accéndit. Díscite, vírgines, Christi amórem in ea fervéntem, et omnes mundi divítias velut stércora recusántem.

℟. Egrédere Rosália. 4*

Lectio v.

Ideo enim sanctórum per lítteras tradúntur exémpla, ut unusquísque pro qualitáte sexus, modum sui propósiti téneat; et sicut per vírginem vírgines, ita per cónjugem cónjuges víncere sǽculum pro Christi amóre stúdeant, ac repugnatióne ánimi, mundi dúlcia recusántes, et ejus non recusántes austéra, ad delectatiónes perpétuas, et ad gaúdia ætérna pertíngant. Hæc dicéntes, non vituperámus cónjugum casta commércia, sed vírginum perseverántiam adornámus. Non enim virgínitas malis rebus superponénda est, sed est rebus óptimis præferénda. Quæ enim mundis múndior, et sanctis est sánctior, non índiget malárum rerum vituperatióne laudári.

℟. Indica mihi. 4*

Lectio vi.

Veni jam, virgo, ad thálamum, quem quæsísti, ut sponsam te virgínitas immaculáta cómprobet Christi. Felix catérva vírginum, quibus stúdium est tuæ sequi confessiónis vestígia. Habébunt enim tecum corónam in cœlo, quæ tecum superavérunt inimícum in mundo. Nam sicut tibi vestígia prosequénti participátio ætérnæ remuneratiónis appáruit, ita eis te imitántibus ætérna crédimus gaúdia non negánda. Itaque o spléndida Christo Dei Fílio, et ómnibus Angelis, atque Archángelis grata, ut nostri meminísse dignéris, quibus póssumus précibus exorámus: ut nobis ille tríbuat indulgéntiam, qui tibi tuórum ómnium labórum trádidit palmam. ℟. Floréte flores. 5*

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 13.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Sí-

mile est regnum cœlórum thesaúro abscóndito in agro. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbýteri.

Lib. 2. in Matth. cap. 13.

Thesaúrus iste, in quo sunt omnes thesaúri sapiéntiæ, et sciéntiæ abscónditi, aut Deus verbum est, qui in carne Christi vidétur abscónditus; aut sanctæ Scriptúræ, in quibus repósita est notítia Salvatóris: quem cum quis in eis invénerit, debet ómnia istíus mundi emoluménta contémnere, ut illum possit habére quem réperit. Quod autem séquitur: Quem cum invénerit homo, abscóndit: idcírco dícitur, non quod hoc de invídia fáciat, sed quod timóre servántis, et noléntis pérdere, abscóndat in corde suo, quem prístinis prætulit facultátibus.

℟. Ecce elongávi. 5*

Lectio viii.

Aliis verbis idípsum, quod supra, dícitur. Bonæ margarítæ, quas quærit ínstitor, lex, et Prophétæ sunt. Unum autem est pretiosíssimum margarítum, sciéntia Salvatóris, et sacraméntum passiónis illíus, et resurrectiónis arcánum. Quod cum invénerit homo negotiátor, símilis Pauli Apóstoli, ómnia legis Prophetarúmque mystéria, et observatiónes prístinas, in quibus inculpáte víxerat, quasi purgaménta contémnit et quisquílias, ut Christum lucrifáciat. Non, quod invéntio novæ margarítæ condemnátio sit véterum margaritárum; sed quod comparatióne ejus omnis ália gemma vílior sit.

℟. Venit in pópulos. 5*

Lectio ix.

Intellexístis hæc ómnia? Dicunt ei: Etiam. Ad Apóstolos próprie sermo est: quos non vult audíre tantum ut pópulum, sed intellígere ut magístros futúros. Instrúcti erant Apóstoli, scribæ, et notárii Salvatóris, qui verba illíus, et præcépta signábant in tábulis cordis carnálibus, regnórum cœléstium sacraméntis, et pollébant ópibus patrisfamílias ejiciéntis de thesaúro doctrinárum suárum nova, et vétera; ut quidquid in Evangélio prædicábant, legis, et Prophetárum vócibus comprobárent. Unde et sponsa dicit in Cántico Canticórum: Nova, et vétera fratruélis meus servávi tibi.

Te Deum laudámus.

Die 9. Septembris.

S. Sergii Papæ et Confessoris.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont., præter sequentia.

Oratio. Exaúdi nos.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Sérgius Antiochénus génere, Tibério patre, Panórmi in Sicília natus: Canóne vita functo, anno Christi sexcentésimo octogésimo séptimo, annuénte Deo, et suffragántibus ómnium votis, in sacro Lateranénsium palátio assúmptus, fœdíssimum schisma, quod Exárchi imperatóris avarítia, et Paschális Archidiáconi ambítio excitárant, in ipso ortu exstínxit. Adeódato Pontífice, Romam véniens, in Ecclésiæ Románæ clerum

ab eódem ascítus, et a Leóne, hujus nóminis secúndo, présbyter títuli sanctæ Susánnæ ordinátus, ímpigre suo múnere defúnctus est.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Cánones a Græcis sextæ Sýnodo dein affíxos, instánte licet, et dira minánte imperatóre, admíttere nóluit; sed ut spúrios non sine vitæ perículo constánter abjécit. Magnam domínicæ crucis portiónem, reveláante Deo, a se invéntam, in Basílica Constantiniána pópulo adorándam collocávit. Corpus item sancti Leónis, in obscúro cónditum ángulo, Dei nutu inde amóvit, et ornatióre loco ómnibus coléndum expósuit. Basílicam demum Vaticánam innúmeris donis ornávit, egrégiis certe amóris sui erga Príncipem Apostolórum monuméntis.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Kiliánum et sócios, martýrio deínde affléctos in Germániam, Willibrórdum et Suitbértum cum sóciis in Frísiam aliásque circumjéctas regiónes misit: in quibus máximum paganórum númerum ad Christi fidem convertérunt. Coadvállum, Brítonum regem, Romam veniéntem excépit, et sacro baptísmate tinxit. Ravennátibus Damiánum, Leodiénsibus Hubértum, Británnis Berectuáldum epíscopos ordinávit. Státuit, ut litúrgiæ sacræ pius versus: Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis, adderétur. Méritis dénique plenus, postquam sedísset trédecim annis, ménsibus octo, sancto fine quiévit, ac sepúltus est in Vaticáno.

℟. Iste est qui.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Vigiláte, de eodem Comm., sed ix. Lectio de S. Gorgonio Mart.

In II. Vesperis ad Magnif. Ant. Dum esset.

Die 11. Septembris.

Octava **S. Rosaliæ** Virginis.

Duplex.

In I. Noct. Lect. de Script. occurr.

In II. Nocturno.

De Epístola sancti Hierónymi Presbýteri ad Eustóchium.

De custodia virg. t. 1. circa medium.

Lectio iv.

De virgínibus, inquit Apóstolus, præcéptum Dómini non hábeo. Cur? quia et ipse ut esset virgo, non fuit impérii, sed própriæ voluntátis. Neque enim audiéndi sunt, qui eum uxórem habuísse confíngunt, cum de continéntia dísserens, et suádens perpétuam castitátem, intúlerit: Volo autem omnes esse, sicut meípsum; et infra: Dico autem innúptis, et víduis: Bonum est illis, si sic permáneant, sicut et ego. Quare ergo non habet Dómini de virginitáte præcéptum? quia majóris est mercédis, quod non cógitur, et offértur; quia si fuísset virgínitas imperáta, núptiæ videbántur ablátæ: et duríssimum erat contra natúram cógere Angelorúmque vitam ab homínibus extorquére.

℟. Egrédere. 4*

Lectio v.

Alia fuit in véteri lege felícitas. Ibi dícitur: Beátus qui habet semen in Sion, et doméstícos in

Jerúsalem; et: Maledícta stérilis, quæ non pariébat; et: Fílii tui sicut novéllæ olivárum in circúitu mensæ tuæ. Vácuus erat orbis, et ut de týpicis táceam, sola erat benedíctio liberórum. Proptérea et Abraham jam senex Cethúræ copulátur, et Jacob mandrágoris redímitur, et conclúsam vulvam in Ecclésiæ figúram Rachel conquéritur. Paulátim vero increscénte ségete, messor immíssus est. Virgo Elías, Eliséus virgo, vírgines multi fílii Prophetárum. Jeremíæ dícitur: Et tu ne accípias uxórem. Sanctificátus in útero, captivitáte propínqua, uxórem prohibétur accípere. Aliis verbis idípsum Apóstolus lóquitur: Exístimo hoc bonum esse propter instántem necessitátem. Quæ est ista necéssitas, quæ aufert gaúdia nuptiárum? Tempus breviátum est, in próximo est Nabuchodónosor.

℟. Indica mihi. 4*

Lectio vi.

Inveniebátur ergo, ut díximus, in viris tantum hoc continéntiæ bonum, et in dolóribus júgiter Heva parturiébat. Postquam vero Virgo concépit in útero, et péperit nobis púerum, cujus principátus in húmeros ejus, Deum fortem, Patrem futúri sǽculi, solúta maledíctio est. Mors per Hevam, vita per Maríam. Ideóque et dítius virginitátis donum fluxit in féminas, quia cœpit a fémina. Statim ut Fílius Dei ingréssus est super terram, novam sibi famíliam instítuit, ut qui ab Angelis adorabátur in cœlo, habéret Angelos et in terris. Tunc Holoférnis caput Judith eóntinens amputávit: tunc Aman, qui interpretátur iníquitas, suo combústus est igni: tunc primum audítum est: Quæ non est nupta, cógitat quæ sunt Dómini, ut sit sancta córpore et spíritu.

℟. Floréte flores. 5*

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 13.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cœlórum thesaúro abscóndito in agro. Et réliqua.

De Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Quæst. ex Matth. q. 16.

Ideo omnis scriba doctus in regno cœlórum símilis est hómini patrifamílias, qui profert de thesaúro suo nova, et vétera. Utrum ista conclusióne expónere vóluit, quem díxerit thesaúrum in agro abscónditum? Quóniam sanctæ Scriptúræ intelligúntur, quæ nómine duórum testamentórum, novi et véteris, concludúntur: quemádmodum apud álium Evangelístam, gládium bis acútum tali conclusióne vidétur expónere.

℟. Ecce elongávi. 5*

Lectio viii.

An quia in parábolis ista locútus est, et cum quæsísset ab eis, utrum intellexíssent, respondérunt, se intellexísse? Fortásse ista similitúdine última patrisfamílias proferéntis de thesaúro suo nova et vétera, osténdere vóluit, eum doctum habéndum esse in Ecclésia, qui étiam scriptúras véteres, parábolis explicátas, intelléxit; ab istis

novis accípiens régulas: quia et ista Dóminus per parábolas enuntiávit, quamvis ipse Christus esset finis illórum, id est, ut in eo illa vétera compleréntur.

℟. Venit in pópulos. 5*

Lectio ix. Ss. Mart. Proti et Hyacinthi ut in Breviario.

Die 12. Septembris.

S. Cosmæ Episcopi et Conf. Civis Panormitani.

Duplex.

Omnia de Communi Confess. Pont. 1. loco, præter sequ.

Oratio.

Da quæsumus, omnípotens Deus, ut beáti Cosmæ Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas et devotiónem nobis aúgeat et salútem. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lect. **Fidélis sermo.** de Communi.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Cosmas, Panórmi sǽculo duodécimo ferme ineúnte natus, divínis et humánis lítteris egrégie excúltus, a Rogério Sicíliæ rege Africánus seu Aphrodiénsis Epíscopus renuntiátus, et ab Eugénio tértio Romæ consecrátus, in Africam conténdit. Ibi per annos decem Ecclésiam sibi concréditam sanctíssime rexit, optimísque légibus communívit. Cum autem anno millésimo centésimo sexagésimo, Africa in Saracenórum manus mísere incidísset, Cosmas, una cum áliis christiánis plura perpéssus, die décima Septémbris ejúsdem anni pretiósa morte defúnctus est. Ejus corpus Panórmi honoríﬁce cónditum, quo religiósius colerétur, plures Archiepíscopi Panormitáni sédulo curárunt. Offícium vero ac Missam, quæ in Panormitána Ecclésia in Cosmæ honórem jámdiu celebrári consuéverant, Leo décimus tértius, Póntifex Máximus, ratum hábuit et confirmávit.

℟. Invéni David.

Sermo sancti Máximi Epíscopi.

Lectio v.

Ad sancti ac beatíssimi patris nostri Cosmæ, cujus hódie festa celebrámus, laudes addidísse, áliquid decerpsísse est; síquidem virtútum ejus grátia non sermónibus exponénda est, sed opéribus comprobánda. Cum enim dicat scriptúra: Glória patris est fílius sápiens; quantæ hujus sunt glóriæ, qui tantórum filiórum sapiéntia et devotióne lætátur? In Christo enim Jesu per Evangélium ipse nos génuit.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Quidquid ígitur in hac sancta plebe potest esse virtútis grátiæ, de hoc quasi quodam fonte lucidíssimo ómnium rivulórum púritas emanávit. Etenim quia castitátis pollébat vigóre, quia abstinéntiæ gloriabátur angústiis, quia blandiméntis erat prǽditus lenitátis, ómnium cívium in Deum provocávit affectum; quia pontíficis administratióne fulgébat plures e discípulis relíquit sui sacerdótii successóres.

℟. Iste est qui.

In III. Nocturno Homilia in Evang. **Homo péregre.** de Communi.

Die 17. Septembris.

(Pro Diœc. Calatanisiadensi.)

S. Petri de Arbues Martyris.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart., præter ea quæ hic ponuntur.

Oratio.

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus, ut beáti Petri Mártyris tui Fidem cóngrua devotióne sectémur, qui pro ejúsdem Fídei defensióne, martýrii palmam méruit obtinére. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Petrus, cognoménto Arbues, Epíliæ in Aragónia natus a piis honestísque paréntibus una cum sánguinis claritáte hausit et pietátem. Ab ipsis enim incunábulis óptimis móribus imbútus, puerítiam ita transégit, ut nihil prius in ætáte illa sibi dúxerit excoléndum, quam lítteras et christiánas virtútes. Adoléscens liberálibus disciplínis erudítus, Bonóniæ in Collégio Hispanórum adscríptus, doctrína, et eruditióne ádeo excélluit, ut inde Magistrálem sacræ Theologíæ laúream reportáverit. Mox in Canónicum Metropolitánæ Ecclésiæ Cæsaraugustánæ ascítus, regulárem, quam vóverat, observántiam constantíssime semper retínuit: suǽque non modo, sed aliénæ étiam salúti pari stúdio, ac sollicitúdine invígilans, virtútibus ómnibus sic enítuit, ut Ferdinándus et Elisabétha, Cathólici Hispaniárum Reges, quum vellent e suis fínibus Judáicam exterimináre perfídiam, ipsum Fídei Inquisitórem in Aragónia primum eligéndum curáverint.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Quum ígitur sacrum Inquisitiónis munus pari ánimi ardóre et Fídei Cathólicæ emoluménto perágeret, magnum sibi contráxit ódium ab iis, qui Judáicam perfídiam mórdicus asserébant in eámque relápsi fúerant. De quorum insídiis per amícos et consanguíneos cértior factus, iísque suadéntibus, ut, si vitæ consúlere vellet, suscépto sese ministério abdicáret, constánter respóndit: libénter se talem ob causam mortem subitúrum: idque únice optáre, se ex malo Sacerdóte bonum fíeri mártyrem. Nec ábfuit optátus evéntus: quippe nefárii illi hómines, hábito sæpe inter se conventículo, necem in Dei servum machináti sunt; conductísque ad scelus perpetrándum sicáriis, Petrum, ante Chorum Metropolitánæ Ecclésiæ orántem, in princípio noctúrni offícii, quum ea Psalmi verba decantaréntur: Quadragínta annis próximus fui generatióni huic et dixi semper hi errant corde, iteráto vúlnere, letháliter affecérunt.

℟. Desidérium ánimæ.

Lectio vi.

Bíduum supervíxit, Deo grátias agens, quod pro Fídei defensióne mortem mererétur oppétere; Eumdémque pro interfectóribus suis déprecans, post recépta Ecclésiæ Sacraménta, decimoquínto Kaléndas Octóbris, anno a reparáta salúte millésimo quadringen-

tésimo octogésimo quinto obdormívit in Dómino. Non defuérunt post mortem prodígia: quorum illud in primis memorábile, ac Apostólicæ Sedis judício comprobátum, multiplicátio nimírum, et effervescéntia effúsi cruóris in eódem Ecclésiæ Metropolitánæ loco, in quo Martýrium passus fúerat. Ejus corpus ibídem Ferdinándus et Elisabétha regáli munificéntia elaboráto mármore sepeliéndum curárunt. In sacéllum deínde a Canonicórum ejúsdem Ecclésiæ Collégio magnífice constrúctum translátum fuit, ubi ad præsens honorífice cólitur: ejúsque memória, ut in Catálogo beatórum Mártyrum in pósterum haberétur, Alexánder Papa séptimus indúlsit.

℟. Stola jucunditátis.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Nihil est opértum. de Comm. unius Mart. 3. loco.

Die 22. Septembris.

S. Mariæ de Cervellione alias **de Socos** Virg.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Dominica IV. Septembris.

Translat. Capitis

S. Nymphæ Virg. et Mart. Civis et Patr. Princ. urbis Panormi.

Duplex 2. classis.

Omnia de Communi Virg. et Mart., præter sequentia.

In I. Vesperis. Ad Magnif. Ant. Adjúro vos fíliæ Jerúsalem, si invenéritis diléctum meum, ut nuntiétis ei, quia amóre lángueo.

Oratio.

Deus, qui beátam Nympham Vírginem tuam pro Christi fide, despéctis mundi delíciis martýrium fórtiter subíre docuísti: concéde plebi tuæ; ut ejus confísa suffrágiis, in confessióne veræ fídei, et devóta permáneat, et secúra consístat. Per Dóminum.

In I. Nocturno.

De Cánticis Canticórum.

Lectio i. Cap. 7, 8.

Ego diléctο meo, et ad me convérsio ejus. Veni diléctе mi, egrediámur in agrum, commorémur in villis. Mane surgámus ad víneas, videámus si flóruit vínea, si flores fructus partúriunt, si floruérunt mala púnica: ibi dabo tibi úbera mea. Mandrágoræ dedérunt odórem. In portis nostris, ómnia poma: nova et vétera, diléctе mi, servávi tibi. Quis mihi det te fratrem meum sugéntem úbera matris meæ, ut invéniam te foris, et deósculer te, et jam me nemo despíciat? Apprehéndam te, et ducam in domum matris meæ: ibi me docébis, et dabo tibi póculum ex vino condíto, et mustum malórum granatórum meórum.

℟. Veni sponsa Christi.

Lectio ii. Cap. 8.

Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. Adjúro vos fíliæ Jerúsalem, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam, donec ipsa velit. Quæ est ista, quæ ascéndit de desérto, delíciis áffluens, innixa super diléctum suum? Sub árbore malo suscitávi te: ibi corrúpta est mater tua, ibi violáta est génitrix

tua. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum, quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio: lámpades ejus lámpades ignis, atque flammárum. Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátem, nec flúmina óbruent illam: si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne quasi nihil despíciet eam.

℟. Diffúsa est grátia.

Lectio iii.

Soror nostra parva, et úbera non habet: quid faciémus soróri nostræ in die quando alloquénda est? Si murus est, ædificémus super eum propugnácula argéntea: si óstium est, compingámus illud tábulis cédrinis. Ego murus, et úbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem repériens. Vínea fuit pacífico in ea, quæ habet pópulos: trádidit eam custódibus, vir affert pro fructu ejus mille argénteos. Vínea mea coram me est. Mille tui pacífici, et ducénti his, qui custódiunt fructus ejus. Quæ hábitas in hortis, amíci auscúltant: fac me audíre vocem tuam. Fuge dilécte mi, et assimiláre cápreæ, hinnulóque cervórum super montes arómatum.

℟. Spécie tua.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Cleménte octávo Pontífice Máximo, Philíppo secúndo Hispaniárum, Siciliǽque rege, Dídaco vero de Gusman cómite Olivérii prorége, sanctum Vírginis et Mártyris Nymphæ caput Panórmum translátum est. Servabátur id Romæ in æde parochiáli sanctæ Maríæ Montis Cǽlii, cum vero piíssima fœmina María Pimentílla prorégis uxor rem Panormitánis gratíssimam præstáre cúperet eórum urbem tanto ditáre thesaúro, novámque ei Patrónam tribúere stúduit.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Ea res Ludovíco junióri de Torres Montis Regális archiepíscopo, qui tum Romæ degébat, demandáta, fácile a Pontífice impetrátur. Sacram inde relíquiam accépit Pacténsis epíscopus Gilbértus, Panórmum, Senátu panormitáno postulánte, delatúrus. Is, ardéntibus assídue arca céreis, sacrum depósitum Neápolim primum, deínde Thermas Sicíliæ civitátem invéctum, tantísper in æde máxima depósuit, dum ómnia Panormitáni ornaménta præparárent, quæ ad tantam solemnitátem decére videbántur.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Astábant intérea ad cœléstem thesaúrum nóbiles, religiosíque viri complúres, quos ad id múneris Senátus panormitánus deléctos míserat. Igitur læta urbi dies ádfuit; accépto qua par erat veneratióne cápite, atque in navim impósito, Pacténsis epíscopus, frequénti stipátus nobílium ac religiosórum hóminum ágmine, Panórmum conténdit. Sed quam benígne sacratíssima virgo pátriam repéteret, id arguménto fuit, vento síquidem, qui prius fúerat advérsus, ad urbis prospéctum in secúndum

repénte mutáto, anno millésimo quingentésimo nonagésimo tértio, quinto Idus Septémbris, Panórmum áppulit navis, excéptaque insígnis relíquia est summa frequéntis pópuli veneratióne, totiúsque civitátis triúmpho.

℟. Afferéntur Regi.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 25.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homilia 12. in Evang.

Notándum vero, quod omnes lámpades habent, sed omnes óleum non habent: quia plerúmque bona in se ópera cum eléctis et réprobi osténdunt, sed soli ad sponsum cum óleo véniunt, qui de his, quæ foris égerint, intus glóriam requírunt. Unde per Psalmístam quoque de sancta Electórum ecclésia dícitur: Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus. Dormitavérunt omnes, et dormiérunt. Dormíre mori est: ante somnum vero dormitáre est ante mortem a salúte languéscere; quia per pondus ægritúdinis pervenítur ad somnum mortis.

℟. Hæc est virgo.

Lectio viii.

Quid est autem, quod fátuæ tunc a prudéntibus óleum petunt, nisi quod in advéntu júdicis, cum se intus vácuas invénerint, testimónium foris quærunt? Ac si a sua fidúcia decéptæ próximis dicant: Quia nos quasi sine ópere repélli conspícitis, dícite de nostris opéribus, quod vidístis. Unde et prudéntes per increpatiónem subdunt: Ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Venditóres quippe ólei adulatóres sunt. De quo profécto óleo Psalmísta dicit: Oleum autem peccatóris non impínguet caput meum.

℟. Média nocte.

Lectio ix.

O si sápere in cordis paláto possit, quid admiratiónis hábeat, quod dícitur: Venit sponsus? Quid dulcédinis: Intravérunt cum eo ad núptias? Quid amaritúdinis: Et clausa est jánua? Pensáte, fratres caríssimi, ante conspéctum tanti júdicis, quis in illo die terror erit, quando jam in pœna remédium non erit; quanta vero tunc erit electórum lætítia, qui de ejus meréntur visióne gaudére, de cujus conspéctu vident et eleménta ómnia contremíscere, cum eo simul ad núptias intráre? Qui et in sponsi núptiis gaudent, et tamen ipsi sunt sponsa; quia in illo ætérni regni thálamo visióni nostræ Deus conjúngitur.

Te Deum laudámus.

Ad Bened. Ant. Anima mea desiderávit te in nocte: sed et spíritu meo in præcórdiis meis de mane vigilábo ad te.

In II. Vesperis. Ad Magnif. Ant. Mihi vívere Christus est, et mori lucrum: desidérium habens dissólvi, et esse cum Christo.

Die 1. Octobris.

Tertia die infra Octav.
S. Michaëlis Archangeli.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

De Sermóne sancti Gregórii Papæ.

Ex Homilia 34. in Evang.

Lectio iv.

Quia Angelórum nómina interpretándo perstrínximus, súperest, ut ipsa officiórum vocábula bréviter exsequámur. Virtútes étenim vocántur illi nimírum spíritus, per quos signa et mirácula frequéntius fiunt. Potestátes étiam vocántur hi, qui hoc poténtius céteris in suo órdine percepérunt, ut eórum ditióni virtútes advérsæ subjéctæ sint, quorum potestáte refrænántur, nec corda hóminum tantum tentáre præváleant, quantum volunt.

℟. **Hic est Míchaël.**

Lectio v.

Principátus étiam vocántur, qui ipsis quoque bonis Angelórum spirítibus præsunt, qui subjéctis áliis dum quæque sunt agénda dispónunt, eis ad expléndа divína ministéria principántur. Dominatiónes autem vocántur, qui étiam potestátes principátuum dissimilitúdine alta transcéndunt. Nam principári est inter réliquos priórem exsístere: dominári vero est étiam subjéctos quosque possidére. Throni quoque illa ágmina sunt vocáta, quibus ad exercénda judícia semper Deus omnípotens prǽsidet. Unde et per Psalmístam dícitur: Sedes super thronum, qui júdicas æquitátem.

℟. **Venit Míchaël.**

Lectio vi.

Chérubim quoque plenitúdo sciéntiæ dícitur; et sublimióra illa ágmina idcírco Chérubim vocáta sunt, quia tanto perfectióri sciéntia plena sunt, quanto claritátem Dei vicínius contemplántur. Séraphim étiam vocántur illa spirítuum sanctórum ágmina, quæ ex singulári propinquitáte Conditóris sui incomparábili ardent amóre. Séraphim namque ardéntes vel incendéntes vocántur; quorum profécto flamma amor est: quia quo subtílius claritátem divinitátis ejus aspíciunt, eo valídius in ejus amóre flamméscunt.

℟. **In témpore.**

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 18.

In illo témpore: Accessérunt discípuli ad Jesum dicéntes: Quis, putas, major est in regno cœlórum? Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Ex variis in Matth. Homilia 18.

Væ mundo a scándalis. Mundum istum terrénum locum dicit. Neque vero de cœlo et terra intellígere debémus mundum, sed mundum hic intelligámus terrénum; ídeo quod dixit Dóminus: Regnum meum non est de isto mundo. Si essem de mundo, amáret me mundus; et dícitur ad Apóstolos: Vos non estis de mundo.

Væ ígitur mundo, hoc est terréno loco, ab scándalis: necésse enim est, ut véniant scándala; non quia necésse, sed quia mundo necésse, ut véniant.

℟. In conspéctu.

Lectio viii.

Vidéte quod dícimus, subtíle est. Si necésse est, ut véniant scándala, ergo absque culpa est ille, per quem venit scándalum. Sed nos dícimus, scándalum non venit, nisi in terréno mundo. Vis non tibi veníre scándalum? noli esse terrénus. Proptérea dico, mundus terrénus scándalum habet, terra ista necésse est, ut hábeat scándalum. Noli portáre terrénum sed cœléste, et scándalum non habébis. Verúmtamen væ hómini illi, per quem scándalum venit.

℟. Míchaël Archángelus.

Nona Lectio de S. Remigio Episc. et Conf.

Die 3. Octobris.

Quinta die infra Octav.

S. Michaëlis Archangeli.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

De Sermóne sancti Gregórii Papæ.

Lectio iv.

Et sunt nonnúlli, qui accéptis virtútibus, étiam electórum hóminum mérita transcéndunt: cumque et bonis melióres sunt, eléctis quoque frátribus principántur; quo ergo isti sortem suam, nisi inter Principátuum números accípiunt? Et sunt nonnúlli, qui sic in semetípsis cunctis vítiis omnibúsque desidériis dominántur, ut ipso jure mundítiæ dii inter hómines vocéntur; unde et ad Móysen dícitur: Ecce constítui te Deum Pharaónis; quo ergo isti, nisi inter números Dominatiónum currunt?

℟. Hic est Míchaël.

Lectio v.

Et sunt nonnúlli, qui dum sibimetípsis vigilánti cura dominántur, dumque se sollícita intentióne discútiunt, divíno timóri semper inhæréntes, hoc in múnere virtútis accípiunt, ut judicáre recte et álios possint; quid ergo isti, nisi Throni sui conditóris sunt? Vel quo, nisi ad supernárum sédium números adscribúntur? Per quos dum sancta Ecclésia régitur, plerúmque de quibúsdam suis infírmis áctibus étiam elécti judicántur. Et sunt nonnúlli, qui tanta Dei ac próximi dilectióne pleni sunt, ut Chérubim jure nominéntur. Quia enim Chérubim plenitúdo sciéntiæ dícitur, et Paulo dicénte didícimus, quia plenitúdo legis est cáritas; omnes, qui Dei et próximi caritáte céteris ámplius pleni sunt, meritórum suórum sortem inter Chérubim números percepérunt.

℟. Venit Míchaël.

Lectio vi.

Et sunt nonnúlli, qui supérnæ contemplatiónis fácibus accénsi, in solo conditóris sui desidério anhélant, nihil jam in hoc mundo cúpiunt, solo æternitátis amóre pascúntur, terréna quæque abjíciunt, cuncta temporália mente transcéndunt, amant et ardent, atque in ipso suo ardóre requiéscunt, amándo ardent, loquéndo

et álios accéndunt; et quos verbo tangunt, ardére prótinus in Dei amóre fáciunt. Quid ergo istos nisi Séraphim díxerim, quorum cor in igne convérsum lucet, et urit; quia et méntium óculos ad supérna illúminant, et eos compungéndo in flétibus vitiórum rubíginem purgant?

℟. In tempore.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 18.

In illo témpore: Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes: Quis, putas, major est in regno cœlórum? Et réliqua.

Homilía S. Ambrósii Epíscopi.

Sermone 20. tom. 5.

Si diligénter audístis Evangélicam lectiónem, intellígere potéstis, quæ minístris ac sacerdótibus Dei reveréntia debeátur; vel qua ipsos cléricos ínvicem humilitátis sedulitáte opórteat prævenire. Ait enim Dóminus percontántibus discípulis, quis eórum in regno cœlórum major esset futúrus, statúto coram puérulo: Quicúmque humiliáverit se sicut puer iste, hic major erit in regno cœlórum. Unde intellígimus, quod humilitáte pervenítur ad regnum, simplicitáte penetrátur ad cœlum. Quisquis ergo cupit divinitátis tenére fastígia, humilitátis ima sectétur. ℟. In conspéctu.

Lectio viii.

Quod autem ait Evangélica léctio: Qui scandalizáverit unum de pusíllis istis, et cétera; pusíllos hic non ætáte púeros, sed malítia párvulos dicit. Sicut Apóstolus ait: Malítia párvuli estóte, ut sénsibus perfécti sitis. Qui sunt isti, nisi clérici idónei, et mónachi religiósi, vel láici? Quisquis ígitur his irréverens, aut contumeliósus exstíterit, hac velut pœna plectétur, ut infórmi saxo religáto illi ad collum, præcipitétur in mare. Sed videámus, cur scandalizántibus christiánis ista pœna data sit, aut quid sibi velit ipsa senténtia: puto enim illam áliquod mystérium continére.

℟. Míchaël Archángelus.

Lectio ix.

Quasi vero non sufficeret in mare hómini demergéndo saxum qualecúmque non magnum, aut enórme, sed molæ asináriæ lapis ei religétur ad collum, ut cum peritúro hómine péreat res úsui necessária. Sed puto, hoc magis esse, quod in Scriptúris ásini figúra pópulus gentílium nuncupátur, qui clausis óculis circa ignorántiæ molam erróris sui gyro pertráhitur, et in illa cursus directióne vestígiis sæpe redeúntibus invítus úsui labórat aliéno. Hic ergo gentílis pópulus cum persecutiónem christiáno intúlerit, hac pœna pléctitur, ut cum sua sacrílega mola judicándi sǽculi flúctibus demergátur.

Te Deum laudámus.

Die 5. Octobris.

Ss. Placidi et **Socior.** Martyrum.

Duplex.

Omnia de Communi plurim. Mart., præter hæc propria.

Oratio.

Deus, qui beátum Plácidum, in aquis pene demérsum, mirabíliter eripuísti, ut fidem inde,

quam cum plúribus Sóciis coram persecutóribus conféssus est, próprio sánguine confirmáret: ipsórum nobis intercessióne concéde; ut ánimas nostras propter te pérdere non timéntes, eas apud te felíciter inveníre mereámur. Per Dóminum nostrum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Plácidus Románus, Tertúllo patre ex nobilíssima Aniciórum família natus, puer Deo oblátus, et sancto Benedícto tráditus, tantum morum integritáte, et monásticæ vitæ institútis profécit, ut inter præcípuos ejus discípulos numerarétur. In solitúdine Sublacénsi eídem divo Benedícto, fontem divínitus impetránti, ádfuit. Adolescéntulus ad hauriéndam aquam egréssus, et in lacum prolápsus, ejúsdem sancti Patris império per Maurum mónachum, super aquas sicco pede curréntem, salvus mirabíliter extráctus fuit. In Cassínum montem cum illo deínde véniens, annum agens álterum et vigésimum, míttitur in Sicíliam, ut bona et possessiónes, quas pater ipsíus monastério Cassinénsi donáverat, ab ímproba quorúmdam cupiditáte defénderet. Quo in itínere cum plúrima máximaque mirácula fecísset, sanctitátis fama percélebris, Messánam venit: constructóque non longe a portu in patérna possessióne cœnóbio, mónachis trigínta congregátis, monásticam disciplínam primus ea in ínsula propagávit. Nihil eo placídius, nihil humílius erat: prudéntia, gravitáte, misericórdia animíque perpétua tranquillitáte superábat omnes. In divinárum rerum contemplatióne sæpíssime pernoctábat; paúlulum sedens, cum eum necessárius somnus oppressísset. Siléntii præcípua cura; ubi autem loquéndum esset, sermo omnis ad mundi despiciéntiam Christíque imitatiónem accommodátus. Jejúnium vero ita cóluit, ut carne omníque ópere lactário totis annis abstinéret; per Quadragésimam autem tértia quintáque féria, et Domínica pane dumtáxat frigidáque aqua conténtus, céteros dies sine ullo cibo tradúceret. Vinum bibit numquam, cilícium perpétuo gestávit.

℟. Sancti tui.

Lectio v.

Tot autem tantísque Plácidus miráculis coruscábat, ut non solum ex vicínis locis, sed ex Etrúria, et Africa ægróti ad eum sanitátis causa conflúerent: quamquam is ab insígni quadam ánimi humilitáte miráculis, quæ fáceret, ómnibus sancti Benedícti nomen, méritaque proténdere sólitus erat. Cum ígitur sanctitátis exémplo, et miraculórum magnitúdine rem christiánam augéret, quinto anno, postquam in Sicíliam venit, súbita Sarracenórum irruptióne, cum Eutýchio, et Victoríno frátribus, Flaviáque soróre vírgine, (qui forte per eos dies ad fratrem vidéndum Romam usque conténderant) nec non Donáto, Fausto, Firmatóque Diácono, monachísque trigínta, noctu psallens, in ecclésia opprímitur. Ex quibus Donátus cápite íllico cæsus est: réliqui ante Manú-

cham archipirátam ducti, cum se idólis cultum ullum adhibére constánter negárent, cæsi virgis, mánibus pedibúsque vincti, sine ullo cibo contrudúntur in cárcerem; ac ínsuper quotídie flagéllis concidúntur. Sed divínitus sustentáti, post multos dies rursus ad tyránnum adducúntur, atque in eádem fide constántes, íterum ac sæpius affécti verbéribus, nudi, cápite demísso, suspendúntur ingentíque fumo os eórum obrúitur. Qui cum ómnium opinióne mórtui relícti fuíssent, postrídie vivi, sanátis mirabíliter vulnéribus, repérti sunt.

℟. Vérbera carníficum.

Lectio vi.

Deínde Fláviam Vírginem separátim tyránnus aggréssus, cum nihil aut terréndo, aut pollicéndo profíceret, jubet illam nudam pédibus alta ex trabe suspéndi. Cui cum tyránnus insúltans, nuditátis turpitúdinem exprobráret: Unus est, inquit virgo, maris feminǽque auctor, conditórque Deus: quare neque sexus, neque núditas hæc fraudi mihi apud illum futúra est, quippe quam pro illíus amóre sustíneo, qui mea causa non nudári solum, sed cruci étiam affígi vóluit. Quo respónso Manúcha incitátus, vírginem fústibus cæsam, subjectóque fumo excruciátam lenónibus constuprándam trádidit. Vírgine autem Deum deprecánte, divínitus factum est, ut quotquot eam attíngere vellent, súbito membrórum ómnium dolóre stuporéque corriperéntur. Póstea Plácidum, Vírginis fratrem, tyránnus invádit; eíque idolórum vanitátem arguénti os dentésque lapídibus contúndi, linguámque radícitus abscíndi jubet. Sed cum nihilóminus ille, avúlsa lingua, clare et expedíte loquerétur, ipso miráculo magis furens bárbarus, Plácidum cum sorόre ac frátribus immánibus anchorárum molarúmque pondéribus óbrui resupínos ímperat. Cumque ex iis étiam torméntis íntegri evasíssent, ad extrémum ex una Plácidi família sex et trigínta in portus Mamertíni líttore, capítibus abscíssis, martýrii palmam cum duce suo, et áliis étiam plúribus retulére, tértio Nonas Octóbris, anno salútis humánæ quingentésimo trigésimo nono. Horum ómnium córpora post áliquos deínde dies Gordiánus mónachus, ex eódem monastério fuga elápsus, intácta cum reperísset, cum lácrimis sepelívit. Tyránni autem non multo post ultrícibus maris undis absórpti, crudelitátis suæ pœnas dedérunt.

℟. Tamquam aurum.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. Cap. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit, ipsum solum manet. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 51. in Joannem.

Ipse Dóminus Jesus erat granum mortificándum, et multiplicándum: mortificándum infidelitáte Judæórum, multiplicándum fide populórum. Jam vero

exhórtans ad passiónis suæ sectánda vestígia, qui amat, inquit, ánimam suam, perdet eam. Quod duóbus modis intélligi potest: Qui amat, perdet; id est, si amas, perdes. Si cupis vitam tenére in Christo, noli mortem timére pro Christo. Item álio modo: Qui amat ánimam suam, perdet eam: noli amáre, ne perdas; noli amáre in hac vita, ne perdas in ætérna vita.

℟. Propter testaméntum.

Lectio viii.

Hoc autem quod postérius dixi, magis habére vidétur evangélicus sensus. Séquitur enim: Et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. Ergo quod supra dictum est, qui amat (subintellígitur in hoc mundo), ipse útique perdet: qui autem odit (útique in hoc mundo), in vitam ætérnam custódit eam. Magna et mira senténtia quemádmodum sit hóminis in ánimam suam amor ut péreat, ódium ne péreat. Si male amáveris, tunc odísti: si bene óderis, tunc amásti. Felíces, qui odérunt custodiéndo, ne perdant amándo.

℟. Sancti mei.

Lectio ix.

Sed vide, ne tibi subrépat, ut teípsum velis interímere, sic intelligéndo quod debes odísse in hoc mundo ánimam tuam. Hinc enim quidam malígni, atque pervérsi hómines, et in seípsis crudelióres et sceleratióres homicídæ flammis se donant, aquis se præfócant, præcipítio se collídunt, et péreunt. Hoc Christus non dócuit; imo étiam diábolo præcipítium suggerénti respóndit: Redi retro, sátanas, scriptum est: Non tentábis Dóminum Deum tuum. Petro autem dixit, signíficans qua morte clarificatúrus erat Deum: Cum esses júnior, cingébas te, et ambulábas quo volébas; cum autem senúeris, alter te cinget et feret quo tu non vis. Ubi satis expréssit, non a seípso, sed ab álio debére occídi qui vestígia séquitur Christi.

Te Deum laudámus.

Die 6. Octobris.

In die Octava

S. **Michaëlis** Archangeli.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Lectio iv.

Angelórum hódie memória celebrátur, et exígitis débitum pro tanta solemnitáte sermónem. Crédimus sane et indubitáta fide tenémus, divína eos præséntia et visióne beátos sine fine lætári in bonis Dómini; áttamen, si multum est ad nos loqui de ea caritáte et glória, qua in semetípsis, imo in Deo suo, Angeli sancti nostris omníno superéminent córdibus: de ea loquámur, quam nobis éxhibent, grátia et caritáte. Neque id cuíquam incredíbile videátur, quandóquidem ipse quoque Creátor et Rex Angelórum venit, non ministrári, sed ministráre, et ánimam suam dare pro multis.

℟. Hic est Míchaël.

Lectio v.

Hujus ítaque tanti minístri grátia nihil mirum, si dignánter nobis, imo et libénter, Angeli san-

cti minístrent: ipsi enim amant nos, quia nos Christus amávit. Et hæc díxerim, fratres, ut ampliórem erga beátos Angelos fidúciam habeátis, ac proínde familiárius in omni necessitáte vestra eórum invocétis auxília: sed et dígnius in eórum præséntia conversári, et magis ac magis eórum vobis conciliáre grátiam, captáre benevoléntiam, exoráre cleméntiam studeátis.

℟. Venit Míchaël.

Lectio vi.

Cavénda nobis eórum offénsa, et in his máxime exercéndum, quibus eos nóvimus oblectári. Sunt enim plúrima, quæ eis placent, et quæ in nobis inveníre deléctant: ut est sobríetas, cástitas, paupértas voluntária, crebri in cœlum gémitus, et oratiónes cum lácrimis et cordis intentióne. Attamen super ómnia hæc unitátem, et pacem a nobis éxigunt Angeli pacis. Quidni máxime delecténtur in his, quæ formam quamdam civitátis suæ repræséntant in nobis, ut miréntur Jerúsalem novam in terra?

℟. In témpore.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 18.

In illo témpore: Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes: Quis, putas, major est in regno cœlórum? Et réliqua.

Homilía S. Joánnis Chrysóstomi.

Ex Homil. 60. in Matth. circa med.

Vidéte, ne contemnátis unum de párvulis istis. Párvulos hic non ætáte, sed multórum æstimatióne appellávit: paúperes, inquam, ignótos, ceterósque hujúsmodi, quos multi contémnunt, qui revéra párvuli non sunt, cum Creatóris ómnium amíci sint: quos ipse multo magis venerabilióres facit, dicens: Quia Angeli eórum semper vident fáciem Patris mei, qui in cœlis est.

℟. In conspéctu.

Lectio viii.

Hinc maniféstum est, quia omnes sancti Angelos habent. Apóstolus étiam ait de mulíere, quóniam velámen débeat habére in cápite propter Angelos: et Móyses státuit fines géntium secúndum númerum Angelórum Dei. Hic vero non de Angelis simplíciter dícitur, sed de Angelis excelléntibus atque suprémis. Nihil enim áliud designátur, cum dicit: Fáciem Patris mei aspíciunt, quam summa fidúcia eórum, et honor præcípuus.

℟. Míchaël Archángelus.

Lectio ix.

Vides, quot quibúsque ratiónibus ad modéstiam, et ad curam tenuiórum fratrum nos révocat. Infántem in médio státuit, et dixit: Efficiámini sicut párvuli: et quicúmque talem suscéperit párvulum, me suscípiet: et quicúmque hunc scandalizáverit, extréma luet supplícia: et scandalizántes hómines, étiam si loco mánuum atque oculórum nobis essent, abscíndere jussit: Angelórum quoque auctoritáte, qui hos ténues fratres tutántur, ut eos venerémur, impéllit.

Te Deum laudámus.

Die 8. Octobris.

S. Simeonis Prophetæ.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter sequentia.

In utrisque Vesp. Ant. de Laudib.; Psalmi ut in I. Vesp. de Comm. Apost.

Capit. et Hymnus de Comm.

℣. Respónsum accépit Símeon a Spíritu sancto. ℟. Non visúrum se mortem, nisi vidéret Christum Dómini.

Ad Magnif. Ant. Símeon replétus Spíritu sancto accépit Jesum in ulnas suas, et benedíxit Deum in ætérnum.

Oratio ut ad Laudes. 30*

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. i. Símeon justus et timorátus exspectábat redemptiónem Israël: * Et Spíritus sanctus erat in eo. ℣. Respónsum accépit Símeon a Spíritu sancto, non visúrum se mortem, nisi vidéret Christum Dómini. Et.

℟. ii. Respónsum accépit Símeon a Spíritu sancto, non visúrum se mortem, nisi vidéret Christum Dómini: * Et benedíxit Deum et dixit: Nunc dimíttis servum tuum in pace, quia vidérunt óculi mei salutáre tuum, Dómine. ℣. Cum indúcerent púerum Jesum paréntes ejus, ut fácerent secúndum consuetúdinem legis pro eo: ipse accépit eum in ulnas suas. Et.

℟. iii. Cum indúcerent púerum Jesum paréntes ejus in templum, ut fácerent secúndum consuetúdinem legis pro eo, accépit eum Símeon in ulnas suas, et benedíxit Deum, dicens: * Nunc dimíttis, Dómine, servum tuum in pace. ℣. Suscípiens Símeon púerum in mánibus, exclamábat, dicens. Nunc. Glória Patri. Nunc.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 13. de temp. post init.

Lectio iv.

Hic olim prædíctum est: Mater Sion dicit: Homo et homo factus est in ea, et ipse fundávit eam Altíssimus. O omnipoténtia nascéntis! O magnificéntia de cœlo ad terram descendéntis! Adhuc in útero portabátur, et ex útero matris a Joánne Baptísta salutabátur. In templo præsentabátur, et a Simeóne sene famóso, annóso, probáto, coronáto agnoscebátur. Tunc cognóvit, tunc adorávit, tunc dixit: Nunc, Dómine, dimíttis servum tuum in pace: quia vidérunt óculi mei salutáre tuum.

℟. Honéstum fecit.

Alibi ℟. Suscípiens Jesum in ulnas suas Símeon exclamávit, et dixit: * Tu es vere lumen, ad illuminatiónem Géntium, et glóriam plebis tuæ Israël. ℣. Cum indúcerent púerum Jesum paréntes ejus, et ipse accépit eum in ulnas suas, et benedíxit Deum, et dixit. Tu es.

Lectio v.

Differebátur exíre de sæculo, ut vidéret natum, per quem cónditum est sæculum. Agnóvit infántem senex, factus est in púero puer. Innovátus in ætáte, qui plenus erat pietáte. Símeon senex ferébat Christum infántem, Christus regébat Simeónis senectútem. Di-

ctum ei fúerat a Dómino, quod non gustáret mortem, nisi vidéret Christum Dómini natum. Natus est Christus, et implétum est desidérium senis in mundi ipsíus senectúte. Ipse ad senem hóminem venit, qui mundum inveterátum invénit.

℟. Amávit eum.

Alibi ℟. Senex púerum portábat: puer autem senem regébat: * Quem Virgo concépit, Virgo péperit, Virgo post partum, quem génuit adorávit. ℣. Accípiens Símeon púerum in mánibus, grátias agens, benedíxit Dóminum. Quem.

Lectio vi.

In isto quidem sǽculo diu esse nolébat, et Christum in hoc sǽculo vidére cupiébat, cantans cum Prophéta, et dicens: Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam, et salutáre tuum da nobis. Dénique ut novéritis ita esse istíus lætítiam, conclúsit, dicens: Nunc dimíttis servum tuum in pace; quia vidérunt óculi mei salutáre tuum. Prophétæ cecinérunt Conditórem cœli et terræ in terra cum homínibus futúrum: Angelus nuntiávit Creatórem carnis, et spíritus in carne ventúrum, salutávit Joánnes ex útero in útero Salvatórem: Símeon senex Deum agnóvit infántem.

℟. Iste homo.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 2.

In illo témpore: Homo erat in Jerúsalem, cui nomen Símeon, et homo iste justus, et timorátus, exspéctans consolatiónem Israël. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 2. Comm. in Lucæ 2.

Et ecce homo erat in Jerúsalem, cui nomen Símeon, et homo iste justus et timorátus, exspéctans consolatiónem Israël. Non solum ab Angelis, et prophétis, et a pastóribus, sed étiam a senióribus, et justis generátio Dómini accépit testimónium. Omnis ætas, et utérque sexus, eventorúmque mirácula fidem ástruunt. Virgo génerat, stérilis parit, mutus lóquitur, Elísabeth prophétat, magus adórat, útero clausus exsúltat, vídua confitétur, justus exspéctat.

℟. Iste est qui.

Lectio viii.

Et bene justus, qui non suam, sed pópuli grátiam requirébat, cúpiens ipse corpóreæ vínculis fragilitátis exsólvi, sed exspéctans vidére promíssum: sciébat enim, quia beáti óculi qui eum vidérent. Et ipse accépit eum in ulnas suas, et benedíxit Deum, et dixit: Nunc dimítte servum tuum, Dómine, secúndum verbum tuum in pace. Vides justum, velut corpóreæ cárcere molis inclúsum velle dissólvi, ut incípiat esse cum Christo; dissólvi enim, et cum Christo esse, multo mélius est.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Sed qui vult dimítti, véniat in templum: véniat in Jerúsalem, exspéctet Christum Dómini, accípiat in mánibus Verbum Dei, compléctátur opéribus velut quibús-

dam suæ fídei bráchiis: tunc dimittétur, ut non vídeat mortem, qui víderit vitam. Vides úberem in omnes grátiam Dómini generatióne diffúsam, et prophetíam incrédulis negátam esse, non justis. Ecce et Símeon prophétat in ruínam et resurrectiónem plurimórum venísse Dóminum Jesum Christum: ut justórum iniquorúmque mérita discérnat, et pro nostrórum qualitáte factórum judex verus et justus aut supplícia decérnat, aut prǽmia.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes
et per Horas.

Ant. 1. Símeon justus, * et timorátus exspectábat redemptiónem Israël, et Spíritus sanctus erat in eo.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Respónsum accépit * Símeon a Spíritu sancto non visúrum se mortem, nisi vidéret Dóminum.

3. Accípiens Símeon * púerum in mánibus, grátias agens benedíxit Dóminum.

4. Et benedíxit * illis Símeon, dicens: Ecce pósitus est hic in ruínam, et resurrectiónem multórum in Israël.

5. Dixit Símeon * ad Maríam: Tuam ipsíus ánimam pertransíbit gládius, ut reveléntur ex multis córdibus cogitatiónes.

Capit. et Hymnus de Comm. Conf. non Pont.

℣. Respónsum accépit Símeon a Spíritu sancto. ℟. Non visúrum se mortem, nisi vidéret Dóminum.

Ad Bened. Ant. Cum indúcerent púerum Jesum paréntes ejus, accépit eum Símeon in ulnas suas, et benedíxit Deum dicens: Nunc dimíttis servum tuum in pace.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui Unigénitum tuum ulnis beáti Simeónis in templo sancto tuo suscipiéndum præsentásti: tuam súpplices deprecámur cleméntiam; ut, eo interveniénte, in templo sancto glóriæ tuæ præsentári mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Ad Horas Ant. de Laudibus, Capit. et ℟℟. br. de Comm. Conf. non Pont. In II. Vesp. omnia ut in I.

Die 12. Octobris.

S. Ludovici Bertrandi Conf.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis die 10. Octobris.

Dominica II. Octobris.

Maternitatis B. Mariæ V.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem Dominica.

Dominica III. Octobris.

Puritatis B. Mariæ Virg.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem Dominica.

Dominica IV. Octobris.

Ss. Angelorum Custodum.

Dupl. 2. cl. cum Oct.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis Dominica I. Sept.

Die 21. Octobris.

Ss. Ursulæ et **Sociarum** Virg. et Martyrum.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 24. Octobris.

S. **Raphaëlis** Archangeli.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 25. Octobris.

Ss. **Gavini, Proti** et **Januarii** Martyrum.

Duplex.

Omnia de Communi plurim. Mart., præter sequ.

Oratio.

Deus, qui per beátos Mártyres tuos Gavínum, Protum et Januárium Ecclésiam tuam mirabíliter illustráre dignátus es: concéde nobis fámulis tuis; ut quos patrónos venerámur in terris, intercessóres habére mereámur in cœlis. Per Dóminum.

Et fit commem. Ss. Chrysanthi et Dariæ Mart.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Protus sacérdos, et Januárius diáconus, Túrribus in Sardínia nati, quo témpore Diocletiánus imperátor insatiábilem crudelitátem in christiános exercébat, Romam profécti, et a Cajo sanctíssimo Pontífice ordináti, atque in Sardíniam revérsi, fidem Christi Túrribus prædicábant, Deíque grátia aspiránte, plures gentíles ad veri Dei cultum perduxérunt, inter quos máxime enítuit Gavínus Románus miles ex præclára (ut fertur) Sabellórum família: qua de causa bárbari præsidis jussu comprehénsi, diutúrno cárcere maceráti, in equúleo suspénsi, férreis úngulis dilaniáti, variísque tormentórum genéribus vexáti sunt: sed Deo protegénte, illǽsi evasérunt.

℟. Sancti tui.

Lectio v.

Mox Protus présbyter in Hérculis ínsulam, quæ Linária vulgo dícitur, tunc nóxiis animálibus refértam, jubénte præside, deportátus fuit, ut a feris devorarétur: ubi cibo, atque omni humána ope pénitus destitútus, multis calamitátibus vexátus fuit: sed divínis laúdibus inténdens, ab eo, qui dat escam esuriéntibus, mirabíliter enutrítus: hoc étiam suis précibus impetrásse dícitur, ut omnes nóxiæ feræ in ea ínsula, ac vicína Sardínia, usque in præséntem diem exstínctæ omníno fúerint. At vero Januárius júnior, donis et blandítiis tentátus, ut a fide defíceret, in ejus confessióne immóbilis perseverávit. Quare præses novis eum torméntis simul cum Proto, quem ab exsílio revocáverat, subjécit, et Gavíno míliti utrúmque trádidit custodiéndum. Porro Gavínus ab ipsis ad Christum convérsus, et aqua salutári ablútus, líberos illos dimísit, quod insóntes eos, et sine causa vinctos díceret.

℟. Vérbera carníficum.

Lectio vi.

Id cum tyránno innotuísset, suasiónibus et illécebris ad idolórum cultum Gavínum revocáre conátus est: quem in suscépta religióne constantíssimum repértum, capitáli senténtia puníri mandávit in Portu Balagái. Quo loco étiam Protus et Januárius, qui suburbáno Túrrium loco laténtes, ab

ipso Gavíno in visu ad martýrii palmam invitáti fúerant, decolláti sunt die vigésima quinta Octóbris. Horum córpora, tyránno imperánte in mare projécta, mox ab íncolis christiánis juxta líttus repérta, et in ecclésia magnificentíssime exstrúcta, ac eórum nómine consecráta, collocáta fuérunt, ubi a toto Sardíniæ regno, et præcípue a província Turritána, quæ in honórem sancti Gavíni mensem Octóbris sanctum Gavínum appéllat, ingénti concúrsu, et pópuli veneratióne colúntur.

℞. Tamquam aurum.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Cum audiéritis prǽlia. de eodem Communi 1. loco.

Lectio ix. de Ss. Chrysantho et Daria Mart. et eorum commem. in Laud.

Die 29. Octobris.

B. Mariæ V. Agonizantium Patronæ.

Duplex majus.

Omnia ut in festis B. M. V., præter Orationem.

Oratio.

Deus, qui unigénito Fílio tuo, pendénti in cruce pro animárum salúte, ejus Genitrícem Vírginem Maríam adésse voluísti: fac; ut nos in extrémo vitæ perículo constitúti, ejus intercessióne adjuvémur, et ætérna prǽmia cónsequi mereámur. Per eúmdem Dñm.

Die 30. Octobris.

S. Alphonsi Rodriguez Conf. e Soc. Jesu.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter sequentia. (m. t. v.)

Oratio.

Deus, fortitúdo fragílium et humílium celsitúdo, qui fámulum tuum Alphónsum jugi mortificatiónis stúdio et exímiæ humilitátis laude caréscere voluísti, da ut ejus imitatióne carne mortificáti, et in húmili crucis Fílii tui sequéla fidéliter perseverántes, glóriam consequámur ætérnam: Qui tecum vivit.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Alphónsus Rodríguez, Dídaco patre mercatóre Segóviæ in Hispánia natus, ab ipsa jam pueritia christiánæ pietátis stúdio ac præsértim sanctíssimæ Dei genitrícis veneratióne et amóre excélluit. Complútum ad lítteras addiscéndas missus, haud multo post ob mortem patris ad mercatúram faciéndam revocátus est a matre, eáque hortánte, honestíssimæ puéllæ fœ́dere nuptiáli junctus. Intérim tamen quæ Dei sunt sollícite quærens, piis opéribus exércitam vitam duxit. Verum ad majóra vocátus a Deo, ut uxóre et suscéptis ex ea líberis orbátum se morte vidit, negotiatióni terrenísque ómnibus valedícere, et perfectióris vitæ currículum iníre decrévit. Quare, anteáctæ vitæ máculis sacra exomologési diligentíssime detérsis, totum se cœléstium contemplatióni addíxit, utque mórtuus córpore spíritu víveret, aspérrimam vitæ ratiónem sibi præstítuit.

℞. Honéstum fecit.

Lectio v.

Tamétsi in via perfectiónis tam strénue progrediebátur Alphónsus, quo fírmius tamen Deo adhæréret, de religióso institúto amplecténdo cogitáre cœpit. Qua in deliberatióne cum per visum quoddam vocári se ad Societátem Jesu intellexísset, eníxis précibus a Præpósito províncię impetrávit ut, pro eo quod parum in lítteris profecísset, in húmilem sodálium adjutórum gradum admitterétur. In illa religiósæ vitæ palæstra eo splendídius ejus eluxére virtútes: mira in primis humílitas et obediéntia, sui ipsíus et mundi contémptus, oratiónis stúdium, amor paupertátis. Castitáti servándæ, præter sénsuum custódiam, córporis afflictatiónem adhibére non intermísit. Per annos ámplius quadragínta gravíssimis infirmitátibus invícta patiéntia tolerátis accéssit malórum dæmonum immánis in eum furor et pugna. Eórum tamen ímpetus et astus beatíssimæ Vírginis ope, cujus aspéctu et allóquio idéntidem recreabátur, elúsit semper ac protrívit.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

Altíssimæ contemplatiónis dono, perpétua cum Deo consuetúdine, in quem abstráctus a sénsibus sæpe reperiebátur, prophetíæ spíritu, curatiónum grátia, divinísque áliis charísmatis emícuit. Nihil ei jucúndius quam Missæ sacro inservíre; quo témpore Christus Jesus ei se aliquóties vidéndum óbtulit. Singulári erga Deíparam, ejúsque præcípue conceptiónem immaculátam, pietáte afféctus, rosárium quod vocátur, in delíciis hábuit ádeo, ut ab assídua ejus contrectatióne callum contráxerit. Qua vero in Deum flagrábat caritáte, ardor alebátur quo proximórum salútem précibus, adhortatiónibus, consílio alácriter procurábat, præsértim adventántium ad Collégii jánuam, cujus per annos ámplius trigínta patientíssimæ caritátis exémplo custos fuit. Tam multis divínæ grátiæ ópibus ditátus ad extrémum vitæ devéniens, eníxius invocáto nómine Jesu pressísque ad ejus effígiem lábiis, obdormívit in Dómino, ineúnte pervigílio Sanctórum ómnium, annum agens octogésimum séptimum. Eum a Leóne duodécimo Beatórum fastis adscríptum, Leo décimus tértius anno millésimo octingentésimo octogésimo octávo, cum Petro Claver cui capesséndi apostolátus auctor fúerat Alphónsus, cœlitum Sanctórum honóribus auxit. ℟. Iste homo.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 12. d.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Et réliqua.

Homilía Venerábilis Bedæ Presbýteri.

Lib. 4. Cap. 54. in Luc. 12.

Pusíllum gregem electórum, vel ob comparatiónem majóris númeri reprobórum, vel pótius ob humilitátis devòtiónem nóminat: quia vidélicet Ecclésiam

suam quantálibet numerositáte jam dilatátam, tamen usque ad finem mundi humilitáte vult créscere, et ad promíssum regnum humilitáte perveníre. Ideóque ejus labóres blande consolátus, quam regnum Dei tantum quærere præcipit, eídem regnum a Patre dandum complácita benignitáte promíttit.

℟. Iste est qui.

Lectio viii.

Véndite quæ possidétis, et date eleëmósynam. Nolíte, inquit, timére, ne propter regnum Dei militántibus, hujus vitæ necessária desint: quin étiam posséssa propter eleëmósynam véndite. Quod tunc digne fit, quando quis semel pro Dómino suis ómnibus spretis, nihilóminus post hæc labóre mánuum, unde et victum transígere, et eleëmósynam dare queat, operátur. Unde gloriátur Apóstolus, dicens: Argéntum, aut aurum, aut vestem nullíus concupívi: ipsi scitis, quóniam ad ea quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministravérunt manus istæ. Omnia osténdi vobis, quóniam sic laborántes opórtet suscípere infírmos.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Fácite vobis sácculos qui non veteráscunt: eleëmósynas vidélicet operándo, quarum merces in ætérnum máneat. Ubi non hoc præcéptum esse putándum est, ut nil pecúniæ reservétur a sanctis, vel suis scílicet, vel paúperum úsibus suggeréndæ: cum et ipse Dóminus, cui ministrábant Angeli, tamen ad informándam Ecclésiam suam lóculos habuísse legátur, et a fidélibus obláta consérvans, et suórum necessitátibus aliísque indigéntibus tríbuens sed ne Deo propter ista serviátur, et ob inópiæ timórem justítia deserátur.

Te Deum laudámus.

Die 3. Novembris.

S. Sylviæ Viduæ Civis Panormit.

Duplex.

Omnia de Communi nec Virg. nec Mart., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátam Sýlviam, in tríplici vitæ statu, virgínibus, nuptis, et víduis præclárum christiánæ perfectiónis exémplar esse voluísti: concéde nobis fámulis tuis, ut in odórem unguentórum ejus curréntes, Christi bonus odor éffici mereámur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Silvia, e nóbili Octaviórum prosápia, Panórmi eo loco prope portam Hiccarénsem, quo nunc templum Fratrum Augustinianórum excalceatórum, sancto Gregório Papæ dicátum conspícitur, orta est. In patérna domo pie et spléndide educáta, Gordiáno senatóri Románo, ex nobilíssima Aniciórum família, in matrimónium a paréntibus júngitur, ex quo fílium, Panórmi concéptum, Romæ péperit, sanctum, scílicet, Gregórium magnum, Summum Pontíficem. In matrimónio virtútes, quas a puerítia haúserat, mirífice excóluit, ádeo ut præclárum matrónis

Románis sanctitátis exémplar eváserit.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Sýlviæ hortátu et consílio, tum vir ejus Gordiánus, anno quingentésimo sexagésimo nono, bona, quæ in Regno Neapolitáno possidébat, Montis Cassíni monastério elargítur: tum ejus fílius Gregórius ex prædiis, quæ in Sicília ad eam spectábant, sex ibídem monastéria, et séptimum Romæ ex áltero ejúsdem Sýlviæ fundo eréxit, quod sancto Andréæ apóstolo sacrátum vóluit. Mórtuo ejus viro, relícta prístina vivéndi ratióne, privátam, frugalémque vitam, paucis conténta fámulis instítuit.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Benedictíno Oblatórum, hábitu humíliter suscépto, crudis legumínibus, aliísque vílibus cibis, quos subínde fílio suo Gregório subministrábat, ad mensam utebátur. Paupéribus sublevándis addícta, et cœléstibus meditatiónibus diu, noctúque inténta, fílium in Romána sancti Petri Cáthedra sedéntem, máximis exsúltans gaúdiis, vidére méruit. Mortem sibi imminéntem prænóscens, sacraméntis, et pontifícia fílii benedictióne munítur, atque sanctimónia et senectúte venerábilis, tértio nonas Novémbris anno quingentésimo nonagésimo, Romæ obdormívit in Dómino. Ejus fílius Gregórius, qui matérno fúneri ádfuit, eam in ecclésia monastérii sancti Andréæ tumulávit; ejúsque imáginem, déxtera crucem tenéntem, et sinístra librum, cui inscríptum legebátur „Vivet ánima mea, et laudábit te, et judícia tua adjuvábunt me“ públicæ veneratióni expósuit.

℟. Fallax grátia.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 13.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cœlórum thesaúro abscóndito in agro. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbýteri.

Lib. 2. in Matth. cap. 13.

Thesaúrus iste, in quo sunt omnes thesaúri sapiéntiæ et sciéntiæ abscónditi, aut Deus Verbum est, qui in carne Christi vidétur abscónditus, aut sanctæ scriptúræ, in quibus repósita est, notítia Salvatóris; quem cum quis in eis invénerit, debet ómnia istíus mundi emoluménta contémnere, ut illum possit habére, quem réperit. Quod autem séquitur: Quem cum invénerit homo, abscóndit: idcírco dícitur, non quod hoc de invídia fáciat, sed quod timóre servántis et noléntis pérdere, abscóndat in corde suo, quem prístinis prætulit facultátibus.

℟. Os suum.

Lectio viii.

Aliis verbis idípsum, quod supra dícitur: Bonæ margarítæ, quas quærit ínstitor, Lex, et Prophétæ sunt. Unum autem est pretiosíssimum margarítum, sciéntia Salvatóris, et sacraméntum passiónis illíus, et resurrectiónis arcánum.

Quod cum invénerit homo negotiátor, símilis Pauli Apóstoli, ómnia legis Prophetarúmque mystéria, et observatiónes prístinas, in quibus inculpáte víxerat, quasi purgaménta contémnit et quisquílias, ut Christum lucrifáciat. Non quod invéntio novæ margarítæ condemnátio sit véterum margaritárum, sed quod comparatióne ejus omni ália gemma vílior sit.

℟. Regnum mundi.

Lectio ix.

Intellexístis hæc ómnia? Dicunt ei: Etiam. Ad Apóstolos próprie sermo est: quos non vult audíre tantum ut pópulum, sed intellígere ut magístros futúros. Instrúcti erant Apóstoli, scribæ et notárii Salvatóris, qui verba illíus, et præcépta signábant in tábulis cordis carnálibus, regnórum cœléstium sacraméntis, et pollébant ópibus patrisfamíliæ, ejiciéntes de thesaúro doctrinárum suárum nova et vétera: ut quidquid in Evangélio prædicábant, legis, et Prophetárum vócibus comprobárent. Unde et sponsa dicit in Cántico Canticórum: Nova et vétera, fratruélis meus, servávi tibi.

Te Deum laudámus.

Dominica III. Novembris.

Patrocinii B. Mariæ Virg.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis Dominica II. Novembris.

Die 12. Novembris.

S. Nymphæ Virginis et Mart.

Duplex 1. class. cum Octava.

Omnia de Communi Virg. et Mart., præter sequentia.

In I. Vesperis. Ad Magnif. Ant. Adjúro vos fíliæ Jerúsalem, si invenéritis diléctum meum, ut nuntiétis ei, quia amóre lángueo.

Oratio.

Deus, qui beátam Nympham Vírginem tuam pro Christi fide, despéctis mundi delíciis martýrium fórtiter subíre docuísti: concéde plebi tuæ; ut ejus confísa suffrágiis, in confessióne veræ fídei, et devóta permáneat, et secúra consístat. Per Dóminum.

In I. Nocturno.

De Cánticis Canticórum.

Lectio i. Cap. 7, 8.

Ego dilécto meo, et ad me convérsio ejus. Veni dilécte mi, egrediámur in agrum, commorémur in víllis. Mane surgámus ad víneas, videámus si flóruit vínea, si flores fructus partúriunt, si floruérunt mala púnica: ibi dabo tibi úbera mea. Mandrágoræ dedérunt odórem. In portis nostris, ómnia poma: nova et vétera, dilécte mi, servávi tibi. Quis mihi det te frátrem meum sugéntem úbera matris meæ, ut invéniam te foris, et deósculer te, et jam me nemo despíciat? Apprehéndam te, et ducam in domum matris meæ: ibi me docébis, et dabo tibi póculum ex vino condíto, et mustum malórum granatórum meórum.

℟. Veni sponsa Christi.

Lectio ii. Cap. 8.

Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. Adjúro vos fíliæ Jerúsalem, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam, donec ipsa velit. Quæ est ista, quæ ascéndit de de-

sérto, delíciis áffluens, inníxa super diléctum suum? Sub árbore malo suscitávi te: ibi corrúpta est mater tua, ibi violáta est génitrix tua. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum, quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio: lámpades ejus lámpades ignis, atque flammárum. Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátem, nec flúmina óbruent illam: si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne quasi nihil despíciet eam.

℟. Diffúsa est grátia.

Lectio iii.

Soror nostra parva, et úbera non habet: quid faciémus soróri nostræ in die quando alloquénda est? Si murus est, ædificémus super eum propugnácula argéntea: si óstium est, compingámus illud tábulis cédrinis. Ego murus, et úbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem repériens. Vínea fuit pacífico in ea, quæ habet pópulos: trádidit eam custódibus, vir affert pro fructu ejus mille argénteos. Vínea mea coram me est. Mille tui pacífici, et ducénti his, qui custódiunt fructus ejus. Quæ hábitas in hortis, amíci auscúltant: fac me audíre vocem tuam. Fuge dilécte mi, et assimiláre cápreæ, hinnulóque cervórum super montes arómatum.

℟. Spécie tua.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Nympha, virgo ex Aureliáno Sicíliæ præfécto, Aureliáni imperatóris nepóte, Panórmi anno biscentésimo, nonagésimo tértio, nata est. Ob exímiam, qua fulgébat, pulchritúdinem ab ejus patre in alta régii palátii turri, quæ étiam nunc sanctæ Nymphæ habitáculum appellátur, inclúsa custodítur: adjúnctis ad ejus famulátum nonnúllis puéllis nobílibus, quarum non paucæ christiánam fidem occúlte colébant. Cum una ex eis dóminæ interrogánti de Próculo et Golbodǽo, quos Nympha compósito incéssu et modésto vultu ambulántes víderat, respondéret eos christiános esse, et cathólicam fidem ad ætérnam salútem promeréndam necessáriam esse, illos accersívit: cumque ab eis christiánæ religiónis mystéria distíncte didicísset, íllico aspiránte Dei grátia, se in Jesum Christum crédere conféssa est, et baptísmum sibi quantócius conférri postulávit.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Póstera die Mamiliánus epíscopus in Nymphæ cubículum a Golbodǽo ejus discípulo introdúcitur; quam, cum fídei ardóre et baptísmi desidério flagrántem repérisset, christiána doctrína plénius instrúctam, baptizávit. Cathólicæ religiónis et sacri baptísmi compos effécta, plures ex suis fámulis et quosdam de patérna domo ad Christum convértit, quos Mamiliánus sacris baptísmatis aquis ábluit. Quod ut Aureliánus intelléxit, ira inflammátus, Nympham, et Mamiliánum, jam equúleo tortum, in cárcere custodíri ímperat, ubi ambo, longa fame pene exstíncti, angélico ministério reficiúntur.

Nonnúllæ ibi puéllæ, quas Aureliánus séligi jússerat, et régiis munéribus cumuláverat, ut eam a Christi fide avérterent, et ad idolórum cultum revocárent, Nymphæ suasiónibus ad Christum convérsæ, ab eódem epíscopo baptizátæ sunt.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Qua de re, in fíliam magis exardéscens Aureliánus, eam, et Mamiliánum in fervéntis ólei dólium prójici jubet: sed cum inde incólumes, toto pópulo spectánte, divínitus exíerint, íterum in cárcerem detrudúntur. E custódia, una cum eódem epíscopo et Golbodǽo, ab Angelo edúcitur, et navígio impósita ad Gílium ínsulam pervénit. Dein cum iísdem sóciis discédens ad pharum Portus Románi áppulit; inventísque in crypta Buccinénsi Eustótio et Próculo, prædíctis sóciis comitáta Romam venit; et visitátis Apostolórum sepúlchris, ad eámdem cavérnam revérsa est. Angélicam ibi, simul et paupérrimam, cum recensítis sóciis, quorum et funéribus ádfuit, et córpora pie sepelíri curávit, vitam instítuens, sanctitáte et miráculis clara, virginitáte et martýrio coronáta, die duodécima Novémbris, anno trecentésimo décimo tértio, ætátis suæ vigésimo, ad ætérnas cœléstis Agni núptias evolávit in cœlum. Ejus corpus in eódem sociórum sarcóphago cónditum, jussu Urbáni secúndi, anno millésimo nonagésimo octávo Romam delátum, in ecclésia sanctæ Maríæ Montis Cǽlii religióse collocátur. Caput vero, quod annuénte Cleménte octávo, año millésimo quingentésimo nonagésimo tértio, Panórmum translátum est, in basílica cathedráli máximo honóre cólitur.

℟. Afferéntur Regi.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 25.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homilia 12. in Evang.

Notándum vero, quod omnes lámpades habent, sed omnes óleum non habent: quia plerúmque bona in se ópera cum eléctis et réprobi osténdunt, sed soli ad sponsum cum óleo véniunt, qui de his, quæ foris égerint, intus glóriam requírunt. Unde per Psalmístam quoque de sancta Electórum ecclésia dícitur: Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus. Dormitavérunt omnes, et dormiérunt. Dormíre mori est: ante somnum vero dormitáre est ante mortem a salúte languéscere; quia per pondus ægritúdinis pervenítur ad somnum mortis.

℟. Hæc est virgo.

Lectio viii.

Quid est autem, quod fátuæ tunc a prudéntibus óleum petunt, nisi quod in advéntu júdicis, cum se intus vácuas invénerint, testimónium foris quærunt? Ac si a

sua fidúcia decéptæ próximis dicant: Quia nos quasi sine ópere repélli conspícitis, dícite de nostris opéribus, quod vidístis. Unde et prudéntes per increpatiónem subdunt: Ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Venditóres quippe ólei adulatóres sunt. De quo profécto óleo Psalmísta dicit: Oleum autem peccatóris non impínguet caput meum.

℟. **Média nocte.**

Lectio ix.

O si sápere in cordis paláto possit, quid admiratiónis hábeat, quod dícitur: Venit sponsus? Quid dulcédinis: Intravérunt cum eo ad núptias? Quid amaritúdinis: Et clausa est jánua? Pensáte, fratres caríssimi, ante conspéctum tanti júdicis, quis in illo die terror erit, quando jam in pœna remédium non erit; quanta vero tunc erit electórum lætítia, qui de ejus meréntur visióne gaudére, de cujus conspéctu vident et eleménta ómnia contremíscere, cum eo simul ad núptias intráre? Qui et in sponsi núptiis gaudent, et tamen ipsi sunt sponsa; quia in illo ætérni regni thálamo visióni nostræ Deus conjúngitur.

Te Deum laudámus.

Ad Bened. Ant. **Anima mea desiderávit te in nocte: sed et spíritu meo in præcórdiis meis de mane vigilábo ad te.**

In II. Vesperis. Ad Magnif. Ant. **Mihi vívere Christus est, et mori lucrum: desidérium habens dissólvi, et esse cum Christo.**

Die 13. Novembris.

S. Stanislai Kostkæ Conf.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 14. Novembris.

B. Joannis Liccii Confessoris.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter hæc propria.

Oratio.

Deus, qui beátum Joánnem, Confessórem tuum, plena sui abnegatióne, atque exímiæ caritátis zelo claréscere voluísti: ejus nobis imitatióne concéde; ut, abdicátis terrénis afféctibus, in tua dilectióne vivámus. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Joánnes Líccius Cáccabi, quod est Sicíliæ óppidum in Panormitána diœcési húmili génere natus est. Seméstrem infántulum matre orbátum, ac nutríce ob patris inópiam destitútum, cum solo mali púnici succo alerétur, inédia fere conféctum, pia múlier lactándum suscépit: dum autem viro suo diutúrna membrórum contractióne in lecto jacénti admovísset, is repénte conváluit. A púero jugi oratióne, crebris jejúniis et carnis maceratióne sese impénse exercébat. Pubertátem vero egréssus, Panórmum dedúctus est, ubi suadénte Petro Hieremía, sanctitáte claro, Prædicatórum órdinem, quem ille profitebátur, ampléxus est, positóque virtútum ómnium tirocínio,

solémnibus votis árctius sese Deo conjúnxit. Sacris mox lítteris diligentíssime excúltus, apostólico múneri designátus est, quod tanta súbiit eloquéntiæ divínæ vi, ut vel ex sáxeis córdibus lácrimas piæ compunctiónis elíceret.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Effúsus in ómnia erga próximos caritátis offícia, ómnium ánimos ad se rapiébat. Rem divínam non sine ingénti lacrimárum vi fervidǽque devotiónis æstu faciébat. Præcípua in Deíparam Vírginem pietáte ac religióne fuit, ejúsque Rosárii cultum insígniter auxit, ac propagávit. Cáccabi cœnóbium sui órdinis loco sibi cœ́litus indicáto molítus, matériam óperi perficiéndo parátam divínitus hábuit. Calcáriam fornácem bíduo accénsam, et jamjam ruitúram, quo ejus casum reparáret, ingréssus, inde exívit illǽsus: aquam vero eo loci scaténtem, atque exundántem oratióne exsiccávit, absolutóque ædifício, rursum edúxit, præsentíssimum deínceps áccolis advérsus quoscúmque morbos remédium.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

Cœnóbio a se constrúcto diu prǽfuit Superiórum nutu ac voluntáte; Siculámque prædicatórum provínciam severióris disciplínæ zelo cum summa prudéntia, et caritáte conjúncto sanctíssime administrávit. Dénique provécta ad annos fere úndecim supra centum ætáte, anno millésimo quingentésimo undécimo, mense Novémbri, inter Crucifíxi ampléxus ferventísque caritátis actus placidíssime excéssit. Ad ejus corpus tríduo insepúltum incredíbilis fuit hóminum concúrsus ob sancti viri famam, celebritatémque novis multísque miráculis auctam. Religiósum jam tum eídem adhíbitum cultum ad hæc usque témpora constánter propagátum sacra Rítuum Congregátio probávit, ejúsque Officium et Missam ab univérso Prædicatórum órdine, et Panormitánæ ecclésiæ clero Benedíctus décimus quartus Póntifex Máximus celebrári concéssit.

℟. Iste homo.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Sint lumbi. de Communi 1. loco.

Die 19. Novembris.

Octava

S. Nymphæ Virginis et Mart.

Duplex.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

De Epístola sancti Hierónymi Presbýteri.

De custodia virginitatis tom. 1. circa medium.

Lectio iv.

De virgínibus, inquit Apóstolus, præcéptum Dómini non hábeo. Cur? quia et ipse ut esset virgo, non fuit impérii, sed própriæ voluntátis. Neque enim audiéndi sunt, qui eum uxórem habuísse confíngunt, cum de continéntia dísserens, et suádens perpétuam castitátem, intúlerit: Volo autem omnes esse, sicut meípsum; et infra: Dico autem innúptis, et víduis: Bonum est illis, si sic permáneant, sicut et ego. Quare ergo

non habet Dómini de virginitáte præcéptum? quia majóris est mercédis, quod non cógitur, et offértur; quia si fuísset virgínitas imperáta, núptiæ videbántur ablátæ: et duríssimum erat contra natúram cógere Angelorúmque vitam ab homínibus extorquére.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Alia fuit in véteri lege felícitas. Ibi dícitur: Beátus qui habet semen in Sion, et domésticos in Jerúsalem; et: Maledícta stérilis, quæ non pariébat; et: Fílii tui sicut novéllæ olivárum in circúitu mensæ tuæ. Vácuus erat orbis, et ut de týpicis táceam, sola erat benedíctio liberórum. Proptérea et Abraham jam senex Cethúræ copulátur, et Jacob mandrágoris redímitur, et conclúsam vulvam in Ecclésiæ figúram Rachel conquéritur. Paulátim vero increscénte ségete, messor immíssus est. Virgo Elías, Eliséus virgo, vírgines multi fílii Prophetárum. Jeremíæ dícitur: Et tu ne accípias uxórem. Sanctificátus in útero, captivitáte propínqua, uxórem prohibétur accípere. Alíis verbis idípsum Apóstolus lóquitur: Exístimo hoc bonum ésse propter instántem necessitátem. Quæ est ista necéssitas, quæ aufert gaúdia nuptiárum? Tempus breviátum est, in próximo est Nabuchodónosor.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Inveniebátur ergo, ut díximus, in viris tantum hoc continéntiæ bonum, et in dolóribus júgiter Heva parturiébat. Postquam vero Virgo concépit in útero, et péperit nobis púerum, cujus principátus in húmeros ejus, Deum fortem, Patrem futúri sæculi, solúta maledíctio est. Mors per Hevam, vita per Maríam. Ideóque et dítius virginitátis donum fluxit in féminas, quia cœpit a fémina. Státim ut Fílius Dei ingréssus est super terram, novam sibi famíliam instítuit, ut qui ab Angelis adorabátur in cœlo, habéret Angelos et in terris. Tunc Holoférnis çaput Judith cóntinens amputávit: tunc Aman, qui interpretátur iníquitas, suo combústus est igni: tunc primum audítum est: Quæ non est nupta, cógitat quæ sunt Dómini, ut sit sancta córpore et spíritu.

℟. Afferéntur Regi.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 25.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 23. de verbis Dñi, cap. 8.

Inténdat ítaque cáritas vestra. Sapiéntium lámpades ardébant de óleo ætérno, de consciéntiæ securitáte, de interióre glória, de íntima caritáte. Ardébant tamen et illárum fatuárum. Quare tunc ardébant? quia non déerant laudes hóminum. Póstea vero quam surrexérunt, id est, in

resurrectióne a mórtuis, cœpérunt aptáre lámpades suas, id est, paráre Deo óperum suórum réddere ratiónem. Et quia tunc nemo est qui laudet, omnis homo causæ suæ vacat; non erant qui óleum vénderent, cœpérunt defícere lámpades.

℟. Hæc est virgo.

Lectio viii.

Circa fin. cap. 10.

Clausum est óstium, et quid illis dictum est? Non novi vos. Non illas novit, qui ómnia novit? Quid ergo est: Non novi vos? Improbo vos, réprobo vos, in arte mea non vos agnósco, ars mea nescit vítia. Hoc est autem magnum, et nescit vítia, et júdicat vítia: nescit faciéndo, júdicat arguéndo. Sic ergo non novi vos. Iérunt et intravérunt quinque prudéntes. Sint in vobis quinque prudéntes, ad istam prudéntiam quinárii número pertinéntes. Véniet enim hora, et quando nescímus, véniet. Sic clausit Evangélium: Vigiláte, quia nescítis diem neque horam.

℟. Média nocte.

Lectio ix.

Corde vígila, fide vígila, spe vígila, caritáte vígila, opéribus vígila: et quando córpore dormíeris, véniet tempus ut surgas. Cum autem surréxeris, prǽpara lámpades. Tunc non exstinguántur, tunc in interióre consciéntiæ óleo vegeténtur: tunc sponsus ille incorpóreis néxibus amplectátur, tunc te introdúcat in domum, ubi numquam dórmias, ubi numquam possit tua lampas exstíngui. Hódie vero laborámus, et lámpades nostræ inter ventos sǽculi hujus tentatiónésque flúctuant: sed árdeat in rubóre flamma nostra, ut ventus tentatiónis aúgeat ignem pótius, quam exstínguat.

Te Deum laudámus.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 24. Aprilis 1890.

G. Erlenborn, Vic. in Spirit. Gener.

Homilia

dicenda in Matutino unius Martyris non Pontificis, quando dicitur Missa: **In virtúte tua.**

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 10.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte arbitrári quia pacem vénerim míttere in terram: non veni pacem míttere, sed gládium. Et réliqua.

Homilía S. Hierónymi Presbýteri.

Lib. 1. in Matth. Cap. 10.

Supra díxerat: Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine; et quod in aure audítis, prædicáte super tecta: nunc infert quid post prædicatiónem sequátur. Ad fidem Christi totus orbis contra se divísus est: unaquǽque domus et infidéles et credéntes hábuit, et proptérea bellum missum est bonum, ut rumperétur pax mala. Tale quid et in Génesi advérsus rebélles hómines, qui moti fúerant de Oriénte, et turrem exstrúere festinábant, per quam cœli alta penetrárent, fecísse scríbitur Deus, ut divíderet linguas eórum.

℟. Coróna aúrea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Expréssa.

Lectio viii.

Veni enim separáre hóminem advérsus patrem suum. Hic locus prope iísdem verbis in Michǽa scríbitur. Et notándum, ubicúmque de véteri testaménto testimónium pónitur, utrum sensus tantum an sermo conséntiat. Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus. Qui ante præmíserat: Non veni pacem míttere, sed gládium, et divídere hómines advérsus patrem, et matrem, nurum et socrum; ne quis pietátem religióni anteférret, subjécit dicens: Qui amat patrem aut matrem plusquam me. Et in Cántico légimus canticórum: Ordinávit in me caritátem. Hic ordo in omni affectu necessárius est. Ama post Deum patrem, ama matrem, ama fílios.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit: * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cœléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dñs per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Qui. Glória Patri. Qui.

Lectio ix.

Ordo pulchérrimus: ad prædicatiónem mittit, docet perícula non timénda, affectum súbjicit religióni. Aurum supra túlerat, æs de zona excússerat: dura Evangelistárum condítio. Unde ergo sumptus, unde victus necessária? Austeritátem mandatórum spe témperat promissórum: Qui récipit, ínquiens, vos, me récipit, et qui me récipit, récipit eum qui me misit: ut in suscipiéndis Apóstolis unusquísque credéntium Christum se suscepísse arbitrétur. Te Deum laudámus.

Index alphabeticus.

Sumptibus et Typis Fr. Pustet, S. Sedis Apost. et S. Rit. Congr. Typogr.